


68
11 D
14

CHRISTOPHORI LONGOLII ORATIONES
duæ prò defensione sua in crimen læsæ maiestatis, longe exactiori quàm ante iudicio perscriptæ, ac nunc primum ex ipsius authoris sententia in lucem editæ.

Oratio una ad Lutherianos.


Eiusdem epistolarum libri quatuor.

Epistolarum Bembi & Sadoleti liber unus.

Longolij uita perdoctè quidem atq; eleganter ab ipsius amicissimo quodam exarata.













BERNARDVS IVNTA AD LECTOREM.

IN omnibus ferè rebus, lector studiose, in quibus aut excellēs artificis ars, aut præstās ingenij uis emineat, hoc ī primis animaduertere soleo, omnes qui elegantioris ingenij & iudicij sunt, cū eiusmodi rerum contemplatione uehementer delectentur, tum uero de artifice ipso scire quis nā & qualis fuerit plurimū nonnūq̄ laborare. Id quod uel leuiora opificum opera satis declarant. Quis enim est, qui uel egregiam aliquam picturam, uel affabre factum, & elaboratum signum diutius cum delectatione contemplari possit, cui non sæpius ueniat in mētem de opificis conditione quærere, aut qui etiam, si fieri posset, nō libēter eum uideat, colloquatur, de uitaq; totius ratione interroget? Neq; quicq̄ ullo in genere tam perfectum esse possit, ut ignorato artificis nomine, spectatorum desiderium explere possit, quin uel hoc ipso quod præstans sit, eorum desiderium auget, semperq; aliquid desiderabunt quādiu authorem ipsum prorsus ignorent. In his uero rebus, quæ animi uirtutis, & ingenij monumenta posteris relinquuntur, incredibile est, quanto studio efferantur, qui excelsiori animo præditi sunt, de ijs cognoscendi, quorum uel præclara gesta, uel docte & copiose scripta admirantur, ut nunquam penè sibi quærendo satisfaciant antequam & patriam, & cognatiōem, naturam, formam, habitum, totius deniq; uitæ eorum cursum, et consilia perspecta, & explorata habeant. Atq; horum quidem diligens inuestigatio, si cum illorum comparetur qui hæc in opificibus quærunt, in re non admodum dispari, dissimillimam laudem merentur, ut alteri curiosi, alteri ingeniosi iure appellari debeāt. Quid.n. opus est, de opificibus, quorum opera miraris tam multa interrogare, quorum nec uitam nec artem tibi sequendam aut imitandam ducas? Nemo enim est animo paulo nobiliori, qui si aut coam Venerē, aut thespiensem Cupidinē, summa cum admiratione aspexerit, cum & opera ipsa, & authores maxime probet, Apellem se aut Praxitelem esse uelit, aut omnino doleat se uel huius in fingendo, uel illius in pingendi ratione excellentiam, non posse assequi. At uero qui doctorum hominum, & eloquentium monumenta admirātur, nō mō se q̄ simillimos illoꝝ esse student, sed in illorum etiam si fieri possit naturam transire. Quid ergo utilius esse possit ijs qui aliquem imitādo effingere uelint quàm eius uitæ consuetudinem cognitam habere? nosse quæ subsidia ad tantam doctrinā habuerit, quæ contra impedimenta, & quomodo superarit. Ex his enim facile quid sibi sperandum, aut contra quid in ea arte in qua excellere cupit desperandum sit, coniectura assequi possit. Atq; hæc eo a me dicta sunt lector studiose, ne diutius expectationem tuam teneam cui in omnibus q̄primum

satisfacere cupio, ut quoniam Christophori Longolij uitæ commentariolum, ab amicissimo quodam eius, qui cum eo familiariter uixit conscriptum, & à me cum diligentia conquisitum, operi eius, quod à me editur præponendum curarem, intelligas id à me ea ratione factum, ut te quisquis es tam egregij operis admirator, pleniori obsequio demererer, tuoq; desiderio in omnibus occurrerem. Non enim dubito quin eius scripta legendo in eam sæpe uoluntatem incides, quam ante dixi eloquentium hominum & doctorum opera inspicientibus se mouere, ut libēter multa de authoris uitæ ratione uelis intelligere. Ex qua cum illud scieris, quantillo tempore, & quibus rebus impeditus, omnium ferè disciplinarum scientiam sit adeptus, summamq; eloquentiam, cum maximarum rerum cognitione coniunxerit, illum fructum uel maximum capies, ut planè scias, tibi qui maiorem facultatem, & commoditatem discendi habeas, quiq; longioris uitæ spem tibi proponas, minime desperandum esse (quod magna pars discentium facit) ad earum ipsarum artium omniū intelligentiam aspirare posse. Quæ quidem si uerum fateri nolimus, eo societatis uinculo iunguntur, ut nisi uniuersas perdidisceris, ne unam quidem perfecte intelligas. Cum uero ille ueterum semper admirator, atq; eorum qui optime scripserunt imitator fuit, quemadmodum tibi quoq; est faciendum quisquis in Romana eloquentia excellere cupias, hoc ex lectione scriptorum eius cognoscere erit iucūdissimum, quo pacto ueteres in ipsis uestigijs sit persecutus, Romanamq; linguam quæ nostro seculo iam diu peregrina esse uidebatur, neq; de moribus nostris qui ab antiquis multum dissident loqui ausa fuerit, ita ad consuetudines nostras accommodarit, ut nihil penè in nostro usu sit quod non apte eleganterq; exprimat. Vale.

Hristophorus Longolius Maclinia, nobili Germaniæ oppido, honesto splendidoq; inter suos loco, natus fuit. Quoniam uero eo uiuo, non defuere, qui eum Parisiensem dicerent, librieriam ab eo scripti hoc titulo circumferrentur, non ab re erit, quæ ipse in altera defensionum suarum, errorem hunc librariorum refellens, de patria sua dicit, hoc loco commemorare. Vt deinceps, qui de hac re dubitant, ipsi potius Longolio de se, q̃ alijs credant, eius uerba hæc sunt. Ego.P.C.Macliniæ natus sum, Macliniæ educatus, germanicæ linguæ, et Cæsarum ditionis oppido, cum alijs laudibus multis illustri, tum uero Philippi & Caroli Hispaniæ Regum incunabilis percelebri. hæc ille. Puer admodum, cũ uix annos nouem natus esset, parentum studio, & diligentia, Lutetiam parisiorum, ut ibi literas disceret, est missus. Neq; enim uel id ætatis, propter summam ingenij docilitatem, immaturum censebant, qui in celeberrimo illo literarum domicilio politioribus disciplinis animum excoleret. Celeriter uero omnibus artibus quibus puerilis ætas imbui solet, ita profecit, ut æquales suos omnes doctrinæ laude longe præstaret, ex his autẽ generosissimum quemq; imitandi cupiditate incenderet. Ingenio acri et uehementi præditus fuit, in quancunq; partem se dedisset, atq; omnium disciplinarum (quod postea res ipsa declarabat) capaci. Quencunq; scriptorem sibi legendum proposuisset, eum nunq̃ ferè de manibus, nisi diligenter ab eo perlectum, dimisit. Neq; unquam in eo animaduersum est, aut obscuritate scriptoris alicuius, aut prolixitate deterritum, quo minus totum perdisceret, si modo talem putaret, ex quo fructum aliquem capere posset. Cum autem ea quæ in antiquorum scriptis tradita essent, celerrime perciperet, tum uero quæ abdita fuere nemo maiori facilitate eruit. Atq; huic rei testimonio esse possunt multa ab eo penè puero, in C. Plinij de naturali historia libro, scriptoris non ita facilis, & plurimis mendis deformati, ingeniose excogitata & notata, quæ postea ipso imprudente, & inuito in Gallia fuere edita. Memoria uero tanta fuit, ut ad ea tollenda, quæ animo semel insedissent, diuturnitas temporis uix aliquid ualeret. De pluribus & uarijs rebus sæpe interrogatus, de quibus a multis annis nihil legerat, non minus prompte de singulis solitus est respondere, ac si eo die ab eo perlecta fuissent. Cuius rei cum familiariter cũ eo uiuerem in consuetudine quotidiana crebro periculum facere licuit. Hocq; in eo magis mirum fuit, quod cum plurima legisset, omnia autem quæ græce aut latine scripta essent sibi legenda proponeret, nunq̃ ferè ad me, tam semper properanti, ad eundem scriptorem reuertere licuit. Siquãdo

de ijs rebus sermo incideret, quæ à diuersis & uarijs scriptoribus tracta ta essent, cum res ipsæ essent eædem, ita tamen oratione solebat distinguere, sua uerba singulis scriptoribus à quibus ea acceperat referendo, ut non memoriter ea dixisse, in quo sæpe offendi solet, sed de scripto pronuntiasse uideretur. Quæ sæpe cum faceret, ita auditorum admirationem incendit, ut eum artificio quodam, non naturali memoriæ bono uti existimarent. Ad hæc tanta naturæ bona doctrinæq; summa adiumenta, eam industriam adhibuit, ut quicquid in literis profecerit, huic penè soli gratia habenda uideretur. Ineunte ætate cum earum rerum cognoscendarum magno studio teneretur, quæ à philosophis tractantur, amici, qui eum honoratum magis, quàm doctum uidere cupiebant, uerentes, ne talium rerum studium, eum lōgius ab honorum petitione abduceret, magnopere illi authores fuere, ne aliud sibi eo tempore, præter ius ciuile discendum proponeret. Ex eius enim artis studio affirmabant fore, ut celeriter ad honores, & ad summam gloriam perueniret. Quorum precibus, & hortationibus, cum sibi omnino parendum esse duxisset, sex annos in eo studio ita consumpsit, ut nullis interim alijs literis, præterquàm oratorijs, quæ maxime etiam artem illam uel ornare uel adiuuare existimātur, operam daret. Vsus est præceptore Philippo Decio celebri iuris interprete, qui tum Valentiæ in Narbonensi prouincia maximo auditorum concursu qui undiq; ad eum confluebant ius docuit. Eo uero tempore, ita profecit, ut cum postea ab amicis Lutetiam parisiorum, ut ius ibi exerceret, esset reuocatus, cum agendo, tum respondendo, tantam laudē est adeptus, ut uix dum biennium in iuris consultorum subsellijs uersatus, in centumuirale illud consilium, quod antea solis senibus uel certe ætate prouectis patebat, admodum iuuenis adlegeretur. Quare amicorum uoluntati, iam satisfactum putans, tempus adesse putauit, ut animo etiā suo maiorum rerum cupiditate flagranti morem gereret. Itaq; C. Plinium cuius lectioni se totum dicaret, delegit, quem uarietate & copia rerum cæteris latinis scriptoribus præstare, ac uelut in unius operis compendio quæcunq; à philosophis græcis, pluribus & libris & uerbis tractata essent mira breuitate collegisse existimauit. Sed cum res ipsæ quæ quāuis copiose tractatæ, per se ipsæ difficultatem afferunt, in angustū à Plinio conclusæ uix spem aliquam sui intelligendi darent, ibi partim necessitate coactus, quod aliter ea quæ ita concise tradebantur intelligere non posset, nisi easdem fusius, apud alios tractatas uideret, partim magnitudine & uarietate rerum, eum inuitante, ut ex uberrimis illis fontibus potius, ex quibus Plinius ipse hausisset, quàm ex illa seclusa aquula illarum cognitionem peteret, animum ad maiora erexit, ut eos etiam scriptores uideret, à quibus illa Plinij emanasse putabantur. In hac uero

sententia cum esset, omnes illi agricolæ, omnes ferè medici fuere perdiscendi. Rerum Romanarum & totius antiquitatis memoria diligenter tenenda. Orbis deniq; ille disciplinarum, quam ἐγκυκλοπαιδείαν græci uocant, euoluendus, cum nulla ferè ars sit, cuius non expressa uestigia aliqua apud Plinium reperiantur. Hæc uero perficere illi multo fuit difficillimum, presertim græcarum literarum adhuc ignaro & prorsus rudi. Verum nihil horum eum retardauit, ut erat animo semper reluctante difficultatibus, tumq; incensus cupiditate, ut philosophorum & aliorum scriptorum mysteria cognosceret. Principio itaq; græcis literis, tanto studio tantisq; ingenij uiribus incubuit, ut nondum se uertente anno siue ad philosophos, siue ad oratores se conuerteret, ignoratio linguæ nusquam eum ab eorum intelligentia excluderet, eodemq; temporis interuallo græce etiam ad Gulielmum Budæum Gallorum doctissimum epistolas sæpe mitteret. Pari ergo studio atq; industria cum quinquennium in græcis scriptoribus legendis perseuerasset, iam lingua ipsa maxime illi familiaris fuit, eademq; opera doctos illos scriptores assidue legendo, uberrimam maximarum rerum cognitionem ex illis hausit. Memor uero ubiq; cum illos legeret instituti sui, & cuius causa initio tot sibi scriptores euoluendos sumpsisset, nihil in his omisit, quod ad pleniorem C. Plinij intelligentiam aliquo modo faceret, quin id diligenter notatum, quo loco & in quo authore legisset, in Plinij libro scriptum relinqueret. Vt ante omnia subsidia in hac re, quæcunq; ex lectione comparari poterant, tentaret, eandem rationem in recentiorum scriptis legendis seruauit. Quando uero de stirpium natura, multa Plinius traderet, nonnulla etiam de piscibus scriberet, rebus à cognitione huius seculi, ita remotis, ut ne nomina quidem intelliguntur, non contentus eorum authoritate, qui aliquid de his scripsere, uoluit ipse uerba rebus accommodare, hisq; diligenter inspectis uidere, quo pacto res ipsæ cum antiquorum scriptis conuenirent. Itaq; ea causa illi in Narbonensem prouinciam iterum proficiscendi fuit, cum adolescens antea ibi ius ciuile didicerat, quam quidem stirpium fertilissimam, piscium etiam abundantissimam, propter illius maris uicinitatem, existimauit. In qua quidem peregrinatione librum etiam, quem herbarum historiam appellauit, scripsit. Eam uero partem, in qua Plinius terrarum orbis descriptionem complexus est, diligentissime est persecutus, atq; in hoc etiam oculorum iudicio uti uoluit, amnesq; & syluas, ac montes, & antiqua oppida, à Plinio descripta, quorum aliqua uestigia manerent, ipse adire, itaq; cum adolescens Hispaniam totam peragrasset, adulta iã ætate, Britanniã, Germaniã, Galliã, Italiã emensus est

statuerat atq; in orientem proficisci, nisi Turcharum arma, quibus omnia christianis hominibus clausa essent; eum ab hoc consilio deterruissent. Quanquam etiam apud homines nostros peregrinando in magna pericula saepe incidit. Apud Heluetios autem, dum eorum regionem uiseret, nihil propius fuit, q̃ ut interficeretur. Quid uero illi acciderit, & quomodo periculum euitauerit, non erit alienum commemorare, quo magis et industria eius cognoscatur, & animus, qui nullo periculo à rerum dignarum inuestigatione deterreri potuit. Profectus est eò cum duobus familiaribus gallis, eo sanè tempore, quo accepta clade apud Mediolanum Heluetij à gallis maxime dissenserũt. Ex comitibus ergo cum in suspitionem uenisset, speculandi causa accessisse, pars quædã cohortis Heluetiorum eos aggressa est. Ibi cum aliquandiu repugnassent, neq; pares esse potuissent, unus eorum fuga Rhodanum tranatando, uitam sibi seruauit, alter in pugna cæsus, ipse graui uulnere, altero brachio accepto, captus & in carcerem abductus est, ubi triginta ferè dies cum neq; medici neq; remedij ullius facultas daretur, uulneris dolore magis magisq; ingrauescente, in summo mœrore iacuit, donec casu antistes sedunensis, qui apud Heluetios dignitate & gratia maxime potuit, eo uenisset, cuius opem cum Longolius per literas supplex implorasset, ipse casum uiri ualde miseratus, statim custodia liberauit, adhibitisq; medicis, tam diu apud se retinuit, dum a uulnere prorsus sanatus esset, tum equo donatum, & uiatico liberalissime instructum, in patriam remisit. Nec uero ille ante discedere uoluit, q̃ id cuius causa uenerat, perfecisset, regionemq; totam lustrasset, atq; tabellis descriptam secum domum reportasset cuius rei perficiendæ maiorem tum facultatem habuit, quam ei Sedunensis authoritas dabat. Itaq; cum in omnibus quæ uidere cuperet abunde satisfactum esset, illinc in patriam decessit. Sed ut eo, de quo inceperam, reuertar, hoc eum sæpe prædicantem audiui, se quicquid rerum naturæ cognitiõe profecisset, id C. Plinij lectioni acceptum referre, qui in omnibus illi occasionem plura quærendi & inuestigandi semper dederat. Oratorijs artibus à puero semper deditus fuit, earum uero summam cognitionem, non artis solum præceptis, sed multa exercitatione firmauerat. Declamandiq; consuetudinem multis iam seculis intermissam, & propè mortuã, qua nihil unquam utilius his, qui oratores euadere cupiunt, inuentum fuit, in seipso primum post in alijs renouauit, cum argumento proposito, sæpe in scholis declamando, alios suo exemplo, ut idem facerent, cõmouit. Genus dicendi ineunte ætate secutus est, quod postea uir factus, ualde improbauit. Nam cum adolescens per omnia scriptorum genera uagaretur, neq; quenq̃ unum sibi imitandum proponeret, sed ut ipse de se dicere solebat, tantum in uno quoq; notaret, quantum acute aut sententiose di-

ctum esset, eo factum est, ut prudenter semper ferè diceret, quod fuit et naturæ, oratio uero eius, quæ ex uerbis undiq; accersitis constaret, nullā neq; elegantiam, nec uenustatem præ se ferret, formamq; dicendi incon ditam & minime æquabilem redderet. In hoc tamen genere multa scri psit. orationem de laudibus C. Plinij, alteram de laudibus Gallorum. Comparationem iuris ciuilis cum re militari, in qua iuris laudes extol lit. Commentarios quosdam in ius ciuile. Historiam herbarum. Com mentarios in .xi. libros Plinij ab eo admodum adolescente, quo primū tempore Plinium in manus sumpserat, conscriptos, postremum uero omnium, cum iam etiam maiorem elocutionis rationem habere incipe ret, quinq; orationes de laudibus urbis Romæ fecit. Quod uero genus scribendi mutauerit, id Petri Bembi consilio, qui eo tempore hac laude eleganter & latine scribendi multum Italis omnibus præstitit, acceptū referre solitus est. Ille enim cum Longolio amicissimus esset, multaq; eius prudenter quidem scripta, sed inquinatis & corruptis uerbis refer ta uideret, dolere se, apud eum sæpe testatus est, q cum à natura & li teris ad oratorias artes instructissimus esset, uoluntate etiam in eas ma xime propensus, negligeret tamen eam partem emendate & latine lo quendi. quam. M. Cicero eloquentiæ Romanæ parens solum & quasi fundametum oratoris esse indicauit. Vnde etiam eloquentia ipsa nomē sumpsisset. Magnopere igitur est cohortatus, ut totam suam dictionem, ad præstantem illam Ciceronis dicendi formam, reuocaret, eumq; solū ex oratoribus sibi imitandum proponeret. Cuius consilio & authorita ti tantum tribuit, ut quinq; annos continuos, ab ea cohortatione, nullum alium authorem latinum in manibus haberet, nullum legeret, præter unum Ciceronem, in quo tantum studio industriaq; profecit, ut post breue tempus, cum sibi eam legem indixisset, ne alijs, atq; à Cicerone sumptis uerbis uteretur, ad omnia ferè, quæcunq; animo concepisset, ex primenda, abunde ex illo uno uerba electa suppeterent. Cūq; se totum ad summi illius oratoris imitationem dedisset, sicq; toto animo conten disset ut nihil unq̄ magis, ut perfectam illius scribendi formam animo inclusam haberet, etiam in omnibus quæ scripsit ut eodem modo dice re posset, magnopere laborauit. In hanc uero formam scriptæ sunt ab eo orationes duæ, quibus eorum accusationi respondet, qui eum Romæ perduellionis reum egere, una præterea ad Luterianos oratio, & ali quot epistolæ ad amicos. Reliqua omnia quæ scripsit, ipse abolenda cen suit, idq; ut ita fieret, amicis moriens commendauit. Causam uero totā Luterianam, cuius oppugnationem iussu. X. Leonis Pontificis maxi mi, à quo etiam commentarij totius causæ missi ad eum fuere, susceperat, quinq; orationibus complecti statuerat, breuiq; perfecisset (excogita

tisiam secum, ut ex ipso audieram, quæcunq; tali in causa dicenda forent) nisi prima statim absoluta, immatura mors consilium eius præuenisset. Theologiam & eos scriptores, qui de diuinis rebus tractant, omni ætate coluit, idq; putauit hominis esse christiani, non in senectutem, ut maxima pars hominum facit, hoc studium differre, sed quotidie addiscendo in eo quanq̃ lentius id fieret, aliquid tamen procedere. Hoc autem modo ipse & græcos & latinos plurimos quos maxime in rerum diuinarum explicatione excellere putauit, diligenter euoluit. In his uero literis, & in alijs artibus, tot perlegit, tam multa, tanto iudicio, in tam paucis annis, ea etiam ætate, qua alijs uix maturum iudicium adesse solet, tot interim laboribus ex peregrinationibus exercitus, ut his, qui eum & mores eius non nouere, penè incredibile uideatur. Sed adiuuabat præter cætera, quæ modo commemoraui, temperantia summa in uictu, & in omni uita, ut uoluptatibus, quæ apud cæteros eius presertim ætatis magnam partem temporis sibi uindicant, nullum omnino tempus daret. Cibi & potus erat parcissimus, mero nunq̃, dilutissimo semper utebatur, maxime uero frigidæ potu delectabatur, quo etiam sæpius usus fuisset, nisi medici, quod maxime inimicum stomacho dicerent, eum magnopere deterruissent. Somno parum indulgebat, cum plurimum, nõ amplius, sex horas dormiebat. Reliqua genera uoluptatum summus ille ardor in studia literarum ita restinxit, ut nulla prorsus in eo aliarum rerum cupiditas appareret, neq; uero ita prorsus studijs deditus erat, ut reliqua omnia, quæcunq; in Rep. Christiana agerentur, tanq̃ ad se nihil pertinerent, negligeret. Sed cũ studijs plurimum tribueret temporis, tum uero quando uel salutis ratio, uel quæuis alia necessitas, eum à studio auocaret, libentissime & diligentissime de his, quæ foris agerentur, inquirebat. Quo factum est, ut simul & doctissimus & prudentissimus haberetur, ut neq; hæc curiositas rerũ externarum cognoscendi, quicq̃ de legitimo studiorum tempore detraheret, nec illa languidiorem ad cætera redderent, aut quicq̃ de prudentia rerum diminuerent. Sed contra alterum ab altero adiutum hanc pulcherrimam in eo prudentiæ & sapientiæ coniunctionem effecere. Corporis eatenus rationem habuit, quatenus studijs sufficere posset, quotidieq; ante cibum parua pila se exercebat. Quanq̃ per se laboris apta membrorum compositione patientissimum corpus habuit, & quod multis magnisq; laboribus ad omnem patientiam ineunti ætate firmauerat. Quippe qui adolescens laborem etiam militarem fuerat perpessus, milesq; Neapolitano bello cum Ludouico Gallorum Rege in Italiã uenisset, & si à robore militari multum abesset, corpusq; decorũ magis habere, q̃ robustũ uideretur. His uero rationibus, ita corpus & animũ curauit, ut alterũ semper sanũ, alterũ q̃ doctissimũ, uarijsq; & multis artibus repletum, haberet.

Quantũ uero doctrina & eloquentia inter huius sæculi scriptores præstiterit, hi demum intelligent, qui pauca ea, quæ suo iudicio probata, scripta reliquit, cũ aliorũ in illo genere scriptis conferent, aut is deniq;, qui in simili scribendi argumẽto sui periculum fecerit. Neq; uero istis artibus atq; uirtutibus premia omnino indigna his temporibus tulit, multaq; præclara de eo iudicia principes uiri fecere, à Rege Hispaniæ Philippo duo de uiginti annos natus, sanctioribus illis reconditarũ rerũ notis, qbus hodie unis oĩa propè regnorũ arcana cõmittũtur, præfectus. A principibus Pãnoniæ magno proposito pmio accersitus, ut regem puerũ optimis artibus instituendũ susciperet. A Ludouico francorũ rege multis honoribus affectus, de quibus ille in iudicio cũ pro se diceret, aduersarijs maxime cõditionis obscuritatẽ obijcientibus, cõmemorare est coactus. Quo tẽpore regis decretũ recitari fecit, à quo ille nõ unius aut alterius (ut eius uerbis utar) suæ ditiõis urbiũ, sed uniuersi regni uiribus uno edicto est donatus. Sub quod ẽt aliud decretũ consilij illius centũuiralis, quod Lutetiæ parisiorũ cogitur, ĩtulit. In quo illi iurati summo consensu in collegiũ suũ cooptarũt, habiturũ in perpetuũ ius uitæ & necis, ac summã fortunarũ oĩm potestatẽ, nõ in plebẽ modo, sed in oẽs regni proceres. Vicesimo uero octauo ætatis anno ciuitas ei Romana ultro est oblata, uirtutisq; & literarũ ergo ciuis factus. Quæ res quãq̃ initio multarũ illi turbarum causa fuit, multis clã inuidentibus, nonnullis uero nobilissimis uiris palã eũ oppugnantibus, & uirtutibus eius obtrectantibus, inter quos magno periculo est uersatus, postea tamen optime cessit, nomenq; eius & gloriã magnopere auxit. Nã cũ statim post ciuitatẽ adeptã in Gallias redire studeret, ut amicos & propinquos, à quibus multos annos abfuerat, uiseret, crebræ uero aduersariorũ eius uoces exceptæ essent, palam dicentiũ, se nomen eius delaturos, ea res fecit, ut paulo diutius cõsiliũ profectionis differret, ne si tali tẽpore urbẽ relinqueret, nõ amicos salutandi causa discessisse, sed timore & minis inimicorũ perterritum ab urbe aufugisse, uideri posset, sed cum diutius mansisset, q̃ eius rõnes paterentur, expectans quorsum obtrectatorũ inuidia procederet, cum illi interim nihil contra eũ nisi conuitijs agerent, existimans ulterius eorũ indignitatem nõ progressurã, iter Galliam uersus iam diu ab eo deliberatũ, est persecutus, relictis tamen apud amicos defensionibus suis scriptis, ut contra omnes conatus aduersariorum, si absentia eius aliquam illis occasionem accusandi daret, præsto haberent quod opponerent. Iam tum ex eorum conuitijs animo prospiciens, quæ maxime obiecturi essent, quibus ille omnibus medicinam fecerat. Cuius sui consilij prudenter excogitati magnum postea fructum & uoluptatem cæpit. Vix enim Venetias in eo itinere peruenit, cum ad eum literæ amicorum sunt allatæ, nunciantes grauissimam accusationem qua statim post discessum eius aduersarij sunt usi, & quo pacto consilium

de relinquendis defensionibus processisset, accusauit eum nobilis & diſertus adoleſcens Romanus in quo magnam dignitatis ſuæ ſpem maiores natu Romani collocarant, ad id inductus inimicorũ Longolij multis & aſſiduis precibus, obiecto etiã falſæ gloriæ ſplendore, ꝙ patriæ laudibus, quas oppugnatas à Longolio eſſe uoluerunt, in huiuſmodi accuſatione adeſſe eum aſſeuerarent. Ita uero acerbe & uehementer, ipſo audiente principe Romano, cũ multi nobiliſſimi & clariſſimi uiri iudicio interessent, egit, ut nonnulli amici Longolij eſſent, qui de cauſa obtinenda deſperarent, donec amicoꝝ præcipua cura defenſiões eius in lucem prodiere, quæ ita ab omnibus paſſim probabantur, ut multi dicerent nõ Lõgolium ciuitatis donatione ornatum, ſed ipſum, ciuitatem illis orationibus ornaſſe, in quibus priſtinã dignitatem ciuitati & uetera ſua ornamenta omnia reſtituiſſe uidebatur. Principi uero ipſi ita placuere, ut oblitus penè quid aduerſario eius tribuiſſet, quẽ pauloante, nulla magis re alia motus, atq; eius in Longoliũ actiõe, in familiarium numerum receperat, protinus iuberet, ut diplomata Longolio expedirentur, qbus ratum eſſet, quod S.P.Q.R. de ciue eum aſciſcendo decreuiſſet, præterea quod ipſe de priuato ærario ad tuenda ſtudia eius conceſſiſſet, atq; ad eũ ubicunq; terraꝝ eſſet, deferrentur. Ea tamen lege, ne ſedem ſtudiorum alibi, ꝙ in Italia poneret. Multis ṗterea honoribus affecit, nã in palatinũ & ſacroſanctæ Lateranenſis aulæ comitatum ſua ſponte cooptauit, & in Romani pontificatus ſcribarũ numero eſſe uoluit. Quæ cũ ad eũ perlata eſſent, cũ alia oĩa libẽter audiuit, tum uero conditionẽ de commoratione ſua in Italia nõ inuitus accepit, lætusq; in Galliam quaſi ex inimicoꝝ dolore triumphũ agens, animo ſtatim reuertendi eſt profectus, ubi magno amicoꝝ gaudio exceptus ꝙ nihil tã præter opinionẽ eorũ accideret, ꝙ ut eũ quẽ uix ſaluũ in tantis contentiõibus arbitrabantur honoribus ẽt auctũ uiderẽt, magno eũ ſtudio apud ſe retinere contenderunt, pluribus etiam ad manendũ premijs & priuatim à multis, & publice a rege ipſo francorũ propoſitis. Ex priuatis autem, qui hoc maxime ab eo contenderunt, Ludouicus Ruzeus pariſienſis, cum multa alia, tum uero ſuburbanum fundum lautum & fructuoſum muneri obtulit. Nullam aliam beneficij ſui renunerationem, aut operam ab eo expectans, niſi ut urbe illa quaſi domicilio ſtudiorum ſuorum contentus, in Italiam amplius nõ rediret. Ille uero quanꝗ Galliam ſemper non minus charam, ꝙ patriam habuit, exiſtimans non inferiori amoris loco habendam, quæ excepit, ꝙ quæ genuit, plurimi etiam in hac re amicorum ſtudia æſtimaret, tamen cum recordaretur quam fidem X. Leoni Pont. Max. & reliquis amicis de rediturdediſſet, ab eo nullis cuiuſquam promiſſis aut precibus deduci potuit. Mirifice uero ipſe ſua ſponte erga Italiam & italos-

homines afficiebatur, ut etiam in epistola quadam ad Sadoletum, reditus sui rationem probare uolens, cum alias causas attulisset, postremo addit, ideo se redisse, quod ad excitanda fouendaq; studiosorum hominum ingenia plurimum conferre arbitratus esset, cœli ipsius Italiæ clementiã, seq; in eo felicem illum & planè diuinum Italiæ genium secutum. Antequã uero rediret, Britanniam nobilem insulam uidere uoluit, adductus præterea fama eorum, quos præter cæteros illic græcis literis & latinis eruditos, omni liberali & ingenua doctrina pollere audiuerat. Cum quibus pluribus diebus iucunde consumptis, ꝙ eorum doctrina ita delectaretur, ut etiam summæ admirationi esset, quemadmodum sæpe eum prædicantem audiui, tantã & tã politam atq; excultam doctrinam in illis locis, apud eos homines, uel usquam penè terrarum his tẽporibus, quibus propè omnes elegantiores artes iaceant, potuisse reperiri, ad constitutum sibi in Italiam iter reuersus est, Patauiumq; uenit, quem studijs suis locum accommodatissimum elegit. Quanquam simul ac de eius in Italiam aduentu auditum est, populus florentinus non solum in ciuitatẽ suam illic ad instituendam bonis artibus iuuentutem se conferret, inuitauit, uerum etiam uicena quina in annos singulos sestertiorum nummum millia ex ærario publico decreuit. Verum ille recordatus, quæ premia ante contempserat, ꝙ nullam ocij sui partem alijs uendere uoluisset, nulla mercede à suscæpta propositaq; sententia potuit auelli. Patauij autem se continuit, sibi & studijs suis seruiens primum in contubernio stephani Sauli nobilis genuatis, qui literarum causa eò se contulerat optimarum artium etiam ipse studiosissimus. Deinde uero eo in patriam reuocato, cum multi nobiles uiri (quorum tum patauij propter celebritatem eorum qui literas docuerunt, magna copia fuit) certatim Longolium ad se inuitarent, ꝙ eius consuetudinem non honorificam tantum sibi, sed etiam fructuosam fore putabant. Ille in domum Raynoldi Poli nobilis iuuenis Britanni, quem per eos dies Rex Britanniæ literarũ causa eò miserat, migrauit, quo cum coniunctissime in literis usq; ad extremum uitæ diem dixit. Amicitijs usus est magnis & illustribus, quas illi ubiq; ferè uel felicitas quædam eius, uel doctrinæ fama cõciliauerat. Neq; uero in cõciliandis amicis felicior, q̃ in retinendis prudẽtior habebatur. Quos summa fide obseruantiaq; semper coluit. Quantum uero officio in amicos tribuit, uel extremus ille uitæ eius actus facile declarauit. Nam cum grauissime ex febre laboraret, ex qua etiam perijt, eodemq; tempore ab Hieronymo Sauorniano amico suo, qui tum filium summa spe & indole adolescentem amiserat, literas accæpisset, ualde miserabiliter de morte filij scriptas, existimans se non aliter officio suo in amicum posse satisfacere, in medijs ipsis doloribus cum grauissi-

ne cruciaretur, literas ad eum consolatorias, morbum suum silentio tegens, ne hoc etiam ad amici dolorem, dedit. Quae quidem ut tum scriptae, maxime uim morbi auxisse existimari possent, sic uberrime quo officio in amicos esset declarauere. Qui ne eo quidem tempore sibi parcere uoluit, aut officium intermittere, quo omnes illi libenter remisissent, aut sanè amicus non esset, qui hoc ab eo exigeret, & tum alium consolaretur, cum magis consolatione ipse egeret. Sed ab ea humanitate quam in omni uita erga amicos retinuerat, ne tum quidē dolor corporis & propinqua mortis expectatio potuit eum deducere, aut facere, ut suorū commodorum rationem haberet, qui semper quacunq; in re declarare posset, amicorū cōmoda suis praetulerit. Quo factum ē ut charissimos illos, semper firmissimos haberet, idq; maxime est expertus, cum absens Romae in iudicium uocaretur. Quo tempore neq; aduersariorum eius potentia, quae maxima fuit, nec acerba eorum in eum accusatio, quenquā eorum qui amicitia uel consuetudine aliqua, dum Romae esset, coniuncti uidebātur, ulla in re flectere potuit. Plurimum uero ex omnibus detulit Iacobo Sadoleto, & P. Bembo, uiris cum authoritate & gratia inter eos, qui tū Romae erant, maxime florentibus, tum uero doctrina & omni politiore humanitate propè singularibus. Quorū opibus & gratia q̄diu Romae fuit, in oībus rebus est usus. Vt uero alios in se benignos et liberales est expertus, sic omnibus, quos aut opera aut cōsilio iuuare posset, maxime fuit expositus, praecipue uero his, qui spem aliquam de se uel ingenij uel doctrinae darent. Noui ipse multos qui cum à patria absentes & amicorū subsidio destituti, ad eum confugerent, ab eo saepe pecunia subleuatos, cū tamen ualde tenues facultates haberet, & aliorum opibus casus suos sustentaret. Quādo uero diutius sumptus tales se ferre non posse sentiret, per amicos omnia egisse ne quid illis deesset, non secus ac si omnia necessitudinis officia sibi cum illis intercessissent, qui neq; cognatione neq; patria eū contingebant, indole tantum & spe doctrinae ei cōmendati. Aduersae fortunae uulneribus multis, ut in tam paucis uitae annis ictus, nihil unquā aliter, atq; uirum decuit, tulit. Primum Philippi Regis Hispaniae morte inopinata, ad quem se post amissum utrumq; parētem, contulerat, ex quo cum magna sperasset, iamq; apud eum gratia et supra aetatem authoritate multum ualeret, ille praeter omnium opinionem in Hispania ereptus est. Deinde multis peregrinationibus & molestijs agitatus, caeteris etiam molestiam & difficultatem est perpessus. Post contentio illa Romae accessit cum potentibus & factiosis aduersarijs, inter quos cum saepe discrimen uitae adijt, nunq̄ sine magno periculo uersabatur. Extremum uero omnium, quod aliqua ex parte eum attingere uidebatur, fuit decimi Leonis Pontificis Maximi mors, in cuius uita omnem spem fortu

natum suatum sitâ habebat, cuius authoritatem & promissa sequutus, contra omnium amicorum suorum uoluntatem in Italiam redierat. Cum autem neq; ad suos honestum reditum, quorũ antea promissa spre-uerat, neq; quo pacto in Italia defuncto iam Leone, qui antea sumptus suppeditabat, ocium suum cum dignitate tueri posset, satis uideret, hæc non nihil eum conturbarunt. Nusq̃ tamen se cõmouit, sed ueteribus tan-tum amicis, quos in Italia habuit, de statu suo per literas admonitis, ille in contubernio, illius nobilis iuuenis Britanni se continuit. Cum uero de cem menses post obitum Leonis perpetuo ferè in literis uersaretur, consti-tutum se habere dixit in forum Iulium proficisci, cum ut animum suum curis literarum districtum peregrinatione relaxaret, tum etiam ut eam partem Italiæ sibi nõ satis cognitam uiseret. Itaq; paucos ante dies, q̃ egre di statuerat, cum nihil omnino incõmodæ ualetudinis sentiret, semotis arbitris multa cum Polo suo, cui semper plurimũ tribuit, fertur disputas-se, de periculis, de fragilitate, de miseria humanæ uitæ. Hanc uero tan-dem summam orationis habuisse, ut quoniam sibi peregrinandum es-set, neq; ignoraret multa sæpe peregrinantibus pericula præter opinionẽ, quibus obsisti non posset, interuenire, ut rebus suis, quicquid sibi accide-ret, prouideret, testamentum se uelle facere dixit, atq; apud eũ deponere, flensq; penè rogauit, ut si quid sibi aduersi accideret, testamenti capita per sequeretur, famamq; suam & memoriam charam haberet. Atq; hæc cũ magna admiratiõe illius cui hæc commiserat fecit. Quid.n. nõ miraretur quod in proximã prouinciam exiturus, optima etiam ualetudine, ut et sibi & alijs uidebatur præditus, ea diceret & faceret, quæ magis ex uita, q̃ ex ciuitate migrantis, uidebantur. Verum siue diuinatione de propin-qua morte sua id faciebat, siue prudentia quadam, quam casus postea di-uinationem uideri fecit. Eodem die, qui profectioni constitutus est, in gra uem & assiduam febrem incidit, ex qua non conualuit, eo etiam tempo re cum forte abesset polus, cui antea res suas omnes crediderat. Quem ta men per literas statim quo statu esset certiorem fecit, nihil de testamento mutans, hoc tantum rogans, ut quemadmodum corãm recepisset, curam & quasi dispensationem rerum suarum acciperet, mortuoq; memoriam pie & inuiolatæ præstaret. Quo nunciotristissimo ille perculsus, q̃ eum unice amaret, subito accurrit, multaq; cum in spem uitæ diceret, eadem etiam medici pollicerentur, nunq̃ ab eo deduci potuit, quin ea febris finẽ sibi uitæ esset allatura id quod paucos post dies euenit. Anteq̃ uero disce-deret in diui Francisci familiam uoluit adoptari, eiusq; habitu post mor tem & templo sepeliri. Obijt xxxiiij ætatis anno. iij. idus Septembris. Anno salutis generis humani. M. D. XXII. atq; Patauij in Francisci quemadmodum ipse præscripsit sepultus.

CHRISTOPHORI LONGOLII CIVIS RO. PERDVELLIONIS REI, PRIORIS DIEI DEFENSIO.

Vod per hosce quadraginta dies, à Deo Opt. Max.
precatus sum Patres conscripti, ut si eo in Senatum
Populumq; Ro. animo semper fuissem, quo morta/
les omnes esse debeant, daretur mihi aliquando à
perpetua illa, & planè hostili accusatorũ meorum
insectatione respirandi spacium, ut hoc in loco, &
accusationem eorum tuto refellere, & innocentiæ
meæ rationes uobis libere explicare possem, id ego mihi hodie tandem,
singulari uestro tum consilio, tum etiam beneficio uideor consecutus, qui
me quod erat quidem æquitate uestra dignissimum, sed in tantis aduersa
riorum meorum opibus, mihi hoc tempore minime sperandum, contra
multorum uoluntatem, præter omnium opinionem, ad causam hac in
arce capitolina dicendam admisistis. Equidem cum audissem inimicorũ
meorum conspiratione, non modo multitudinis animos, quod illis fuit fa
ctu multo facillimum, uerum etiam quosdam summo loco natos homi/
nes, quod satis mirari non poteram, ita in me, quem pleriq; eorum non/
dum satis nossent, concitatos, ut ui & armis, nõ iure & legibus, sibi me/
cum statim agendum putarent, decreueram sanè cum ciuitate, qua me
paucis ante diebus donaueratis, inimicis meis cedere, tum uero etiam
ab ipsa urbe Roma, communi gentium omnium patria, aliquò me trans
alpeis recipere. Quod ipsum, & si populo Ro. inuidiosum fore uidebã,
qui me ex ea ciuitate indicta causa pelli passus esset, in quam Senatus iu
dicio essem ornatissime accitus, tamen cum tam impotenti aduersariorũ
meorum factione opprimerer, ut prius damnatus essem, q̃ reus, nec quis/
quam pro me uerbum facere auderet, neq; uero mihi ipsi pro me dicendi
potestas ulla fieret, cuius oratio, non tam superuacanea & inanis quàm
inuisa & odiosa fore uideretur, eò mihi opinor, descendendum fuit, ut
ciuium meorum iræ, multorum exemplo atq; consilio locum darem.
Nunc autem quando uestra authoritate P.C. qui Senatum hac de re co/
gnoscere atq; statuere uoluistis, ea facta est commutatio, ut ab aperta qui/
dem ui nihil iam sit hic mihi extimescẽdum, nec quod miserrimum erat
posthac metuendum, ut indemnatus, ad libidinem inimicorum meorũ
è ciuitate & urbe eijciar, faciam ut (q̃q̃ ipse sim tanto rerum mearum
periculo ualde conturbatus) nec sanè ad agendum satis paratus, nec ta/

men ego quoq; mihi defuisse, & meo ipse silentio prodimus, ac mea etiam sententia damnatus dici possim. Nam quod ad causæ summam, atq; iudicij euentũ pertinet, dum in uos quidẽ et rẽ ipsam intueor, optima interim conscientia fretus, dignum innocentia mea rei exitum expecto. Dum uero aduersariorum potentiam & uetereum, iniquissima fortuna circumuentum considero, per quã tenuis mihi spes salutis ostenditur, planeq; ignoro, quo pacto & animo meo satisfaciã, & huic tempori commode seruiam. Siquid.n.unq̃ fuit, quo cuiusquã existimatio & status, iudicio euerti possent, id certe omne in causam nostrã cecidisse atq; confluxisse uidetur hoc tempore. Primum popularis istorum actio, cuius me uel solo nomine statim oppressum iri accusatores mei confidunt, nã se pro patria in huius reip. hostem pugnare contendunt. Deinde summa gratia, qua minime mirũ est, primarios adolescentes aduersus hominem nouum & adhuc penẽ alienum superiores esse. Tum uero mira quædam agendi, pronunciandiq; facilitas, qua me ad ultimas Gallici Germaniciq; oceani oras natũ facile superant. Huc accedit inueterata cuiusdam de Francorum laudibus orationis inuidia, qua me prorsus obrutum, ac quasi uinctum, sententijs uestris trucidandum à se obiectum esse gloriantur. Quod si cætera mihi cũ eis essent paria, illud quidem duriore me loco constitueret, quod cum ita natura cõparatum sit, ut conuicia atq; crimina in alios uel temere cõiecta, libenter excipiamus, eos uero, qui uel necessario se laudant ipsi, ferre nõ possimus, id apud istos sit, quod uoluptatem nõ mediocrem auditoribus afferat, id mihi relictum, quod sine stomacho nemo facile audiat. Quod si maiorem naturæ q̃ causæ meæ rationẽ duxero, ut de me neq; libere neq; magnifice loqui interdum ausim, nihil omnino habere uidebor, cur uos me ciuitate uestra dignum iudicaueritis. Sin id retulero, de me ipse dicam necesse erit, ac simul in arrogantiæ suspicionem uobis ueniam, quã me in hoc orationis meæ principio deprecatum esse maxime uelim existimetis. Nam quod illos, cum hic tum de se amplissimis uerbis multa disputarent, tum de reip. statu non pauca dicerent, tum uero in me atrocissime perorarent, non tam libenti Senatu auditos esse intelligo, q̃ secũda concionis uoluntate fuerant usi, affert id ipsum mihi quidem spẽ nõnullam, sed mihi nihilominus tamen uenit in mentem subuereri, ne multorum animi, assiduis eorum criminationibus occupati atq; incensi orationem meam repudient, mihiq; de me & pro me dicenti non adeo pateant. Nec.n.obscurum est, q̃ arduum sit euellere ex mentibus hominum, semel conceptam animo & fixam opinionem, eam presertim, quæ ad reip. decus, cuius nemo non amantissimus haberi, dicíq; postulat spectare uideatur. In priuatis causis, siquid præiudicati domo attulimus, etiam

ueritati repugnamus. Quid de iudicijs loquor? In quotidiana consuetudi-ne, siquid nobis temere exciderit, nō solum siqui l apud nos constituimus, id ferè aduersus omnem humani ingenij rationem pertinacitur tuemur. Adeo plerisq; omnibus insitum est, quancunq; opinionem ab initio men te comprehenderint, eam quo iure, qua iniuria ad extremum perferre. Quæ simul omnia cum mecum cogito. P. C. non uestra mihi solum reli-gione & sapientia, aduersus multorum præiudicia opus esse uideo, sed patrono etiam aliquo cum eloquentiæ facultatibus instructissimo, tum uero gratia & authoritate florentissimo. Cui si pro me dicendi pc testas fieret, audiretis profecto & confirmatas accuratius causæ nostræ rōnes, & confutatas liberius aduersariorum meorū calumnias. Verū quando id nobis integrum nunquā fuit, & ita sors mea iam inde à principio mi hi infesta tulit, ut ego, qui publicæ inuidiæ obiectus, qui omnium suspicio nibus deditus essem, qui nullam in dicendo libertatis partem tenerē, qui à quatuor nobilissimis & in dicendo uehementissimis adolescentibus accusatus essem, tamen à me uno defenderer, uestræ fuerit iustitiæ. P. C. homini innocentissimo quidem mihi, & nominis, deus immortalis, Ro-mani studiosissimo, sed impotenti crudeliq; aduersariorum meorum con-spiratione in summam inuidiam adducto & abiecto, adesse, atq; eo me-liore mente uerba mea audire, quę planè æquius est., causæ nostræ humi-litatem magnis istorum opibus diu afflictam, tandem amplissimi ordi-nis æquitate erigi atq; recreari. Ac ut statim intelligatis, q̄ nulla sceleris conscientia territus, q̄ pura mente atq; integra in iudicium descenderim, non commemorabo ea uobis, quæ sunt certe maxima meæ in Po. Roma-num obseruantiæ argumenta. Quod hoc ætatis relicta, ne quid amplius dicam, germana patria, una rerum literarumq; uestrarum admiratione tractus, ab extremis Galliarum Germaniarumq; finibus huc uenerim, quod apud nullos, præter quàm ciues Romanos diuerterim, quod patriæ propemodum oblitus, nihil cum Gallis, nihil cum Germanis domestici usus hoc triennio habuerim, quod cū eo nomine magna apud populares meos inuidia flagrarē, in sententia constanter perstiterim, quod in maio-rum uestrorum dictis, factis laudandis fuerim, mea quidem sententia mo-dicus, nonnullorum autem iudicio nimius, et quasi prodigus. Nolo hæc inquam. P. C. innocentiæ meæ fidem uobis ullam faciant, sed illud ucs unum non nihil commoueat, peto, quod simul ac mihi dies dicta est, ni-hil omnino recusarim, uadimonium cōstitim obierim, iudicium uestrū, nulla reiectiōe interposita, intrepide subierim. Quāquā audiebā nōnul los, qui me cupidissime essent damnaturi, hoc in consessu uobiscum affu turos, haud ulla quidem mea iniuria prouocatos illos, (quē.n. ego morta

lium unquam prudens offendi? sed inimicorum meorum impulsu atque calumnijs incensos. Quos tamen ne sic quidem mihi reijciendos putaui, ne in meo uel quantumuis iusto metu, atque adeo in aperto discrimine, de ciuis Romani cuiusquam æquitate uidear dubitare. Nihil hic dico P.C. quam magna sit uis conscientiæ in utranque partem, ut neque timeant, qui nullius sibi fraudis conscij sunt, & pœnarum metu semper trepident, quos suum facinus, suum scelus urgeat, ut uos mihi disceptatores libens constituerim, cum isti à me & Senatus authoritatem imminutam, & Po. Romani maiestatē læsam esse criminarentur. Id sanè haud temere facturus, nisi causæ meæ cōfiderē, presertim cū in multitudine mihi partim obscurius iniqua, partim nō dissimulanter infesta, tā multa audirem, tā multa uiderē, plura suspicarer, nonnulla ēt merito crederem. Tantum à uobis, qui nihil istis de me credendum putastis, ut quo semper in nos fuistis animo, eo nunc quoque sitis, peto. A uobis autem, quos inimicorum meorum improbitate mihi parum æquos redditos esse intelligo, ut iudicium de me uestrum, usque dum pro me dixero sustentetis, postulo. Perorata enim & cognita causa, liberum uobis erit, aut in ea, in quam isti uos adducere conati sunt, sententia permanere, aut si de innocentia mea uobis constiterit, me authoritate uestra in ciuitate retinere. Et quoniam multo isti plura in me falso contulerunt quam de re ipsa dixerint, qui me Macliniæ, nobili quidem, & illustri oppido, sed hinc longe tamen trans alpeis natum esse non ignorarent, et ab oculis auribusque uestris procul ætatem egisse scirent, atque ex eo sibi multa impune fingendi, datum esse locum arbitrarentur, date hanc mihi. P.C. ueniam, ut de superiore mea uita, pauca ipse apud uos dicam. Nam cum uerum ex me omnino audietis, tum etiam, uti spero, à uobis perficietur, non modo uti uobis mores meos purgatos probatosque existimetis, sed etiam ut plenius causæ huius ratio tota intelligatur. Neque uero me propter istorum calumnias cum uestro beneficio atque iudicio, ciuis Romanus sim à Ciuium uestrorum numero segregandum esse iudicetis. Ego enim. P.C. ut primum literis uestris ad humanitatem informari potui, statim à parentibus, Lutetiam Parisiorum sum missus, annum tum quidem adhuc octauum agens, sed uel id ætatis, nec ab litteris abhorrens, nec propinquorum meorum sententia immaturus, qui in celeberrimo illo optimarum artium atque studiorum domicilio iam tum erudirer atque liberaliter instituerer. Ibi cum annos circiter octo, optimis doctoribus, ac Roberto fortunato Durceo in primis usus, operam bene posuisse iudicarer, profectus sum in Hispaniam cum Philippo Austrio, principe singulari cum felicitate, tum etiam uirtute nulli Regum secundo, cui per eos dies ulterioris Hispaniæ Regnum, Isa

bellæ socrus morte, dotale obuenerat. Fui apud hunc, non quo ipse id ætatis, per me quidē magnopere dignus essem, sed Andreæ Burgonis, qui tū à Maximiliano Cæsare legatus ad filium missus esset, authoritate, et gratia, haud contemnendo uel honoris uel amoris loco. Præeram .n. unà cū Aegidio Vandameo Regijs & sanctioribus illis reconditarꝫ reꝝ notis, quibus hodie unis omnia propè regnorū arcana rectissime cōmittuntur. Verū Philippo paucis post mensibus q̄ Rex salutatus esset uita functo, recæpi me cum regio comitatu in Germaniam ad Carolū filiū eius quē qdem nuper inaudita quadā adhuc, et planè diuina fœlicitate, omni maiorum suoꝝ imperio potitum omnes audiuistis. Hic cum longū propinqui mei, adultam pueri principis ætatem expectare ducerent, erat .n. uix dū annos nouem natus, suadere cœperunt, ut (quod sanè mea spōte facturus eram) elegantioris doctrinæ intermissa haud ita longo interuallo studia tantisper repeterē dū Carolus adolesceret. Tenebar tum quidē adhuc earū quæ dicendi disputandiq; rōnem traderent, disciplinaꝝ studio, uerum arbitratus me nullū non exilē ex eaꝝ cognitione fructum esse percæpturū, nisi iuris etiā uestri prudētia animū excolerem, contuli me Liminū Pyctonum, Aquitaniæ urbē, neq; studiosæ iuuentutis multitudine incelebrem, neq; pontificij ciuilisq; iuris interpretum doctrina, inter eas quidē gentes ignobilem. Ibi cum inter æquales meos, oratorijs, ut fit, cōmentationibus studiosius interdū exercerer, Gallos semel ita à me laudatos esse isti contendunt, ut multum interim de Po. Ro. dignitate atq; gloria uidear detraxisse. Florebat eodem tempore Philippus Decius, aut certe non ita multo postea, magna ingenij doctrinæq; laude ius ciuile docere cœpit Valentiæ. (Colonia uestra hæc est, in Narbonensi prouincia.) Eius igitur uiri fama excitus cum illo profectus essem meq; totum ei tradidissem, paucis quidem annis, sed plurimo certe legum uestraꝝ studio, ita profeci, ut eoꝝ omniū, qui tum Valentiæ consulti numerarentur iudicijs, propter nō contēnendā in ea arte uel scientiā, uel memoriā, cunctis eius ordinis insignibus ornamentisq; cohonestarer. Inde ab amicis Lutetiā reuocatus, bienniumq; in utrisq; subsellijs tum agendo, tum respōdendo ita uersatus ut in centūuirale illud consiliū adlegerer. Tamen, operā mihi planè profudisse, atq; ēt literis uestris indignus semper fore uidebar, nisi dū per ætatē liceret, hāc quoq; urbem uiserem, ex qua leges, ex qua literæ, ex qua religio, ex qua deniq; omnis humanior uita, omnis reꝝ omniū cognitio ad nos emanasset atq; defluxisset. Ita & si paꝝ amicis propinquisq; meis profectionis meæ consiliū probassem, qui me iā florescentem gratia & honoribus illic uiderent, Romam tamen ueni, ut hanc cōmunem gentiū omniū patriā, non modo inspicerem, atq; ita abirem, qui quidem prouincialium multis mos est, neq; enim ut eius populi consuetudine aliquot annos uterer, cuius

lingua, corde, manu, gentes omneis superatas omniū gentiū monumēta
testarentur. Ac quod optabā quidem, id cū aliorꝝ ciuiū uestrorꝝ quotidia/
no usu, tum uero Iulij Tomarotij, atq; Mariani Castellani, uirorꝝ clarissi/
morꝝ hospitio atq; familiaritate sum consecutus. Altero q̃ Romam ueni nō
dum plenè uertente anno, cum mihi decretum esset ineunte tertio domū
redire, conscripsi orationes quinq; de Italiæ ac urbis uestræ laudibus, quæ
essent cum Mariano Castellano dignū mutuæ inter nos caritatis pignus,
& tanq̃ hospitalis quadā tessera, tum uero perpetuum meæ in nomē Ro
manum pietatis argumentum. Interim cum ipso urbanæ uitæ splendore,
atq; iucundissima tot doctorꝝ uirorꝝ captus consuetudine, annū item unū
domo abesse cōstituissem, (quis.n. nō optet in hac hominum luce, in hac
rerꝝ omnium uel claritate uel celebritate diutius uiuere?) contigit etiam,
primum ut me Decimus Leon. Pont. Max, singulari & planè diuina illa
sua liberalitate complecteretur. Deinde ut Marianus Castellanus, Senatu
legitime coacto, ciuitatem mihi à uobis nominatim & peteret & impe/
traret, cum nihil facile minus neq; expectarem neq; cogitarem q̃ ut me in
ciuem uestrum ascisceretis. Quanquā.n. mihi cōscius eram egregiæ meæ
in hanc remp. uoluntatis, qui quadam certe ad Po.Ro. naturæ adiūctio/
ne, nihil moliebar aliud, nisi ut de uobis q̃ optime aliqñ mererer, non me
propterea tamen tanti apud uos esse arbitrari, ut eam mihi ciuitatem ultro
deferretis, quam multis coràm petentibus denegatam esse non ignorarē.
Equidem ut me primum Iac. Busæus, Transtyberinæ regionis tribunus,
cum aliquot suis collegis (quod mihi reiq; publicæ bene uerteret) ciuē Ro
manum uerbis uestris cōsalutauit, nec statim quidnam ille ea sibi oratiōe
uellet intellexi, nec posteaq̃ sanè cognoui, uerba mihi ab eo, qui, cum mi/
hi summa intercederet familiaritas, dari non putaui, quoad M. Torquati
uiri clariss. cæterorumq; qui unà adessent, asseueratione commotus, fidē
tribuno habui, & me uobis, quod esset in more positum ad gratias publi
ce agendas comparaui. Hic est uitæ meæ cursus. P.C. hæc studiorum me
orꝝ ratio, hoc annorꝝ undetriginta spatium, in quo illud modo unū ab
istis grauius reprehenditur, quod iam olim Pyctauij adolescentulus ipse
in quadam adolescentulorum concione, contra Po.Ro. dignitatem acer
bius locutus esse existimer. Non.n. reus sum neq; læsæ religionis, neq; sa/
crilegii, neq; furti, neq; paricidij, neq; stupri libidinis ue ullius, breuiter,
non criminis alicuius de quo iudicia publice priuatim ue more maiorū
constitui soleāt. Ac ita profecto sese res habet P.C. sic capite periclitor ni/
hil ut in nefario crimine mihi ab istis ponatur, sic de omnibus fortunis
decerno, non mihi ut factorum meorum, quæ uel inimicis meis proban/
tur, sed dictorum, immo uero nugarum ac leuissimorum puerilis ætatis
rudimentorum ratio hodie reddenda sit, parum medius fidius sano accu

fatorum meorum consilio, qui ob scolasticam nescio quam declamatiun
culam has tantas in urbe terrarum principe turbas, ne seditiones dicam
sibi excitandas putauerunt. Neq; uero is ego sum P.C. qui uel cuiusquã
in patriam studio offendar, uel me ab istis in capitis iudicium uocatum
esse acerbius feram. Scio enim eam esse causæ huius rationem, ut et si ego
longe absim à criminis scelere, potuerint tamen isti suspiciose aliquid de
oratiuncula illa dicere. Sed illud mihi nouum & perquam iniquum sa
nè uisum est, quod statim à dicta mihi die, animum ad uim minasq; con
uerterint, quasi me non tam in iudiciũ adducere q̃ ad cædis causam huc
elicere uoluisse uiderẽtur. Nam quod modestissimi eorum inimicitias mi
hi denunciarunt, quod populum uicatim ambierunt, quod ut alio exula
tum mitterer à se perfectum iri iracunde insolenterq; gloriati sunt, id ego
quidem moderate mihi ferendum censeo. Sed quid cæteris opus fuit, ope
ras conducere? sagatos medio foro uolitare? plebem in me seditiosissimis
concionibus incitare? Quæ quidem ut non tam ad præsens exitium perti
nuerint meum, quàm ut ego eo tumultu perterritus atq; debilitatus deser
to uadimonio ex urbe profugerem, qui tamen hæc tam facile miscent, &
palàm impuneq; turbant, ij certe & ciuilis uitæ moderationem omnem
euertunt, nec se certo ullo consilio aut iudicio duci, sed cæco aliquo animo
rũ impetu perturbatos ferri atq; raptari ostendunt. Vt iam illud minus
uobis mirum esse oĩno debeat, eos nullo more, nullo exemplo hoc accu
sandi munus sumpsisse, sumptum neq; pro legitimo Quiritium iure, neq; ul
lo iudiciorũ ordine atq; instituto obiuisse. Descenderunt .n. ad me accusan
dum. P.C. non ut publicas, quod q̃dem præ se uulgo ferunt & ostentant
iniurias persequerentur, sed partim inuidorũ inimicorũq; meorũ ꝯsilijs ad
ducti, partim insignis illius repulsæ, quã in amicorũ suorũ petitionibus re
tulerunt, dolore concitati, partim alienæ uirtutis, cuius ipsi splendorẽ ferre
nõ possent, honore incensi, partim etiã ut in populari admodũ causa opes
suas ostentarent, et per nõis nostri insectationem honori uelificarentur suo.
Atq; ut uobis statim liqueat P.C. istos neq; quã hic sustineãt ꝓsonã adhuc
scire, neq; eorũ q̃cquã quæ mihi obiecerũt, planũ ab eis factũ esse, primũ
de eo dubitare neminem arbitror, nunq̃ uestra, ut imperatorũ fortasse ue
strorũ aliq̃n, fuisse retrectata iudicia. Deinde nõ esse priuatorũ, sed nec cu
iusuis etiã Magistratus, Patrũ decretis intercedere, ueruntamen eorũ dũtaxat, q
eadẽ potestate sũt qua ij, q senatus ꝯsultũ facere possunt, hoc ẽ tribunorũ
plebis, quos isti regionũ capita cur hic semꝑ appellarint, nõ sanè dispicio.
Postremo ita deniq; intercessiõis eorũ rõnẽ haberi ꝯstat, si nõdũ facto. S.
C. morã decreto afferre cœperit. Hic ego uos. P.C, ipse appello, si equĩtes
.n. (ut in legitimo senatu pateret) eo affuistis, quo ciuitate donatus sũ die
Nũ cũ de me relatũ est, tribunorũ q̃sq̃ intercessit? Nũ rogãtibus sententias

cõſulibus, aut Prætor, aut Aedilis, aut Quæſtor, aut alio magiſtratu quis q̃, aut deniq; ſenator ullus, nõ dico acclamauit, ſed omnino hæſitauit? Quod ſi me ampliſſimus ordo ciuitate & maximo conſenſu & ſingularibus uerbis donauit, atq; ipſa ſenatus authoritas iã perſcripta eſt et ſancita neq; uero tribunorũ plebis ullus hodie quominus diplomata mihi expediantur, intercedat, nõ uideo quanã iſti adoleſcẽtes uel authoritate uel fiducia freti, quos priuatos eſſe nemo neſcit, ſenatus conſultum ueſtrũ tã iuſtũ, tam legitimũ tanta ſanctionis pœna circumſeptum & munitum induci poſtulẽt, à uobisq; tam improbe petant, ut quod heri publice decreuiſtis, id hodie palàm reſcindatis, magno quidẽ meo periculo, ſed ꝑpetua quoq; quã Deus auertat, S.P.Q.Ro. nota. Nec.n. dubiũ eſt, quin ſi uos decretũ ueſtrũ ipſi, ad iſtorũ poſtulationem antiquetis, unà cõſtantiæ ueſtræ labefactetis nomen, fateaminiq; aliquid à uobis cõtra atq; liceret eſſe conſtitutũ. Quod quis credat? Profecto apud oẽs iuſtum & ſanctum hẽtur, quicquid ampliſſimus ordo decreuit, ẽt ut id aduerſus nõ nullorũ rõnes atq; cõmoda contendat: Senatus (ſi neſcis bone adoleſcens) legis cõdendæ ius hẽt, ac propter aliquã uulgo ignotã rerũ utilitatẽ, iuris quoq; uim innouãdi. Quod ſemel conſtituit, ratum id eſt, nec ratio eius reddenda, ſed nec oĩno exquirenda eſt. Quin tolerandæ ſunt ẽt leges uel iniquæ, ne dũ tabulas facile figimus, atq; refigimus, oẽs in diſcæptatiõẽ uocemus qñ nõ nemo aliqd ſemꝑ fingere poſſit, quo leges rõnibus ſuis aduerſæ abrogentur. Gratificantur hic uobis nunc accuſatores mei. P.C. ab ignaris rerũ mearũ ciuitatem mihi ĩprudẽter cõmunicatã ſignificãt. Quaſi uero, qđ in priuato aliquo uix feras id in ꝯſilio publico tolerabile qſq̃ ducat, nec leuius multo ſit, Senatũ Po.Ro. ꝯſulto aliqd feciſſe qđ nõ liceat, quã oĩno neſciuiſſe qđ liceat, aut temere officio ſuo ꝑfunctũ fuiſſe. Verũ quanã hic frõte uos rerũ mearũ ignoratione ad hunc mihi deferendũ honorẽ inductos eſſe calũniantur, haud quaq̃ ignari, hanc eſſe ueſtri inſtituti, nunq̃ ſanè à uobis neglecti, rõnem, ut nõ prius aliquem in ciuẽ aſcribatis, q̃ ueſtri ordinis duo, de cõſilij ſententia ſuꝑ eius, q aut coràm, aut ſui abſentis rõnem haberi petit, cõditione trinundinũ ſtudioſe inqſierint, ſenatuiq; renunciarint, qđ de hoĩnis moribus et uita priuatim, exiſtimatiõe et inſtitutis publice cõpertum habeãt. Itaq; ſi nihil horũ à uobis anteq̃ me ciuitate ornaretis factum eſſe tranſactumq; contendunt, (ut nihil hic de ſtulta eorũ et inſigni arrogantia dicã, q uos inertiæ impudentiæq; hic cõdemnare audeãt) qbus nã alijs aut certe grauioribus id eis probẽ teſtibus, q̃ ampliſſimi ordinis, ideſt hoc ueſtro ipſorũ cõſeſſu? q uetuſtum morẽ, & legitimos ingrendi dies, ni alia, hac profecto in te diligenter ſeruatos eſſe nõ ignoratis. Sin aũt, qđ leges ueſtræ in donãda ciuitate fieri præſcribũt, id a uobis rite atq; ordine factũ eſſe nõ negant, deſinant aliqñ ueſtrã in rebus meis ſcientiam

desiderare, et senatus imprudentiã impudentiæ suæ ꝑtendere. Enimuero
si ab ijs, qbus ex qrendi negociũ dedistis, Senatus maximis de rebus, sine
dolo malo meo cælatus esset, atq; ea isti uobis oĩa indicassent, nihilo tñ
magis ea mihi res apud æquos iudices fraudi puto sit, q̃ siqs uestrũ nõ cõ
temnendo munere aliquẽ prosecutus, mox ab eodem nescio qd in se olim
dictũ resciuisset, atq; eo liberalitatis suæ rescindendæ ius sibi esse arbitrare
tur. Vt .n. hic eã iniuriã, si nõ ab re profecta sit, possit aut sapiẽter dissimu
lare, aut moderatè ferre, si temere iactata, aio uel magno cõtẽnere, uel hu
mano ridere, uel liberali condonare, uel imbecillo ẽt dolere, nõ item dona
tionẽ ipsam reuocare, sed suã potius uel in habita statim fide, credulitatẽ,
uel in donãdo imprudẽtiã incusare. Sic certe. P. C. siqd uobis legati mi
nus fideliter renũciassent, quos qdẽ in eo fungendo munere, summã con
stat adhibuisse diligentiã, uelletis tñ (scio) uos qdẽ uestræ liberalitati gra
uitatiq; constare, presertim cũ ne ex conscientia oĩno mea ciuitas mihi, aut
petita sit aut concessa. Ego q̃dem eã rẽ, simul ac mihi nunciata est, non
modo ratã habui, sed illustri ẽt gratia excæpi, ueꝝ quæ mea in eo tandẽ
culpa, qđ cõmemorandũ illud & planè diuinũ uestrũ de me iudicium,
quo à uobis in ciuitatem Romanã absens uocatus sum nec supbe flocci
pẽdi, nec à me neglectũ ingrate simulaui, atq; adeo multũ in eo tuendo
operæ mihi ponendũ existimaui. Improbe sanè facitis accusatores mei, q
cũ meã deniq; culpã præstare debeã, alienæ me reum subijcitis, q̃q̃ nec
aliena ista, quod equidẽ sciã, apud ullos omnino resideat. Et qã uos. P. C.
tertio quoq; orationis suæ uerbo, ad eripiendã mihi ciuitatem, insolenter
cohortabantur, discant hic hoĩes paꝝ. s. in foro uersati, quid .n. aliud dicã
sed discant primũ, ius à maioribus uestris ita cõparatũ esse, ut nemo hãc
ciuitatem, ne populi quidẽ iussu amittat, nisi ipse eiusce rei author factus
sit, & exilio sibi ciuitatem abiudicarit, aut in eam iam sit recæptus, quo
uertendi, mutandiq; soli causa sese contulisset. Deinde eam esse donationis
uim atq; naturã, ut ob admissum ante liberalitatem facinus nullũ, reuoca
ri iure possit. Quinq; .n. tantummodo sunt causæ, quamobrem accæpto
beneficio, munificẽtia irrita fieri soleat. Si beneficiarius eũ cuius liberali
tate rẽ auxit, atroci iniuria afficiat. Si uerberet. Si fortunis spoliet. Si in ui
tæ discrimen præcipitet. Si dictæ in donãdo legi nõ pareat. Nihil me aũt
eoꝝ postq̃ à uobis ciuitate donatus sum, in Po. Ro. admisisse nec ante me
potuisse ingrati aduersus uos animi crimen contrahere quàm uestro ipsi
me bñficio deuinxissetis, neminẽ dubitare arbitror. Tũ uero illud cogitẽt,
munus quo à uobis nuper honestatus sum, eo liberalitatis genere ad me
profectũ esse quo oẽs iuris periti uno donationẽ definierũt. Donastis .n. me
ciuitate, nullo qdẽ meo hãc in remp. merito prouocati, premiũ .n. hoc esset
et merces nõ beneficiũ, sed ea sola de causa, ut liberalitate munificentiaq;

uestra me pplexeremini. Nisi qs fortasse uestrũ, Marianũ Castellanũ audiendũ ẽt nunc censeat, q se mihi hunc honorẽ eò quæsiuisse affirmaret, ut hac quoq; in parte maioꝝ suoꝝ instituta longo interuallo relata atq; repetita cerneret, qbus mos fuisset, qcquid usq̃ gentiũ aut ingenio, aut opibus, aut doctrina, aut industria, aut cæteris animi fortunæq; ornamentis egregiũ existeret, id oẽ magna ꝓquisitum cura, diligenter huc transferre atq; traducere. Quasi uero tale qcq̃ in hac mea reꝝ omniũ mediocritate reperiretur, q præter dedituum huic reip. animũ & singularẽ erga Po. Ro. uoluntatem nihil isto uestro beneficio dignũ mihi posse uideor præstare. Atq; hæc oĩa. P. C. haud ita qdẽ longa oratione à me collecta, sed uobis nõ ignota, & iccirco perinde ut in transcursu, admonendi uestri, nõ docendi gratia pressius cõmemorata, eò spectant, ut cognoscatis accusatores meos, legum, iudicioꝝ, ꝯsuetudinis uestræ prorsus ignaros, dicã an cõtemptores, ad mihi facessendũ periculũ inconsiderate procurrisse, nec tam de capite meo, qd haud scio an mihi esset tolerandũ, q̃ de perturbatione iudicioꝝ oĩum, atq; adeo de leuitatis nota, quod qdẽ dissimulare nõ possum, amplissimo ordini inurenda certare. Atqui nolim summo iure cum istis agere quos neq; quemadmodũ lege agi, neq; ut iudicia ꝯstitui oporteat, posse aut rõnem ullã oĩno ducere satis opinor perspicitis. Quare tametsi iã exploratũ habetis, causæ meæ rõnes tam expeditas atq; explicatas esse, ut nec de iure meo dubiũ cuiq̃ esse possit nec hæc res in iudiciũ oĩno uocari debeat, de meo tñ iure decedebã, & eis quod alius nemo ꝯcederet, ego ipse, tum innocentia mea tectus, tum æqtate uestra fretus ꝯcedam. Do istis igitur, quẽadmodũ imperatoꝝ, sic etiã senatus iudiciũ aliqñ retrectari posse, qđ sanè neq; æquũ est, neq; ullo unq̃ exẽplo recæptum. Do priuatæ ꝯditiõis adolescẽtes, Patrũ decretis intercedere, qđ ius nõ esse Tribuniciæ potestatis ius aperte declarat. Do factã publicã authoritate consilij donationẽ, sine ulla inconstantiæ suspicione antiquari, quod cuiusmodi sit ipsi uidetis. Do quod nullo fieri queat modo, me ingratum erga uos ante esse potuisse quàm bñficiũ à uobis accæperim. Do si qd aliud sibi assumũt, quo iudiciũ more maioꝝ ꝯstituatur, hoc. n. si & per uos meo mihi iure uti licebit, & ipse uelim, nõ consistet. Sed quid est tandẽ, quãobrẽ me de ciuitate tollendũ contendunt? quonã tanto meo maleficio, me Italiæ inimicũ, huius reip. hostem indicari postulant? Num hostes Po. Ro. concitaui? Nũ barbaros armis commeatu'ue iuui? Num opera dolo'ue malo meo consiliũ initum est, quo magistratus Po. Ro. qui'ue imperium aut potestatem haberet occideretur? Num deniq; aliquid à me commissum, quo Po. Ro. magnitudo uel insignite læderetur, uel atrox aliquod uulnus acciperet? Nihil huiusmodi obijcitur. Graue tñ sit aliquid oportet, quare me de ciuitate pellendum, tanq̃ Italiæ inimicũ, tanquã Po. Ro. hostem uociferẽtur.

Quid n. tm istuc tandē est? Attendite quæso, P. C. Noua & ante hunc diē inaudita crimina audietis. Fas esse negant me ciuium Romanorum haberi numero, quē ipsi Gallum esse hominē, quem indoctum, quem ignobilem, super hæc, quem in Po. Ro. olim scripsisse, contendant. De natiōe, literis, genere meo, postea uidebimus nunc de inuidiosa illa dicam oratione, quæ mihi tantam tempestatem, tantum in hac urbe turbarū conflauit. Nam cum in ea demum istis sint omnia, primum de eo ipso, quod quasi atrocissimum posuerant, mihi dicendum esse arbitror. Ac ut nobis statim constet. P. C. nihil eos certi probatiq; attulisse, quod me etiā nobis ostensurum esse initio sum pollicitus, liceat mihi accusatorē meum priusq̄ in causæ nostræ defensionem ingrediar hic interrogare, sic enim plenius spero cognoscetis, nulla iusta de causa ad hāc accusationem descendisse illum, sed inimicorum meorum calumnijs inseruientem huc temere progressum, mihi periculum gratis facessere. Heus tu ingeniose adolescens, non id potissimum habes, quod mihi crimini des habitam à me olim in Po. Ro. orationem? hoc si nego, qui me conuincis? An te concioni interfuisse mentiere? Non mentieris puto, nec enim tam impudens es, ut te uel in Gallia fuisse ausis dicere, in cuius oppido quodam, nuper ne nomine quidem tibi cognito, eam á me habitam esse affirmares. Nec sanè si interfuisses, iam meminisse possis, aut certe tum intellexisses, natus (nisi me corporis istius habitus barbatulaq; ista tua facies falsum habet) annos plus minus nouem, cum illam ante annos amplius undecim à me dictā esse fateare. An ab alijs id accæpisti? quibusnā ijs? Italis' ne, an Gallis? a Gallis iuxta & Italis? cur igitur non edidisti testes? immo cur non produxisti iuratos, qui id pro testimonio dicerent, quod ego neq; testatum, neq; notum esse contenderem. Nam uel Italos, quos quasi de domo uestra productos, atq; in rem quodammodo suā testimonium dicturos, meo iure possim refellere, in me rogari siuissem, neq; eos sanè q̄cquam interrogassem. An delationi tuæ, astipulatorumq; tuorū calumnijs, tantum uel fidei uel authoritatis inesse putabas, ut tibi sine testibus, sine testificationibus, sine ullis monimentis, in re tam ardua & capitali iudicio. S. P. Q. R. statim crederet? At prorsus ea summa est hominum opinio, quasi uero me rumoribus hic damnandum censeas, quibus nō nemo etiā innocentissimus opprimi queat, inimicoꝝ fraude falsos sermones dissipantiū. Scilicet te in ꝯciōe, Po. Ro. crimen planum fecisse, & hic accusatoris munere perbelle defunctū gloriabere. si quod nuper ex magistro tuo accæpisti, nunc nobis totidē uerbis reddas. Audieram & fama fuit, illius potius in mentem tibi uenire debuerat. Fama malū, quo nō aliud uelocius ullū. Sermo ē. n. sine capite, sine ullo certo authore diuulgatus cui potuit initiū dedisse inuidoꝝ meorū iniq̄tas, accessionē attulisse imp̄itæ multitudinis credulitas

Videtis.P.C.q̄ isti magnum & sibi nectendis calumnijs et mihi ad ine
ptias huiusmodi irridendas campū patefaciant, quise ex uulgi opinione
periculū nobis legitime facessere existimant. At.n.argumētū huiusce rei
habent, orōnem q̄dam sub noie meo de laudibus Francoꝝ inscriptā. Vti
nā.P.C.graue aliquod firmumq; indiciū nobis proferrent, nō quo cuiq̄
optandū sit, ab aduersarijs cōuinci, aut eas ipse partes egisse uelim, sed ne
si, (quod Deus auertat) causam isti obtinuerint, ad cæteras meas calami
tates, id etiā accedat mali, ut sub frigidissimis, et hoc q̄dem in genere in-
fantissimis accusatoribus dicar in optima ipse causa concidisse. At uero ti
tulus Christophoꝝ Lōgoliū arguit authorē. Mea autē hic, an aliena ma
nu conscriptus index? aliena.s. Quid igitur, si librarius nomen alieno ope
ri induxit meū? alieni me criminis reū constituetis? Nec.n.nouum est.P.
C.nec inauditum, sed tam usu frequens q̄ passim impune, adūbratis au-
thoribus scripta aliena & interdum etiā sua peruulgare. Sic de proprie
tatibus elementoꝝ commentarij, de secretis item ad Alexandrū libellus
Aristoteli falso attribuuntur. Sic insomnia, sic Magi bucula Platoni ascri
buntur. Ad Herennium Rhetorica, á Cicerone scripta existimantur. Pu
lex ille et Vetula ad Ouid. Nasonem referuntur. Impudica in Priapum
carmina Maronis noie circunferuntur. Nec sit sanè exemploꝝ modus, si
quis omnia persequi uelit, qū uel hodie Ianus Parrhasius (quem uirum
honoris causa nomino) nominis sui authoritatem quibusdā libris uulgo
ascriptam esse non sine causa conqueritur, ut nemini planè non paratum
sit periculū, si in iudicijs ea statim recipientur, quæ librarioꝝ quæstuosa
uel malitia uel stultitia, passim eduntur. Nec me hic tandem, quod neces
sarios meos soles, interrogaueris. Cuius ergo hæc est oratio? ignorare me
dicam. Est.n.(ne forte nescias) eius qui accusat insequi et probare, qui ue
ro recuset, fugere & negare, etiā ut factum impune fateri possit. Nā uel
illæ quibus in iure aduersarios interrogamus actiones, ijs qui rei capitalis
nomen deferunt, publicoꝝ iudiciorum usu denegantur. Quod si huc per-
cunctatum uenisti, agnoscam orationē nec ne? cur me tanti criminis reū
detulisti, de quo tibi necesse est uti me adhuc roges, quia omnino nescis.
Et quoniam, quod mihi Christophoro Longolio nomen est, me illius li-
belli authorem esse pertinaciter contendis, quasi nomina conueniant, ce-
do nunc, an nō Beroaldi duo, prænomento Philippi, paucis ante annis
in Italia floruerūt? eadē ætate ambo? nō indocti ambo? Bononiēses ābo?
an nō ab uno facile cōscribi potuit, quod alteri ascriberetur? Nō hoc (scio)
negabis, quare nec in eo q̄dē dubitaris, posse Christophoros Lōgolios re
periri duos, quoꝝ alter ob alterius culpā i discrimē atq; inuidiā uocetur.
Age uero fac à me apud unū et alteꝝ orōnē illā agnitā esse, cuius tū rei
fidē nullā his possis facere, nō continuo tamē meā esse uicisti, nec q̄d extra

iudicium temere essem professus, id me in iure ipso (ubi sola eaq; non uerbis et coniecturis collecta, sed è re nata & perspicua ueritas æstimatur) ullo præiudicio onerarit. Quid? quod multos uestrum hic uideo, quibus eam mihi falsò ascribi, sæpenumero sum testatus? quod uos quoq; accusatoris mei persæpe uulgo iactastis, dum atrocitatem eius adaugere conaremini. Quo quid manifestius, ne uobis quidem ipsis, nedum amplissimo ordini adhuc liquere, ea oratio à me, an ab alio quopiam conscripta fuerit? nisi fortasse quadraginta his diebus quibus in me, absentem debacchati estis, Gallos aliquot homines huc adduxistis, qui testimonium in me secundum fidem & religionem grauissime dicerent. Quod si testem in me nullum produxistis, nec ullum omnino huc adducere iam potestis, eam à me habitam si nego, qui docebitis? Deuolabitis s. impigri in Gallias atq; Germanias, ac interea dum pro me dico, inde excitatos in me testes q̃ mox hic sistetis, aut certe obsignata testimonia nihil dum misso senatu deferetis, q̃q̃ testibus non tabulis accusatorum leges Romanæ fidem haberi noluerunt. Neq; uero hæc à me tam multis disputantur P. C. ut me aduersus istorum crimina inficiationis præsidio munirẽ. Nã neq; iam periculum est ut prius opprimar q̃ facti mei rationem attulero, neq; ea certe quæ mihi obijciuntur, tam grauia sunt quàm isti uideri uolunt. Sed iccirco illa omnibus uestigijs indagata atq; collecta posui, ut perspicere possetis, odiose & inuidia occæcatos illos accusationem in me prius apud uos tenuere instituisse, q̃ eam inter se diligenter adornassent ipsi atq; instruxissent, tametsi, si uera sunt quæ audio, duobus amplius mensibus bene multi dicendi magistri, ea una in re commentanda componendaq; occupati, industriam omnem posuerunt, & tempus omne consumpserunt. Habeant igitur confitentem reum, quo nihil sanè optare potuissent malus. Neq; enim, si uerbo negarem, quo progrederentur iam haberent. Agnosco orationem, quã isti tã solicite circunferunt, quã tã studiose præcidunt, omnibus legendã porrigunt, eandem olim à me Pictauij habitã confiteor. Num in ea tamen tantum mali, ut propterea me, quem de maiestate postulant, tragica sua uoce Italiæ inimicum, huius Reip. hostem personarent? quanquam neq;, ut ob eam rem maiestatis reus fieri potuerim satis itelligo, qui eo quidẽ tempore, cum illa declamarem ciuis Ro. non essem. sed fuerim sanè tum Romanæ ditionis, qua me tandem lege perduellionis compelles? Non quidem Iulia, qua una cum uindicentur crimina, quibus quid aduersus Po. Romanum, securitatem ue eius cõmittitur, nemini tamen de linguæ lubrico accusationẽ poni uoluit atq; adeo nominatim uetuit, ut cuiquam fraudi esset, improbo petulantiq; maledicto principis Populi maiestatem lacessiuisse. Ut sit (inquit) modestiæ ne-

ſcius, pudoris ignarus, imperij obtrectator turbulentus, durum tandem aut aſperum aliquid ne ſuſtineto. Agnoſcitis legis uerba? Viderũt profecto maiores noſtri (cur. n. maiores ueſtros, meos quoq; nõ appellẽ, ſi me ciuitate donaſtis, ſi iure quiritũ legitimo, quoad de retinendo expellẽdo'ue ciue quæritur, uindiciæ ſecundũ ciuitatem dantur?) uiderunt id inquam maiores noſtri, quod ſuapte natura æquũ erat, liberorũ hominũ liberas eſſe oportere uoces, duntaxat ſi eos qui obloquerentur, Reip. nocere non poſſe conſtaret. Dicat aliquis, ſolutũ igitur cuiuis erit, populũ gentiũ omniũ uictorem maledictis inceſſere. Solutum, ſi modo ex maiorũ inſtituto ius dicturi eſtis, quod ipſum quidẽ eò præclare traditum eſſe arbitror, ut neq; indignũ Po. Ro. maieſtate iudicium publice ſuſciperetur, neq; uero de imperij Ro. gloria uerbis unq̃ contenderetur. Ac certe priuatorũ ẽ hominũ iniuriarũ experiri, cæterarũ item fortaſſe gentiũ; contumelijs incitari, unius autẽ Po. Ro. grauitate atq; animi altitudine dignũ, priuatorũ obtrectationes magno animo contemnere, haud ſecus facile atq; uiros forteis & ualẽteis imbecilliũ caniculariũ latratus aſpernari nõ ẽt ulciſci uidemus. Sed nec illis profectò contumeliæ ipſæ impune cedunt, qui de uobis indigne detrahũt. Nã cum nomini Ro. nocere omnino nequeãt, fruſtraq; caninam illã in uos eloquẽtiam ſuam exerceãt, ſtultitiæ ſuæ fama pluſq̃ dici poteſt plectuntur. Itaq; faceſſant turbulentæ iſtorũ uoces, conquieſcat arrogans præiudiciũ, quãdo me lex nulla, nullũ Senatus cõſultum, nullũ plebiſcitum, nulla principis conſtitutio nec maieſtatis reũ, nec hoſtem Po Ro. definiuit, immo uero ab huius nominis inuidia omnia me iura tuentur & liberant, etiã ſi in uos ſtudio & aperte ſcripſiſſem. Videor mihi. P. C. accuſatores meos iam fatentes audire, me quidem neq; in lege Iulia maieſtatis teneri, neq; huius Reip. hoſtẽ dici poſſe, ſed hac omnino eſſe ciuitate indignũ, quod in Po. Ro. olim dixerim. Reſpiraui, iam noxa exẽptus ſum, quãdo nec hoſtis ſum, nec quicquã contra remp. à me factum eſſe iſti iam fatentur: Itaq; diſpicite, utrũ etiam notæ eximũ debeã, an uero tanquã ab indigno ciuitas mihi à uobis, qui ſenatu legitime coacto ea me donaſtis, auferri recte queat, idq; propter eã, quæ præceſſit, non ob eã, quæ beneficiũ ſecuta eſt, culpam. Quid? recte mones, huius quoq; exceptionis defenſionem mihi ademi. Ergo præteriti aduerſus me ratio admiſſi habeatur, nihil recuſo. In Po. Romanũ olim inuectus dicor, ego P. C. ab hinc annos undecim, de Francorũ ac diui Ludouici laudibus orationẽ à me dici memini, in Po. Ro. perorauinunq̃. Inſpicite orationis eius quã iſti tã ſollicite circungeſtant titulũ, Francorũ modo laudes, nõ autẽ ẽt Po. Ro. uituperationẽ pollicetur. Recita inſcriptionem. INSCRIPTIO. Verum illud quoq; animaduertite. P. C. ut me

librarij inscitia Parisiensem inscripserit, dum uel patriæ suæ cupidius studet, uel me emẽtito originis loco nobilitare conatur. Ego.n. Macliniæ sũ natus, Maclinia educatus, Germanicæ linguæ & Cæsarum ditionis oppido, cum alijs laudibus multis illustri, tum uero Philippi & Caroli Hispaniæ Regum incunabulis percelebri: Neq; uero hæc eò dico P. C. ut si Lutetiæ Parisiorum natus atq; procreatus essem, non fuerim apud uos tãta origine etiam gloriaturus, quã cõstat esse omnium, quæ ad septentriones, solisq; occasum pertinent urbium longe principem, sed eo sanè illud dictum uelim, ut intelligatis nulla mea uel conscientia nugas illas, quæ mihi capitis periculũ nunc quidem afferunt, in apertum fuisse prolatas. Nec.n. germana reiecta patria, cuius amore oẽs natura trahimur, alienam ac nihil mihi profuturam originem assumpsissem, si me authore in lucem illæ prodissent. Quod ne hic à me temporis causa componi atque fingi existimetis, recitari uobis mox iubebo literas ãnis nouẽ ante hoc iudicium conscriptas, quibus amicos meos, quos Lutetiæ habeo, nec fortuna nec doctrina obscuros incusabã; quod orationẽ illã me inconsulto peruulgassent, aut certe exire permisissent, nõ eqdẽ quo tum mihi eo noĩe à uobis qcquã timendũ arbitrarer, quorũ à me neq; urbẽ unq̃ uisũ iri sperabã, neq; sanè uoluntatẽ ea re offensam putabã, sed propter planè puerilẽ dicendi speciẽ, quæ uel id ætatis ad stomachũ meũ nõ faceret, mihi ẽt magno dedecori aliquando fore uideretur, ut non possim summã accusatorũ meorũ aut malitiam aut desipientiam; uel potius coniunctã cum prauitate stultitiam & inscientiam satis demirari, qui scribendi genus in ea tantopere laudent, quod mihi ẽt tum penè adhuc prætextato uix lẽte ac fastidiose probari poterat. Cedo duas illas mihi epistolas, quarũ alteram ad P. Brissonem; ad Gothofredum ciuem alterã scripsi. Atqui prius inspicite, ut exolescentes iam; ac fugientes literæ, scripti uetustatem indicent, ne quis eas à me in tẽpus et adhũc usum nuper exaratas existimet. Soleo.n. memoriæ meæ causa, & si nõ magnopere diligenter, soleo tamẽ in lintea huiuscemodi uolumina relatas tum meas, tũ amicorũ ad me literas asseruare. LITERÆ. *Scio qd hic isti. Vt librariũ pstare nõ potueris, et eã à te cõpressam, nunq̃ emanaturã putaris, at certè in Romanos habuisti. Ego qd uobis pauloante professus sum P. C. nõ nihil olim de Frãcorum laudibus, in Po. uero Romani contumeliã consulto nihil unquã dixi. Id titulus ipse si non plene arguit, expendatur exordium, æstimetur etiam totius dictionis argumentum & sententia. Constabit sanè mihi in animo fuisse Francos, quo magis eorum uirtus enitesceret, Romanis comparare, non damnare Romanos. Quod si tum mihi in eam causam ingredienti propositum id erat unum, ostendere Francos, rerum gestarum magnitudine Romanis præstitisse, quo scilicet uobis haberentur*

lium unquam prudens offendi?)sed inimicorum meorum impulsu atq; calumnijs incensos. Quos tamen ne sic quidem mihi reijciendos putaui, ne in meo uel quantumuis iusto metu, atq; adeo in aperto discrimine, de ciuis Romani cuiusquam æquitate uidear dubitare. Nihil hic dico P.C. q̃ magna sit uis conscientiæ in utranq; partem, ut neq; timeant, qui nullius sibi fraudis conscij sunt, & pœnarum metu semper trepident, quos suum facinus, suum scelus urgeat, ut uos mihi disceptatores libens constituerim, cum isti à me & Senatus authoritatem imminutam, & Po. Romani maiestatē læsam esse criminarentur. Id sanè haud temere facturus, nisi causæ meæ cōfiderē, presertim cū in multitudine mihi partim obscurius iniqua, partim nō dissimulanter infesta, tā multa audirem, tā multa uiderē, plura suspicarer, nonnulla ēt merito crederem. Tantum à uobis, qui nihil istis de me credendum putastis, ut quo semper in nos fuistis animo, eo nunc quoq; sitis, peto. A uobis autem, quos inimicorum meorum improbitate mihi parum æquos redditos esse intelligo, ut iudicium de me uestrum, usq; dum pro me dixero sustentetis, postulo. Perorata enim & cognita causa, liberum uobis erit, aut in ea, in quam isti uos adducere conati sunt, sententia permanere, aut si de innocentia mea uobis constiterit, me authoritate uestra in ciuitate retinere. Et quoniam multo isti plura in me falso contulerunt q̃ de re ipsa dixerint, qui me Maliniæ, nobili quidem, & illustri oppido, sed hinc longe tamen trans alpeis natum esse non ignorarent, et ab oculis auribusq; uestris procul ætatem egisse scirent, atq; ex eo sibi multa impune fingendi, datum esse locum arbitrarentur, date hanc mihi. P.C. ueniam, ut de superiore mea uita, pauca ipse apud uos dicam. Nam cum uerum ex me omnino audietis, tum etiam, uti spero, à uobis perficietur, non modo uti uobis mores meos purgatos probatosq; existimetis, sed etiam ut plenius causæ huius ratio tota intelligatur. Neq; uero me propter istorum calumnias cum uestro beneficio atq; iudicio, ciuis Romanus sim à Ciuium uestrorum numero segregandum esse iudicetis. Ego enim. P.C. ut primum literis uestris ad humanitatem informari potui, statim à parentibus, Lutetiam Parisiorum sum missus, annum tum quidem adhuc octauum agens, sed uel id ætatis, nec ab literis abhorrens, nec propinquorum meorum sententia immaturus, qui in celeberrimo illo optimarum artium atq; studiorum domicilio iam tum erudirer atq; liberaliter instituerer. Ibi cum annos circiter octo, optimis doctoribus, ac Roberto fortunato Durceo in primis usus, operam bene posuisse iudicarer, profectus sum in Hispaniam cum Philippo Austrio, principe singulari cum felicitate, tum etiam uirtute nulli Regum secundo, cui per eos dies ulterioris Hispaniæ Regnum, Isa

bellæ socrus morte, dotale obuenerat. Fui apud hunc, non quo ipse id æta tis, per me quidē magnopere dignus essem, sed Andreæ Burgonis, qui tū à Maximiliano Cæsare legatus ad filium missus esset, authoritate et gra tia, haud contemnendo uel honoris uel amoris loco. Præeram .n. unà cū Aegidio Vandameo Regijs & sanctioribus illis reconditarū; rerū notis, qui bus hodie unis omnia propè regnorū arcana rectissime cōmittuntur. Ve rū Philippo paucis post mensibus q̄ Rex salutatus esset uita functo, recæpi me cum regio comitatu in Germaniam ad Carolū filiū eius quē quidem nuper inaudita quadā adhuc, et planè diuina fœlicitate, omni maiorum suorū imperio potitum omnes audiuistis. Hic cum longū propinqui mei, adultam pueri principis ætatem expectare ducerent, erat .n. uix dū annos nouem natus, suadere cœperunt, ut (quod sanè mea spōte facturus eram) elegantioris doctrinæ intermissa haud ita longo interuallo studia tan tisper repeterē dū Carolus adolesceret. Tenebar tum quidē adhuc earū quæ dicendi disputandiq; rōnem traderent, disciplinarū studio, uerum ar bitratus me nullū non exilē ex earū cognitione fructum esse percæpturū, nisi iuris etiā uestri prudētia animū excolerem, contuli me Liminū Pycto num, Aquitaniæ urbē, neq; studiosæ iuuentutis multitudine incelebrem, neq; pontificij ciuilisq; iuris interpretum doctrina, inter eas quidē gentes ignobilem. Ibi cum inter æquales meos, oratorijs, ut fit, cōmentationibus studiosius interdū exercerer, Gallos semel ita à me laudatos esse ipsi conten dunt, ut multum interim de Po. Ro. dignitate atq; gloria uidear detraxis se. Florebat eodem tempore Philippus Decius, aut certe non ita multo po stea, magna ingenij doctrinæq; laude ius ciuile docere cœpit Valentiæ. (Colonia uestra hæc est, in Narbonensi prouincia.) Eius igitur uirissima excitus cum illo profectus essem meq; totum ei tradidissem, paucis quidem annis, sed plurimo certe legum uestrarū studio, ita profeci, ut eorū omniū, qui tum Valentiæ consulti numerarentur iudicijs, propter nō contēnendā in ea arte uel scientiā, uel memoriā, cunctis eius ordinis insignibus orna mentisq; cohonestarer. Inde ab amicis Lutetiā reuocatus, bienniumq; in utrisq; subsellijs tum agendo, tum respōdendo ita uersatus ut in centūui rale illud consiliū adlegerer. Tamen, operā mihi planè profudisse, atq; ēt literis uestris indignus semper fore uidebar, nisi dū per ætatē liceret, hāc quoq; urbem uiserem, ex qua leges, ex qua literæ, ex qua religio, ex qua deniq; omnis humanior uita, omnis rerū omniū cognitio ad nos emanas set atq; defluxisset. Ita & si parū amicis propinquisq; meis profectionis meæ consiliū probassem, qui me iā florescentem gratia & honoribus illic uiderent, Romam tamen ueni, ut hanc cōmunem gentiū omniū patriā, non modo inspicerem, atq; ita abirem, qui quidem prouincialium multis mos est, uerū etiā ut eius populi consuetudine aliquot annos uterer, cuius

lingua, corde, manu, gentes omnes is superatas omniū gentiū monumēta testarentur. Ac quod optabā quidem, id cū aliorum ciuiū uestrorum quotidiano usu, tum uero Iulij Tomarotij, atq; Mariani Castellani, uirorum clarissimorum hospitio atq; familiaritate sum consecutus. Altero q̃ Romam ueni nōdum plenè uertente anno, cum mihi decretum esset ineunte tertio domū redire, conscripsi orationes quinq; de Italiæ ac urbis uestræ laudibus, quæ essent cum Mariano Castellano dignū mutuæ inter nos caritatis pignus, & tanq̃ hospitalis quadā tessera, tum uero perpetuum meæ in nomē Romanum pietatis argumentum. Interim cum ipso urbanæ uitæ splendore, atq; iucundissima tot doctorum uirorum captus consuetudine, annū item unū domo abesse cōstituissem, (quis.n. nō optet in hac hominum luce, in hac, rerum omnium uel claritate uel celebritate diutius uiuere?) contigit etiam, primum ut me Decimus Leon. Pont. Max. singulari & planè diuina illa sua liberalitate complecteretur. Deinde ut Marianus Castellanus, Senatu legitime coacto, ciuitatem mihi à uobis nominatim & peteret & impetraret, cum nihil facile minus neq; expectarem neq; cogitarem q̃ ut me in ciuem uestrum ascisceretis. Quanquā .n. mihi cōscius eram egregiæ meæ in hanc remp. uoluntatis, qui quadam certe ad Po. Ro. naturæ adiūctione, nihil moliebar aliud, nisi ut de uobis q̃ optime aliqñ mererer, non me propterea tamen tanti apud uos esse arbitrari, ut eam mihi ciuitatem ultro deferretis, quam multis coràm petentibus denegatam esse non ignorarē. Equidem ut me primum Iac. Busæus, Transtyberinæ regionis tribunus, cum aliquot suis collegis (quod mihi reiq; publicæ bene uerteret) ciuē Romanum uerbis uestris cōsalutauit, nec statim quidnam ille ea sibi oratiōe uellet intellexi, nec postea q̃ sanè cognoui, uerba mihi ab eo, qui, cum mihi summa intercederet familiaritas, dari non putaui, quoad M. Torquati uiri clariss. cæterorumq; qui unà adessent, asseueratione commotus, fidē tribuno habui, & me uobis, quod esset in more positum ad gratias publice agendas comparaui. Hic est uitæ meæ cursus. P. C. hæc studiorum meorum ratio, hoc annorum undetriginta spatium, in quo illud modo unū ab istis grauius reprehenditur, quod iam olim Pyctauij adolescentulus ipse in quadam adolescentulorum concione, contra Po. Ro. dignitatem acerbius locutus esse existimer. Non .n. reus sum neq; læsæ religionis, neq; sacrilegii, neq; furti, neq; paricidij, neq; stupri libidinis ue ullius, breuiter, non criminis alicuius de quo iudicia publice priuatim ue more maiorū constitui soleāt. Ac ita profecto sese res habet P. C. sic capite periclitor nihil ut in nefario crimine mihi ab istis ponatur, sic de omnibus fortunis decerno, non mihi ut factorum meorum, quæ uel inimicis meis probantur, sed dictorum, immo uero nugarum ac leuissimorum puerilis ætatis rudimentorum ratio hodie reddenda sit, parum medius fidius sano acca

ſatorum meorum conſilio, qui ob ſcolaſticam neſcio quam declamatiun
culam has tantas in urbe terrarum principe turbas, ne ſeditiones dicam
ſibi excitandas putauerunt. Neq; uero is ego ſum P.C. qui uel cuiusquā
in patriam ſtudio offendar, uel me ab iſtis in capitis iudicium uocatum
eſſe acerbius feram. Scio enim eam eſſe cauſæ huius rationem, ut et ſi ego
longe abſim à criminis ſcelere, potuerint tamen iſti ſuſpicioſe aliquid de
oratiuncula illa dicere. Sed illud mihi nouum & perquam iniquum ſa
nè uiſum eſt, quod ſtatim à dicta mihi die, animum ad uim minasq; con
uerterint, quaſi me non tam in iudiciū adducere ꝗ ad cædis cauſam huc
elicere uoluiſſe uiderētur. Nam quod modeſtiſſimi eorum inimicitias mi
hi denunciarunt, quod populum uicatim ambierunt, quod ut alio exula
tum mitterer à ſe perfectum iri iracunde inſolenterq; gloriati ſunt, id ego
quidem moderate mihi ferendum cenſeo. Sed quid cæteris opus fuit, ope
ras conducere? ſagatos medio foro uolitare? plebem in me ſeditioſiſſimis
concionibus incitare? Quæ quidem ut non tam ad præſens exitium perti
nuerint meum, quàm ut ego eo tumultu perterritus atq; debilitatus deſer
to uadimonio ex urbe profugerem, qui tamen hac tam facile miſcent, &
palàm impuneq; turbant, ij certe & ciuilis uitæ moderationem omnem
euertunt, nec ſe certo ullo conſilio aut iudicio duci, ſed cæco aliquo animo
rū impetu perturbatos ferri atq; raptari oſtendunt. Vt iam illud minus
uobis mirum eſſe oīno debeat, eos nullo more, nullo exemplo hoc accu
ſandi munus ſumpſiſſe, ſumptum neq; pro legitimo Quiritum iure, neq; ul
lo iudicioꝝ ordine atq; inſtituto obiuiſſe. Deſcenderunt .n. ad me accuſan
dum. P.C. non ut publicas, quod q̄dem præ ſe uulgo ferunt & oſtentant
iniurias perſequerentur, ſed partim inuidoꝝ inimicoꝝq; meoꝝ ꝯſilijs ad
ducti, partim inſignis illius repulſæ, quā in amicoꝝ ſuoꝝ petitionibus re
tulerunt, dolore concitati, partim alienæ uirtutis, cuius ipſi ſplendorē ferre
nō poſſent, honore incenſi, partim etiā ut in populari admodū cauſa opes
ſuas oſtentarent, et per nois noſtri inſectationem honori uelificarentur ſuo.
Atq; ut uobis ſtatim liqueat P.C. iſtos neq; quā hic ſuſtineāt pſonā adhuc
ſcire, neq; eoꝝ q̄cquā quæ mihi obiecerūt, planū ab eis factū eſſe, primū
de eo dubitare neminem arbitror, nunꝗ ueſtra, ut imperatoꝝ fortaſſe ue
ſtroꝝ aliqñ, fuiſſe retrectata iudicia. Deinde nō eſſe priuatoꝝ, ſed nec cu
iuſuis etiā Magiſtratus, Patrū decretis intercedere, ſed eoꝝ dūtaxat, q
eadē poteſtate sūt qua ij, q ſenatus ꝯſultū facere poſſunt, hoc ē tribunoꝝ
plebis, quos iſti regionū capita cur hic ſemp appellarint, nō ſanè diſpicio.
Poſtremo ita deniq; interceſſiōis eoꝝ rōnē haberi ꝯſtat, ſi nōdū facto. S.
C. morā decreto afferre cœperit. Hic ego uos. P.C, ipſe appello, ſi equētes
.n. (ut in legitimo ſenatu par erat) eo affuiſtis, quo ciuitate donatus ſū die
Nū cū de me relatū eſt, tribunoꝝ qſꝗ interceſſit? Nū rogātibus ſantētias

desiderare, et senatus imprudentiā impudentiæ suæ ptendere. Enimuero si ab ijs, qbus ex qrendi negociū dedistis, Senatus maximis de rebus, sine dolo malo meo cælatus esset, atq; ea isti uobis oīa indicassent, nihilo tñ magis ea mihi res apud æquos iudices fraudi puto sit, q̄ si qs uestrū nō cōtemnendo munere aliquē prosecutus, mox ab eodem nescio qd in se olim dictū resciuisset, atq; eo liberalitatis suæ rescindendæ ius sibi esse arbitraretur. Vt.n. hic eā iniuriā, si nō ab re profecta sit, possit aut sapiēter dissimulare, aut moderate ferre, si temere iacta, aio uel magno cōtēnere, uel humano ridere, uel liberali condonare, uel imbecillo ēt dolere, nō item donationē ipsam reuocare, sed suā potius uel in habita statim fide, credulitatē, uel in donādo imprudētiā incusare. Sic certe. P. C. si qd uobis legati minus fideliter renūciassent, quos qdē in eo fungendo munere, summā constat adhibuisse diligentiā, uelletis tñ (scio) uos qdē uestræ liberalitati gratuitatiq; constare, presertim cū ne ex conscientia oīno mea ciuitas mihi, aut petita sit aut concessa. Ego qdem eā rē, simul ac mihi nunciata est, non modo ratā habui, sed illustri ēt gratia excæpi, neq; quæ mea in eo tandē culpa, qd cōmemorandū illud & planè diuinū uestrū de me iudicium, quo à uobis in ciuitatem Romanā absens uocatus sum nec supbe flocci pēdi, nec à me neglectū ingrate simulaui, atq; adeo multū in eo tuendo operæ mihi ponendū existimaui. Improbe sanè facitis accusatores mei, q cū meā deniq; culpā præstare debeā, alienæ me reum subijcitis, q̄q nec aliena ista, quod equidē sciā, apud ullos omnino resideat. Et qa uos. P. C. tertio quoq; orationis suæ uerbo, ad eripiendā mihi ciuitatem, insolenter cohortabantur, discant hic hoīes parū. s. in foro uersati, quid.n. aliud dicā sed discant primū, ius à maioribus uestris ita cōparatū esse, ut nemo hāc ciuitatem, ne populi quidē iussu amittat, nisi ipse eiusce rei author factus sit, & exilio sibi ciuitatem abiudicarit, aut in eam iam sit recæptus, quo uertendi, mutandiq; soli causa sese contulisset. Deinde eam esse donationis uim atq; naturā, ut ob admissum ante liberalitatem facinus nullū, reuocari iure possit. Quinq;.n. tantummodo sunt causæ; quamobrem accæpto beneficio, munificētia irrita fieri soleat. Si beneficiarius eū cuius liberalitate rē auxit, atroci iniuria afficiat. Si uerberet. Si fortunis spoliet. Si in uitæ discrimen præcipitet. Si dictæ in donādo legi nō pareat. Nihil me aūt eorū postq̄ à uobis ciuitate donatus sum, in Po. Ro. admisisse nec ante me potuisse ingrati aduersus uos animi crimen contrahere quàm uestro ipsi me bñficio deuinxissetis, neminē dubitare arbitror. Tū uero illud cogitēt, munus quo à uobis nuper honestatus sum, eo liberalitatis genere ad me profectū esse quo oēs iuris periti uno donationē definierūt. Donastis.n. me ciuitate, nullo qdē meo hāc in remp. merito prouocati, premiū.n. hoc esset et merces nō beneficiū, sed ea sola de causa, ut liberalitate munificentiaq;

uestra me ꝯplecteremini. Nisi qs fostasse uestrũ, Marianũ Castellanũ audiendũ ẽt nunc censeat, q se mihi hunc honorẽ eò quæsiuisse affirmaret, ut hac quoq; in parte maioꝝ suoꝝ instituta longo interuallo relata atq; repetita cerneret, qbus mos fuisset, qcquid usq̃ gentiũ aut ingenio, aut opibus, aut doctrina, aut industria, aut cæteris animi fortunæq; ornamentis egregiũ existeret, id oẽ magna ꝯquisitum cura, diligenter huc transferre atq; traducere. Quasi uero tale qcq̃ in hac mea reꝝ omniũ mediocritate reperiretur, q præter deditum huic reip. animũ & singularẽ erga Po. Ro. uoluntatem nihil isto uestro beneficio dignũ mihi posse uideor præstare. Atq; hæc oĩa. P.C. haud ita qdẽ longa oratione à me collecta, sed uobis nõ ignota, & iccirco perinde ut in transcursu, admonendi uestri, nõ docendi gratia pressius cõmemorata, eò spectant, ut cognoscatis accusatores meos, legum, iudicioꝝ, ꝯsuetudinis uestræ prorsus ignaros, dicã an cõtemptores, ad mihi facessendũ periculũ inconsiderate procurrisse, nec tam de capite meo, qđ haud scio an mihi esset tolerandũ, q̃ de perturbatione iudicioꝝ oium, atq; adeo de leuitatis nota, quod qdẽ dissimulare nõ possum, amplissimo ordini inurenda certare. Atqui nolim summo iure cum istis agere quos neq; quemadmodũ lege agi, neq; ut iudicia ꝯstitui oporteat, nosse aut rõnem ullã oĩno ducere satis opinor perspicitis. Quare tametsi iã exploratũ habetis, causæ meæ rõnes tam expeditas atq; explicatas esse, ut nec de iure meo dubiũ cuiq̃ esse possit nec hæc res in iudiciũ oĩno uocari debeat, de meo tñ iure decedebã, & eis quod alius nemo ꝯcederet, ego ipse, tum innocentia mea tectus, tum æqtate uestra fretus ꝯcedam. Do istis igitur, quẽadmodũ imperatoꝝ, sic etiã senatus iudiciũ aliqñ retractari posse, qđ sanè neq; æquũ est, neq; ullo unq̃ exẽplo receptum. Do priuatæ ꝯditiõis adolescẽtes, Patrũ decretis intercedere, qđ ius nõ esse Tribuniciæ potestatis ius aperte declarat. Do factã publicã authoritate consilij donationẽ, sine ulla inconstantiæ suspicione antiquari, quod cuiusmodi sit ipsi uidetis. Do quod nullo fieri queat modo, me ingratum erga uos ante esse potuisse quàm bñficiũ à uobis accæperim. Do siqd aliud sibi assumũt, quo iudiciũ more maioꝝ ꝯstituatur, hoc. n. si & per uos meo mihi iure uti licebit, & ipse uelim, nõ consistet. Sed quid est tandẽ, quãobrẽ me de ciuitate tollendũ contendunt? quonã tanto meo maleficio, me Italiæ inimicũ, huius reip. hostem iudicari postulant? Num hostes Po. Ro. concitaui? Nũ barbaros armis commeatu' ue iuui? Num opera dolo' ue malo meo consiliũ initum est, quo magistratus Po. Ro. qui' ue imperium aut potestatem haberet occideretur? Num deniq; aliquid à me commissum, quo Po. Ro. magnitudo uel insignite læderetur, uel atrox aliquod uulnus acciperet? Nihil huiusmodi obijcitur. Graue tñ sit aliquid oportet, quare me de ciuitate pellendum, tanq̃ Italiæ inimicũ, tanquã Po. Ro. hostem uociferẽtur.

*Quidnam istuc tandē est? Attendite quæso, P.C. Noua & ante hunc diē
inaudita crimina audietis. Fas esse negant me ciuium Romanorum ha-
beri numero, quē ipsi Gallum esse hominē, quem indoctum, quem igno-
bilem, super hæc, quem in Po. Ro. olim scripsisse, contendant. De natiōe,
literis, genere meo, postea uidebimus nunc de inuidiosa illa dicam ora-
tione, quæ mihi tantam tempestatem, tantum in hac urbe turbarū confla-
uit. Nam cum in ea demum istis sint omnia, primum de eo ipso, quod
quasi atrocissimum posuerant, mihi dicendum esse arbitror. Ac ut uobis
statim constet. P.C. nihil eos certi probatiq; attulisse, quod me etiā uobis
ostensurum esse initio sum pollicitus, liceat mihi accusatorē meum priusq̄
in causæ nostræ defensionem ingrediar hic interrogare, sic enim plenius
spero cognoscetis, nulla iusta de causa ad hāc accusationem descendisse il-
lum, sed inimicorum meorum calumnijs inseruientem huc temere pro-
gressum, mihi periculum gratis facessere. Heus tu ingeniose adolescens,
non id potissimum habes, quod mihi crimini des habitam à me olim in
Po. Ro. orationem? hoc si nego, qui me conuincis? An te concioni interfu-
isse mentiere? Non mentieris puto, nec enim tam impudens es, ut te uel in
Gallia fuisse ausis dicere, in cuius oppido quodam, nuper ne nomine qui-
dem tibi cognito, eam á me habitam esse affirmares. Nec sanè si interfuis-
ses, iam meminisse possis, aut certe tum intellexisses, natus (nisi me corpo-
ris istius habitus barbatulaq; ista tua facies falsum habet) annos plus
minus nouem, cum illam ante annos amplius undecim à me dictā esse
fateare. An ab alijs id accæpisti? quibusnā ijs? Italis'ne, an Gallis? a Gal-
lis iuxta & Italis? cur igitur non edidisti testes? immo cur non produxi-
sti iuratos, qui id pro testimonio dicerent, quod ego neq; testatum, neq; no-
tum esse contenderem. Nam uel Italos, quos quasi de domo uestra produ-
ctos, atq; in rem quodammodo suā testimonium dicturos, meo iure pos-
sim refellere, in me rogari siuissem, neq; eos sanè quicquam interrogassem.
An delationi tuæ, astipulatorumq; tuorū calumnijs, tantum uel fidei uel
authoritatis inesse putabas, ut tibi sine testibus, sine testificationibus, sine
ullis monimentis, in re tam ardua & capitali iudicio. S.P.Q.R. statim
crederet? At prorsus ea summa est hominum opinio, quasi uero me rumo-
ribus hic damnandum censeas, quibus nō nemo etiā innocentissimus op-
primi queat, inimicorū fraude falsos sermones dissipantiū. Scilicet te in cō-
ciōe, Po. Ro. crimen planum fecisse, & hic accusatoris munere perbelle
defunctū gloriabere, si quod nuper ex magistro tuo accæpisti, nunc nobis
totidē uerbis reddas. Audieram & fama fuit, illius potius in mentem ti-
bi uenire debuerat. Fama malū, quo nō aliud uelocius ullū. Sermo ē.n. si-
ne capite, sine ullo certo authore diuulgatus cui potuit initiū dedisse inui-
dorū meorū iniqtas, accessionē attulisse impitæ multitudinis credulitas,*

Videtis.P.C.q̃ isti magnum & sibi nectendis calumnijs et mihi ad ineptias huiusmodi irridendas campũ patefaciant, quise ex uulgi opinione periculũ nobis legitime facessere existimant. At.n.argumẽtũ huiusce rei habent, orõnem q̃dam sub noie meo de laudibus Francorũ inscriptã. Vtinã.P.C. graue aliquod firmumq; indiciũ nobis proferrent, nõ quo cuiq̃ optandũ sit, ab aduersarijs cõuinci, aut eas ipse partes egisse uelim, sed ne si, (quod Deus auertat) causam isti obtinuerint, ad cæteras meas calamitates, id etiã accedat mali, ut sub frigidissimis, et hoc q̃dem in genere infantissimis accusatoribus dicar in optima ipse causa concidisse. At uero titulus Christophorũ Lõgoliũ arguit authorẽ. Mea autẽ hic, an aliena manu conscriptus index? aliena.s. Quid igitur, si librarius nomen alieno operi induxit meũ? alieni me criminis reũ constituetis? Nec.n.nouum est.P.C. nec inauditum, sed tam usu frequens q̃ passim impune, adũbratis authoribus scripta aliena & interdum etiã sua peruulgare. Sic de proprietatibus elementorũ commentarij, de secretis item ad Alexandrũ libellus Aristoteli falso attribuuntur. Sic insomnia, sic Magi bucula Platoni ascribuntur. Ad Herennium Rhetorica, á Cicerone scripta existimantur. Pulex ille et Vetula ad Ouid. Nasonem referuntur. Impudica in Priapum carmina Maronis noie circunferuntur. Nec sit sanè exemplorũ modus, si quis omnia persequi uelit, qñ uel hodie Ianus Parrhasius (quem uirum honoris causa nomino) nominis sui authoritatem quibusdã libris uulgo ascriptam esse non sine causa conqueritur, ut nemini planè non paratum sit periculũ, si in iudicijs ea statim recipientur, quæ librariorũ quæstuosa uel malitia uel stultitia, passim eduntur. Nec me hic tandem, quod necessarios meos soles, interrogaueris. Cuius ergo hæc est oratio? ignorare me dicam. Est.n. (ne forte nescias) eius qui accusat insequi et probare, qui uero recuset, fugere & negare, etiã ut factum impune fateri possit. Nã uel illæ quibus in iure aduersarios interrogamus actiones, ijs qui rei capitalis nomen deferunt, publicorũ iudiciorum usu denegantur. Quod si huc percunctatum uenisti, agnoscam orationẽ nec ne? cur me tanti criminis reũ detulisti, de quo tibi necesse est uti me adhuc roges, quia omnino nescis. Et quoniam, quod mihi Christophoro Longolio nomen est, me illius libelli authorem esse pertinaciter contendis, quasi nomina conueniant, cedo nunc, an nõ Beroaldi duo, prænomento Philippi, paucis ante annis in Italia floruerũt? eadẽ ætate ambo? nõ indocti ambo? Bononiẽses ãbo? an nõ ab uno facile cõscribi potuit, quod alteri ascriberetur? Nõ hoc (scio) negabis, quare nec in eo q̃dẽ dubitaris, posse Christophoros Lõgolios reperiri duos, quorũ alter ob alterius culpã i discrimẽ atq; inuidiã uocetur. Age uero fac à me apud unũ et alterũ orõnẽ illã agnitã esse, cuius tñ rei fidẽ nullã bis possis facere, nõ continuo tamẽ meã esse uicisti, nec q̃d extra

iudicium temere essem professus, id me in iure ipso (ubi sola eaq; non uerbis et coniecturis collecta, sed è re nata & perspicua ueritas æstimatur) ullo præiudicio onerarit. Quid? quod multos uestrum hic uideo, quibus eam mihi falsò ascribi, sæpenumero sum testatus? quod uos quoq; accusatoris mei persæpe uulgo iactastis, dum atrocitatem eius adaugere conaremini. Quo quid manifestius, ne uobis quidem ipsis, nedum amplissimo ordini adhuc liquere, ea oratio à me, an ab alio quopiam conscripta fuerit? nisi fortasse quadraginta his diebus quibus in me absentem debacchati estis, Gallos aliquot homines huc adduxistis, qui testimonium in me secundum fidem & religionem grauissime dicerent. Quod si testem in me nullum produxistis, nec ullum omnino huc adducere iam potestis, eam à me habitam si nego, qui docebitis? Deuolabitis.s. impigri in Gallias atq; Germanias, ac interea dum pro me dico, inde excitatos in me testes q̃ mox hic sistetis, aut certe obsignata testimonia nihil dum misso senatu deferetis, q̃q̃ testibus non tabulis accusatorum leges Romanæ fidem haberi uoluerunt. Neq; uero hæc à me tam multis disputantur P.C. ut me aduersus istorum crimina inficiationis præsidio munirē. Nā neq; iam periculum est ut prius opprimar q̃ facti mei rationem attulero, neq; eà certe quæ mihi obijciuntur, tam grauia sunt quàm isti uideri uolunt. Sed idcirco illa omnibus uestigijs indagata atq; collecta posui, ut perspicere possetis, odiose & inuidia occæcatos illos accusationem in me prius apud uos tenere instituisse, q̃ eam inter se diligenter adornassent ipsi atq; instruxissent, tametsi, si uera sunt quæ audio, duobus amplius mensibus bene multi dicendi magistri, ea una in re commentanda componendaq; occupati, industriam omnem posuerunt, & tempus omne consumpserunt. Habeant igitur confitentem reum, quo nihil sanè optare potuissent maius. Neq; enim, si uerbo negarem, quo progrederentur iam haberent. Agnosco orationem, quā isti tā sollicite circunferunt, quā tā studiose prædicunt, omnibus legendā porrigunt, eandem olim à me Pictauij habitā confiteor. Num in ea tamen tantum mali, ut propterea me, quem de maiestate postulant, tragica sua uoce Italiæ inimicum, huius Reip. hostem personarent? quanquam neq;, ut ob eam rem maiestatis reus fieri potuerim satis itelligo, qui eo quidē tempore, cum illa declamarem ciuis Ro. non essem. sed fuerim sanè tum Romanæ ditionis, qua me tandem lege perduellionis compelles? Non quidem Iulia, qua una cum uindicentur crimina, quibus quid aduersus Po. Romanum, securitatem'ue eius cōmittitur, nemini tamen de lingua lubrico accusationē poni uoluit atq; adeo nominatim uetuit, ut cuiquam fraudi esset, improbo petulantiq; maledicto principis Populi maiestatem lacessiuisse. Ut sit (inquit) modestiæ ne-

librarij inscitia Parisiensem inscripserit, dum uel patriæ suæ cupidius stu-
det, uel me emētito originis loco nobilitare conatur. Ego. n. Maclinia sū
natus, Maclinia educatus, Germanicæ linguæ & Cæsarum ditionis op
pido, cum alijs laudibus multis illustri, tum uero Philippi & Caroli Hi
spaniæ Regum incunabulis percelebri: Neq; uero hæc eò dico P. C. ut si
Lutetiæ Parisiorum natus atq; procreatus essem, non fuerim apud uos tā
ta origine etiam gloriaturus, quā cōstat esse omnium, quæ ad septentrio
nes, solisq; occasum pertinent urbium longe principem, sed eo sanè illud
dictum uelim, ut intelligatis nulla mea uel conscientia nugas illas, quæ
mihi capitis periculū nunc quidem afferunt, in apertum fuisse prolatas.
Nec. n. germana reiecta patria, cuius amore oēs natura trahimur, alie-
nam ac nihil mihi profuturam originem assumpsissem, si me authore in
lucem illæ prodissent. Quod ne hic à me temporis causa componi atque
fingi existimetis, recitari uobis mox iubebo literas ānis nouē ante hoc iu
dicium conscriptas, quibus amicos meos, quos Lutetiæ habeo, nec fortu-
na nec doctrina obscuros incusabā, quod orationē illā me inconsulto per
uulgassent, aut certe exire permisissent, nō eqdē quo tum mihi eo noīe à
uobis qcquā timendū arbitrarer, quorū à me neq; urbē unq̄ uisū iri spe-
rabā, neq; sanè uoluntatē eare offensam putabā, sed propter planè pue-
rilē dicendi speciē, quæ uel id ætatis ad stomachū meū nō faceret, mihi ēt
magno dedecori aliquando fore uideretur, ut non possim summā accusa-
torū meorū aut maliciam aut desipientiam, uel potius coniunctā cum
prauitate stultitiam & inscientiam satis demirari, qui scribendi genus in
ea tantopere laudent, quod mihi ēt tum penè adhuc prætextato uix lēte
ac fastidiose probari poterat. Cedo duas illas mihi epistolas, quarū alte-
ram ad P. Brissonem, ad Gothofredum ciuem alterā scripsi. Atqui prius
inspicite, ut exolescentes iam ac fugientes literæ, scripti uetustatem indi-
cent, ne quis eas à me in tēpus et adhūc usum nuper exaratas existimet.
Soleo. n. memoriæ meæ causa, & si nō magnopere diligenter, soleo tamē
in lintea huiuscemodi uolumina relatas tum meas, tū amicorū ad me lite
ras asseruare. LITERÆ. Scio qd hic isti. Vt librariū pstare nō potueris,
et eā à te cōpressam, nunq̄ emanaturā putaris, at certè in Romanos ha
buisti. Ego qd uobis pauloante professus sum P. C. nō nihil olim de Frā
corum laudibus, in Po. uero Romani contumeliā consulto nihil unquā
dixi. Id titulus ipse si non plene arguit, expendatur exordium, æstimetur
etiam totius dictionis argumentum & sententia. Constabit sanè mihi
in animo fuisse Francos, quo magis eorum uirtus eniteseeret, Roma-
nis comparare, non damnare Romanos. Quod si tum mihi in eam cau-
sam ingredienti propositum id erat unum, ostendere Francos, rerum ge
starum magnitudine Romanis præstitisse, quo scilicet uobis haberentur

proximi (petebam enim, quod ueteri prouerbio monemur, iniquum ut obtinerem æquum) si id inquam unum spectabam, profecto Romanis maledicere nolui, quibus Frãcos æquabam, aut etiam omni laudum genere præstantiores demonstrare conabar. Nisi quis me fortasse tam stupidum fuisse suspicatur, ut summam Francorum laudem, in summa ipsorum contumelia positam arbitrarer. Nec enim insignius eius gentis honorem suggillare, dignitatemq; labefactare potuissem, q̃ si eam improbissimæ patrem atq; etiam superiorem ostendissem. Atqui longe alia mihi mens erat P. C. quippe Francos q̃ maxime laudandi, idq; me uel hoc uno argumento facillime consecuturum sperabam, si docerem ab eis P. Romani uirtutes non æquatas modo sed multum etiam uictas esse. Roget aliquis, utrã igitur gentem belli uirtutibus, pacis artibus præstitisse existimas? Ego uero Romanam, atq; id ipsum etiã tum sentiebã, cum illa de laudibus Frãcorum à me dicerentur. Sed tum causæ theatroq; seruiebam, meo nullo mediusfidius res uestras exagitandi insectandi ue consilio. At sic in Romanos multa dixisti. Non multa bone adolescẽs, non multa, si cui ea æstimare uacet, quæ uel ex annalibus uestris congeri, uel ab homine, cui nomen Romanum in odio esset confingi potuerunt. Septem sunt, ad summum octo crimina, eaq; cum ex historijs uestris deprompta, tum uero ijs locis accomodata, quibus Frãci sine controuersia uincerentur. Equidẽ cum nulli apud Francos mihi uiri principes occurrerent, quos Aphricanis uestris, Asiaticis, Arabicis, Numidicis, Macedonicis, Parthicis, alijsq; quos deuictarum nominibus gentium antiquitas non sine causa ornasset compararem, usus sum (ut quidam nuper uobis affirmabat) uel supra artem consilio, uel supra ætatem ingenio. Quid porro dixi? Inductus est à me locus ille, ne sibi in eo Romanis Franci cedẽdum existimarent, quod duces suos subactarum prouinciarum nominibus minime nobilitassent. Sic enim eos moderationis suæ documentum cunctis gentibus præbuisse, quam omnes mortales in Romanis uehementer desyderassent, qui ea cognomentorum ratione uictoriam uictis arroganter exprobasse uiderentur. An non id totum uidetis fuisse consilij, non iudicij? id tum deniq; dictum, cum Francorum causam pro suscæpti negocij instituto aliter tueri, atq; sustinere non possem? Equidem non uideo, quid istos perinde ac si ea una in re omnis reip. fortuna discæptaret, & in concione tã insolẽter quiritari, & hic tam miserabili uoce eiulare attinuerit. Nam uel Galli ipsi, quos isti barbaros & furiosa quadam iracundia percitos uideri uolunt, tale quiddam moderatius tulissent, ac si bene gentis ingenium noui prolixe potius in eo risissent, quàm cum tanta indignatione conquerendũ sibi fuisse existimassent. Eodem pertinet, quod me de. C. Cæsare scripsisse,

crebris suspirijs querebantur. Nam cum uictorijs eius ciuilibus nihil haberem omnino, quod opponerem, dixi ea in re Cæsarem laudari non posse, nisi unà Cn. Pompeium, M. Catonem, M. Brutum, C. Cassium accusare quis uellet, quos Reip. nomine, in eum quasi tyrãnum arma sumpsisse constaret. Eiusdem est generis, quod Africanorum, Scipionum alteri, plus fœlicitatis affuisse quam consilij, pro Q. Fabij Maximi & Albini Cæsaris iudicio contenderim. Alteri, parũ apud cineis suos gratiæ, quod nulla de interitu eius habita fuisset quæstio, cum interim diuo Ludouico (quem unum ambobus comparabam) tantum superfuisset & prudentiæ & uirtutis ut etiam cum iam nullus esset, hostis ipsius uirtutis suæ admiratione ad petendam pacem atq; adeo deditiõem faciendam coegisset. Illud autem multo uel acerbissimum, uel ad agendas tragœdias aptissimum istis uisum est, quod dum Francorum originem in honorem adducere ambitiosius contendo, cauillatus sum etiã nõnihil Romuli famam in matris probro, fratris nece, fugitiuorum Asylo cum in eo non equidẽ Populi Ro. contumeliam ullam sed expressiorem quandam ex comparationis contentione & illustriorem Francorum gloriam pueriliter aucuparer. Opus hic mihi esse uideo. P. C. uestra non iam seueritate quæ ne in me cum ipso patriæ amore exasperetur, tum uero harum rerum commemoratione incendatur, haud parum timeo, sed uestra lenitate potius ac mansuetudine, sed planè Romanæ animi altitudine atq; etiam humanius institutorum hominum æquitate qua par est hanc rem totam æstimetis. Neq; enim famosi in uos aut carminis, aut libelli author dici possum, quando nec nomen reticui meum, nec occultum quicquam prodidi, neq; ob publicum aliquod priuatum'ue crimen capitis causam dico, sed quod olim, inter rhetoricas exercitationes de Gallorum laudibus nescio quid meditatus Populi Ro. nomen exagitasse uidear. Itaq; patriæ charitatem usq; seponite dum huic crimini respondeo, aut si id fieri nullo potest modo, saltem eorũ qui doctrinæ studijs liberalius exculti sunt animi æquitatem, cum uestra ista erga patriam pietate in consilium adhibete, arbitrumiq; non me, qui reus uester sum, sed ciuem Ro. natum aliquem pro me dicere, à quo liberius omnia, minoreq; inuidia quæ in rem meam adduci possunt audiretis. Ego enim, si quod ulcus attigero, id non tam curandi animo, q̃ refricandi exulcerandiq; consilio tractare permultis uidebor. Dicam uera esse ea, quibus dum Francos orno Populi Ro. dignitatem perstrinxisse existimor? At id isti in uos dictum esse statim interpretabuntur. Dicam falsa? At id erit sermonem ijs dare qui à me ea omnia ex annalibus & clarissimis rerum uestrarum monumentis sumpta esse non ignorant, ut altera quidem ratio mendacij turpitudine non uacet, altera

etiam præsens periculum denunciet. O præposteram & odiosam respõdendi necessitatem. O iniquam fortunæ meæ conditionem, cuius oratio iudicium sit incitatio, silentium, rei supplicium, si nego, sim impudens & astutus, si defendo, inuisus, si taceo, dãnatus. Quo me uertam P. C? Quid inter optimam conscientiam & pessimam fortunam destitutus, consilij capiam? Agnoscam culpam? Deprecer pœnam? At uero id sit me sontem fateri, id innocentiam meam prodere, qua quidem una fretus, nec iudiciũ uestrum detrectaui, nec iudicum quenquam initio reieci. Proinde peto à uobis P. C. ut cum uos hic quidem iudices sedere memineritis, tum uobis, quoad res feret, persuadeatis, non uestram hic agi causam, sed rem ad homines, uobis præterq̃ nomine, prorsus ignotos pertinentem, in iudicium deduci. Sic enim certe ut etiam ciuium Romanorum personas non deponatis, tamen (quæ uestra religio est) nec litem hanc uestram facietis, nec tam me reum, aut eius cuius arguor criminis factum iudicandum suscipietis, q̃ consilium in ea re meum et causas & tempus considerabitis. Atq; illud primum rogo, animis uestris infigite, eum improbe facere qui in alieno interpretando libro ingeniosus uideri cupiat. Simul & me in Populum Romanum nihil unquam de industria scripsisse, quod quidem uel ipsa libelli illius inscriptio satis arguit. Nam qui in aliquem scribit, eius titulum modi prætexit, quo animum suum statim significet. Sic M. T. Cicero in Catilinam, in Verrem, in Vatinium, in Salustium, in Pisonem, in Rullum, cæterosq; quos male odisset inuectus, ipso confestim indice, inimicitias eis denuntiat. Ego autem de Francorum laudibus eã orationem inscripsi, non me hostem Populi Romani sum professus. Deinde illud uobis succurrat, eam nunquam à me editam fuisse. Quin etiam simulatq; prolatum audiui eam me rem, pro eo sanè ac debui grauiter & moleste tulisse. Postremo tantum abesse ut ea in contumeliam nominis Ro. scripta uideri possit, quod isti calumniantur ut in ea Populi quoq; Romani gloria magna ex parte contineatur. Nam si eo tota spectat ut declaret Francos Populo Romano omni laudis genere esse uel exæquãdos uel anteponendos, uirtuti nimirum uestræ testimonium dedi, quos tanti feci ut uos mihi solos mortaliũ deligendos existimarim quorum collatione res francicas in cœlum extollerem. Nemo hic de me quærat q̃ bona id fide fecerim, sum enim uobis iam testatus, uoluisse me tum foro uti, ac etiam dicendi uires in re multo difficillima periclitari, non item Po. Romani res in contemptionem adducere. At sic in Romanos dixisti. Dixi nonnihil fateor, sed non tam aspere q̃ tute protulisti, neq; accusatorio animo, neq; sanè ea mente ut in Populum Romanum inueherer, cuius nomini semper assurgo, atq; à cunctis mortalibus idem faciundum cen-

so. Plurimum refert, quo quid animo dicatur aut fiat. Lege Cornelia de sicarijs & ueneficis non tenetur is, qui sine dolo malo hominem etiam necauerit, & iniuriarum tenebitur, qui nullo conuiciandi consilio iniurium aliquid dixerit? Multa dixit M.T. Cicero in Gallos, in Græcos, in Asiaticos, plura contra Iureconsultos, & Stoicos, plurima aduersus multitudinis leuitatem, Patriciorum superbiam, Tribunorum impotentiã, nunquam uero copiosius q̃ cum in homines sibi amicissimos, omniũq; confessione integerrimos M. illum Catonem, & Ser. Sulpitium peroraret. Ecquis ei tamen eas ob res negotiũ facessiuit? cur ea quæ in Senatu, in contionibus, in iudicijs dixerat, memoriæ mandauit, peruulgauitq; sine ulla offensione, sine ulla odij inuidiæ'ue suspicione? Nempe quod non id operis habuit ut in eos diceret, sed ut causæ, quam tuendam suscepisset fidem & auxilium suum præstaret, quod ipsum omnino nisi aduersariorum eleuata in primis fide & imminuta authoritate irritum fore iudicabat. Semper enim ita habitum est atq; obseruatũ P.C. licere si nõ ab historiarum scriptoribus aliquid argutius fingi, quod sibi tamen illi interdum sumpserũt, at certe oratoribus, modo id rei illorum conducat humillima attollere, sublimia deprimere, simulare, dissimulare, atq; etiam si causa id postulet, interdum officiose aliquid ementiri. Quod si hoc M.T. Ciceroni eloquentiæ Romanæ authori & principi, uel in ipsis iudicijs, Romæ non modo licuit, sed etiam summæ laudi datum est cum apud uiros sanctissimos, res serias grauiter tractaret, curnam istuc idem in fraude capitali Christophoro Longolio ponetur Limini in scholis, inter pueros, in re ludicra pueriliter declamanti? Ille cum in iudicio quodam illi obiceretur, quod contra sentiret atq; olim dixisset, magno omnium assensu respondit, si quid huiusmodi dixisset, neq; cognitum sibi commemorasse, neq; se pro testimonio dixisse, & orationem illam potius temporis sui, q̃ iudicij & authoritatis fuisse. Idem ego accusatoribus meis, sed multo mehercule iustius, de cunctis illius libelli ineptijs semel respondeo. Quæcunque inter pueros, circa extremæ pueritiæ & ineuntis adolescentiæ nostræ annos, planè puerili consilio dixi, ea mihi postquã uirilem togam sumpsi, nunquam placuisse. Inspiciendum esse non quid ego id ætatis, cum iudicandi maturitas abesset, Limini declamauerim, sed quid anno superiore de Populi Romani maiestate hac in urbe serio scripserim. Nam uero me tum fuisse circiter annos octodecim hoc est nondum iustæ pubertatis tempus expleuisse me, cum ea de re apud magistros dicerem, nec accusatores mei negant, & uos ex eo potestis cognoscere, quod à puerilis ætatis excusatione incœpi, ut si eã orationẽ in Populum Ro. inscripsissem, impudentissimeq; in ea qcquid

in Busiridem, Phalarim ac Dionysium tyrannorum crudelissimos uel ex cogitari potuit effudissem, atq; ita in manus hominũ tum misissem, meo tamen iure nunc peterem à uobis, contra quos scripsissem, id auxilij quod ætate minoribus leges uestræ naturali quadam æquitate pollicentur & præstant, quod constet imbecillum esse atq; infirmum eius ætatis consiliũ quæ nec tacendi nec loquendi leges satis nouit. Equidem nescio quantope re aduersarijs meis illa probetur oratio, mihi quidem certe placuit nunq̃, non qui calumniatoribus istis uideretur proposita (Quis enim has timu isset insidias) sed ut planè puerilis, nec scriptione aut lectione cuiusquam magnopere digna. At uero eius eram conditionis, ut uobis negotium fa cessere potuerim atq; eo etiam uoluerim. Vt hic P.C. omittam, q̃ iniquũ sit, ut nobis persuadeamus, eos omnes uelle nocere, quibuscunq; lædendi facultas adsit, non ea tamen est nominis Ro. infirmitas, ut cuiusuis ob/ trectatiõe labefactari queat. Male mihi profecto de rep. mereri uidentur, aut certe non satis Populi Romani magnitudinem intelligere qui pueri libus nugis huius urbis splendorem præstringi potuisse existimãt. Quod enim sæpe aliàs sum testatus. Hæc est uera, & cui nulla comparari po/ test alia Populi Romani gloria ut nullius unquam laudibus extolli, nullius unquam obtrectationibus deprimi possit. Sed cuiusnam ego tũ authoritatis inter Gallos esse poteram? adolescentulus? priuatus? hospes? nullo penè rerum usu ornatus? nulla literarum cognitione cõmendatus? Illustris ipse (credo) locus, & uobis infestus populus ingentes illos mihi spiritus excitauit, atq; me sua opportunitate ad has inimicitias audacter suscipiendas, fortiterq; uobiscum gerendas irritauit. Hoc q̃ ridiculũ sit, ipsi P.C. uidetis. Obseruant enim nomen Romanum Pyctones, si qui usq̃ alij, fatenturq; imperij uestri auspicijs, inde expulsam barbariem, inde sublatam inscitiã, inde superstitionẽ, ac uanos Deorum cultus depulsos esse. Quicquid habent elegantiæ, morum, literarum, sacrorum, id uobis to/ tum, maioribusq; uestris accæptum benigne ac grate referunt. Quæsitũ esse à me fortasse locum ad dignitatem Populi Romani uiolandam, etsi falso, non sine causa tamen quis suspicaretur, si Lutetiæ Parisiorum hoc est in ipsa Galliarum luce, atq; illic in celeberrimo Franciæ nobilitatis con/ uentu eam orationem in uos pronunciassem, quam me Limini Pyctonũ oppido in uulgus ignoto, nec plerisq; uestrum, nisi admodum historicis adhuc cognito, ibiq; in cœtu adolescentium legitimo Quiritum iuris stu dio deditorum, habuisse satis constat. His omnibus, addatur P.C. ipsa pa rendi necessitas. Nam quod accusatores mei ex composito, belle semper dissimularunt, ad præceptum, quin ad præscriptum etiam eius studiosæ societatis principium, eas tum quidem partes egimus, quod uel ex ipso

oratiõis illius principio, uobis statim liquere poterit. Heus tu, recita exordium. EXORDIVM. Audistis ut id mihi muneris ij decreuerint, quorum in me, tum quidem, imperij ius esset? nec id tamen ullo in uos odio statuerunt illi, qui se monumentis disciplinisq; uestris ad omnem liberalem doctrinam eruditos esse prædicarent, sed ut ea in re, quæ plurimum negotij habere uideretur, ingenij (credo) mei periculum facerent. Quid? ipse uero non facerem? at præcipiebant, non parerem? at recusare non poteram, non sic agerem? at præscribebant, feci equidem quod nemo uestrũ id ætatis, id conditionis, in eum deductus locum facturus non fuerit. Quod si illa ipsa, de qua nunc demũ accusor, me uobis & ætatis infirmitate & necessitatis ui excusat oratio, (si quid enim à me offensum est illos eiusce delicti culpam sustinere par sit, qui auctores fuerunt, non me, quem dicto audientem esse oportuit) si ea igitur orationis illius est ratio P.C. ut me culpa uacuum esse perspicue ipsa ostendat, deponite tandem, deponite, si quam forte falsam de meo in Populum Romanum odio, propter istorum calumnias opinionem accæpistis. Facta mea cum eorũ uerbis aperte pugnant. Equidem si de nomine Romano male sentirem, non sic causam meam apud uos agerem. Ciuitatem uestram aspernarer, non de ea retinenda tam uehementer laborarem, urbem Romam relinquerem, non hoc ætatis incolerem, mores uestros infamarem, non tot uoluminibus Populi Romani laudes celebrarem. Quod si res ipsa planè reuincit esse me singulari erga S. P. Q. Romanum & fide & beneuolentiá iacta sunt puto defensionis nostræ fundamenta. Nec enim certe committetis, ut hominem qui & usu & uoluntate & legibus uester iam sit, suæq; in Populum Romanum obseruantiæ haud obscura argumenta proferat, hodie repudietis. At fuisti quondam huius urbis nomini ac sedibus inimicus. Hoc si cui dedero P.C. num me is propterea ciuitate uestra pellendum uere statuerit? Fuerunt huic urbi non inimici modo sed etiam infestissimi hostes Sabini, eos tamen quis nescit, eodem à uobis ciuitate donatos die, quo quidem exercitum excidendæ urbi admouissent? Quid. L. Fuluius rebellantium Tusculanorum imperator, an non hic eodem anno quo fuerat Populi Romani hostis, Romæ triumphauit de ijs quorum ipse dux fuerat? Sed quia uideo quæ dere, apud quos agam, non committam ut in re minime dubia & illustri multus & insolens cuiquam uideri possim. Nemo est enim qui ignoret, propriam hãc semper fuisse Populi Romani uirtutem, ut etiam recipiendis hostibus hãc ciuitatem augerent eosq; non tam ui & armis q̃ humanitate ac liberalitate uincerent. Sic Chrustuminos, sic Albanos, sic Volscos, sic Equos, sic Tuscos, sic deniq; Campanos ipsos, bello fractos, immo ui subactos, atq;

causa mihi tandem aut spes esse eo potuit tempore ut in nomen Romanorum debaccharer? Quod id rationibus meis conduceret? at nihil æque officere poterat. Quod dignitatis aliquid nobis afferret? at ea re, ne fingi quidem possit quicquam indignius. Conficiendi negotij facilitas? at nulli unquam mortalium eius facultas contigit. Impunitas? at hanc nemo in tanta ingeniorum uestrorum uel felicitate, uel fœcunditate sperauisset. Sed quodnam mihi paratum uidebam, si uos maledictis lacesserem premium? nempe iustum cunctorum mortalium odium. Hoc ipsum (credo) colligebam, & homo, ut uos quidem iactatis, uulgi sermonibus deditus, ut uero res habet, ad omnes bene audiendi partes erectus, ea nimirum ratione in hominum odia prudens & sciens incurrebam. Causam equidem, inquis, nullam planè uideo, quandam autem animi tui ad nos insectandum inductionem uoluntatemq; perspicio. Deus faceret ingeniose adolescens, ut & tu, & subscriptores tui, sensus meos omneis Lynceis quibusdam oculis perspicere atque intueri possetis. Mitioribus certe uobis hac in causa uterer. Nunc autem quando ea uoluntas hominis est, ut sua sponte ipsa cognosci non possit, sed signis tantum & argumentis colligatur, unde tandem de illa mea in Populum Romanum maleuolentia coniecturam facis? ex fronte? ex uultu? ex oratione? quibus me uobis amicissimum semper significaui? An quod Romæ quàm in Germana patria uiuere maluerim? quod præ familiari ciuium Romanorum usu à popularium meorum consuetudine penè refugerim? quod Italiæ & urbis Romæ laudes tot uoluminibus commendarim? An uero quod me Senatus Populusq; Romanus priuatim omni officiorum genere est prosecutus? publice uero, non ut multos coràm petentes tacito tabellæ suffragio, sed ut adhuc neminem uiua omnium uoce absentem ciuitate donauit? Quid ais? obsignatis te mecum tabellis agere, nec ad rem pertinere, aut quàm bene de uobis hodie sentiam, aut quid secutus, quidq; tum spectans orationem illam conscripserim, modo omnino conscripserim? Erras bone adolescens erras, si ex euentu & casu, non ex consilio & cogitatione reorum facta expendi in iudicijs diiudicarique existimes. Mala mens, malus animus, non item rerum exitus legibus uindicantur. Quod ni ita esset, & furiosi profecto, & infantes pueri, atque adeo ipsi illi qui in damnatos magistratuum iussu animaduertunt lictores, legum pœnis obstringerentur. Cum

quid recte fit, nulla quidem benefacti ratio exigitur, quod omnes causam ipsa honestate satis explicari intelligant. Contra cum quod insigne maleficium aut scelus editum nunciatur, neque id temere credimus, & is qua spe, quo metu, quo emolumento adductus ad maleficium accesserit, confestim requirimus, non ignari hanc esse hominum uitam, ut ea quae bona sunt, sua sponte appetant, quae uero mala, suapte natura auersentur, & fugiant. Certe si latronem roges, cur in uiatorem sit grassatus, ad spoliandum quidem egestate, adiugulandum autem hominē, ne ab eodem posterius aut occideretur aut proderetur ipse, inductum se fuisse afferet. Itidem si quis Lu. Catilinam interrogasset, cur in patriae excidium coniuraret quod aeris alieni magnitudine oppressus, stante Rep. aut certe sine ciuili bello stare non posset, ipse nimirum respondisset. Adeo nemo adhuc mentis compos homo inuentus est, qui se gratis peccare, atque sine ulla commodi spe, animum ab honestarum rerum cursu ad mala consilia deflectere atque traducere fateretur. Ergo aliquid, inquies, habueris ipse necesse est, quod te ad declamationem illam impelleret, habui equidem, sed unam illam & ueram uoluntatis meae rationem, ut Francos ornando studiosi illius conuentus praefectis morem gererē. Immo uero ut in eo te disertum ostenderes, si Romanos acerbius depressisses, Francos melioribus q̄ par erat laudibus extulisses. Fac me diserte adolescens tam ambitiosum id aetatis extitisse, ut obiecto falsae gloriae splendore, mentis meae aciem praestringi facile sim passus, hoc est ut in causa non admodum facili ingenium exercere, aut etiam ostentare uoluerim meum, num ideo me hostili in uos animo fuisse constabit? Non constabit, opinor, & qui rem durius etiam q̄ par sit interpretabuntur, expostulatione me admonendum, non Populi Romani odio subijciendum, neque exilio & ignominia mulctandum esse, censebunt. Quid audio? iracundia me atque odio percitum in Populum Romanum esse inuectum? Quam tu mihi hic iram narras? Quod odium commemoras? Iniuriosum certe aliquid, quod me in Populum Romanum incendisset, ut tibi fides haberetur, abs te allatum esse oportuit. Quod si tum non modo nullis à Populo Romano iniurijs affectus fueram, sed maiorum potius uestrorum beneficijs allectus, ad bene de uobis sentiendum prouocabar, non planè uideo, quid de meo in Populum Romanum odio ab istis fingi possit. Scilicet post annos mille sexcentos indignabar Gallias ac Germanias à uobis tot ante secula armis deuictas atque subactas fuisse, quasi uero nō eadem esset Italorum & omnium penè gentium causa, quas eo tamen

imperium uestrum animo tulisse scimus, quo solent grati minimeq; stul ti homines medicorum diligentiam complecti, etiam ut illos sectionibus & cauterijs, & amaris potionibus in depellendo morbo usos esse recor dentur. Etenim salutari illa uestra atque adeo nostra uictoria, uicti enim uicimus, certe, quod constat, perieramus nisi tum sic perijssemus. Salu tari inquam illa uictoria effectum est, ut exuta feritate humanitatem in dueremus, literas amplexaremur, barbariq; & dici, & esse desineremus. Ob hæc uestra in nos merita, ego uobis infestus? ego nomini Romano inimicus? qui siquid doctrinæ, siquid uirtutis, breuiter siquid præter for mam hominis habeo, id equidem Populo Romano, iam tum, ut par erat, libens & ingenue totum acceptum referebam. Quare si nec ulla in uos odij causa esse potuit, nec ea res mihi bono futura fuit, deniq; si in uos ire & contra honorem uestrum niti, neque debui, neque potui, neque uolui, neque uero in Populum Romanum illa oratio, sed de lau dibus Francorum est inscripta, non sanè intelligo, quodnam hostilis animi argumentum, uir probus ex ea possit ducere, nisi quis fortasse iu stitiam Carneadi, ualetudinis firmitatem Phauorino, Synesio comam, Io. Pico sermonis elegantiam, Erasmo Rhoterodamo sapientiam exosas inuisasq; fuisse, eam sibi ob rem persuadeat, quod dum his uirtutibus con trarias ij pestes, animi quidem causa, sed luculentis tamen uerbis dilau dant, eodem quoque tempore in hæc ipsa tum naturæ dona tum doctri næ præsidia liberius cauillantes ludant atque dicacius iocentur. Verum id sibi quidem facile persuaserit nemo, quin idem multum de se doctis ho minibus risum statim præbeat, quasi oratoriarum exercitationum pror sus ignarus, & illius communis prudentiæ penitus expers, qua seria à ludicris secernuntur. Quare si Francos olim, inter pueros, puer ipse ita laudaui ut Romanis interim uidear non pepercisse, non id ullo equi dem in uos odio, quod ipsum nullum esse potuit, nullum certe fuit, sed uel ætatis imperitia lapsus feci, uel quia hæc sacra non aliter constare ar bitrarer qui hanc comparationis rationem esse acceperam, hoc contentio nis genus, immo uero hanc rerum naturam, ut in talibus conata efficere non posses, nisi ijs quæ plurimum extarent, solerter aliquid detraxisses & ea non esse tanti quanti omnium opinione fierent atque æstimarentur, ostenderes. Proferrem hic ego uobis, P. C. utriusque linguæ authores quamplurimos (ne quis id à me sine exemplo factum existimet) qui etiam in re seria miram illam uirtutum uitiorumq; secuti affinitatem, hoc uel artificio uel supra omnem artem consilio non impune modo, ue rumetiam summa cum laude sunt usi. Atqui nolo in re etiam paulo hu

manius institutis cōfessa, curiosius laborare cum alijs de causis multis, tū uero ne prudentiæ , peritiæq; uestræ parū uidear confidere, quos quidem scio, quid olim Metrodorus Sceptius, Didymus Alexandrinus, Fabricius Veiento, Lucianus Syrus, Aurelius Augustinus, Paulus Orosius, Bernardus Clareualla, nuper uero Io. Campanus, Baptista Mantuanus in uos maioresq; uestros scripserint, sæpe legisse, semper risisse. Quanquam eorū durior est causa, qui quidem serio nomen Ro. insectari uideantur, ut mihi omnino sperandum sit uos, qua estis animi tum facilitate, tum etiam altitudine eo sanè illius concionis uerba, quo à me dicta sunt animo accepturos, ac siquid in ea insit flagitij, id uos omne aut rerum imperitiæ aut rudibus planè annis, aut omnino necessitati aut etiam scholasticæ libertati, aut his omnibus simul condonaturos, æstimaturosq; potius, quod planè adultus relicta domestica sede huc me contulerim, & Populi Romani laudes literis mandarim , quàm quod extrema pueritia inter æquales meos, nescio quid, neq; id uero ipsum meo, sed alterius arbitratu in uos dixisse existimer. Hic enim pleniore iudicio atq; dedita opera conscriptas quinq; orationes paucis quibusdam unius declamatiunculæ uersibus obieci, perpetuum (nisi me bona posteritatis spes fallit) meæ in hāc remp. pietatis atq; obseruantiæ documentum. Hinc iam deinceps ad reliqua accusationis istorum capita transirem P.C. nisi ea esset ipsorum, ut nihil acerbius dicam, improbitas, ut me primum in concione, deinde hic etiā publice accusasse non contenti, occultis quoq; postremo calumnijs res uestras cum apud multos priuatim exulcerassent , tum uero apud imperitum uulgus in circulis identidem exagitando in summam inuidiam adduxissent, Periculum hoc mihi grauius conflare conati , quominus mihi aduersus tectas suas insidias quicquam præsidij affore sperabant. Atqui operæprecium est cognoscatis q̄ inertibus illi quidem apud uiros graues, uerum longe grauissimis apud crassas uulgi aures argumentis in me grassentur. Hui (inquiunt) ergo faciem iste nobis fœda cicatrice deturparit, nec æquum putabit, ut eam contumeliam ad animum reuocantes ulciscamur, etiamsi nullo nocendi consilio ea nos affecerit? Hoc ipsum est illud P.C. nobile, & cui certe manus dare necesse fuit, argumentum, quo non modo comatulos istos ac pallidulos, sed retorridam etiam & cæsariatam illam lanistarum gladiatorumq; turbam in me tumultuose nuper armarunt omnem, nemine ipsorum non perquam ridicule eius quæ à me reip. imposita esse diceretur, cicatricis modo ostentante altitudinem, modo lugente deformitatem, cum interim ingeniosi homines nihil omnino discernerent quatenus grauissimi uulneris ratio à leuissimorum uer-

borum causa dissideret. At uidete P. C. q̃ leui impulsu, magni persæpe in nonnullorum hominum animis motus excitentur. Istæc enim eadẽ ipsa est, præclara illa fœdæ cicatricis similitudo quæ quosdam istorum ad me de medio tollendum ita scilicet incitarit, ut statim inita coitione, factaq; manu, quemadmodum cuique commodum esset, constituerent eorum partim me uel in medio foro obtruncare, partim si huc ad causam dicendam uenissem indemnatum de saxo Tarpeio præcipitare, alij in profluentem de scalis Gemonijs deuoluere, alij ad Gallorum busta mactare, alij si res palàm minus procederet, clàm ueneno tollere freti, mentes hac sese uia tum iniurias Populi Romani fortiter ultum ituros, tum gratam maiorum suorum manibus uictimam immolaturos, tum uero cæteros mortales à Populi Romani insectatione, magna sui nominis commendatione deterrituros esse. Quasi uero amantissimi homines, immane uestrum illud facinus animo conceptum planè gladiatorio susceptum puerili consilio, non contra omnino uobis casurum fuerit, atque speraueritis, & mihi quidem immortale nomen allaturum, uobis autem ipsis sempiternam infamiæ notam inusturum, nequid hic de præsenti uestra omnium pœna dicam, quam & uiui ijs qui hic res capitales indicant, & mortui Deo Optimo Maximo persoluissetis. Sit mihi Populus Romanus propitius, nam si uel nomen eius tam male odissem quàm illud religiose semper obseruaui, uel me aliena iniuria multorum exemplo, immortalitati commendare uellem, non mihi quidem fugienda, sed prorsus esset huiuscemodi mors appetenda, quæ mortuo mihi gloriam, interfectoribus meis pernitiem, huic urbi inuidiam non sanè leuem esset allatura. Nec enim certe deessent Franci Germaniq; haud pauci, sed nec Itali etiam plerique nec Romani denique scriptores nonnulli, qui necem meam quasi indignam deplorarent, ciuibusq; suis uitio aperte uerterent, quod non mediocris expectationis iuuenem, ob puerile dictum, cuius etiam ipse rationem fuisset uel apud iniquos iudices, paratus reddere, in media urbe crudeliter trucidari siuissent, idq; cum iam eiusce rei iudicium apud eos agi cœptum esset. An non hic animis cogitationeq; prospicitis, quid ad eum nuntium cuncti mortales suspicaturi fuerint? quid de Populi Romani fide atque iusticia iudicaturi? apud quos iura & leges silerent, uis & arma dominarentur? Sub quorum conspectu unus à multis, inermis ab armatis, incautus à paratis, hospes immo ciuis à ciuibus, reus ab accusatoribus, atq; adeo ab iudicibus ipsis prius

telis q̃ sententijs circunuentus cecidisset? Quod cum me uel hoc solo uitæ meæ periculo tam multis commendaueritis, causam meam aliter profecto neglecturis, an non si huc tam inhumanæ cædis accedat iniuria, nomen quod cum uita mea extinctum iri speratis, scelere uestro magis ac magis illustretur? Illustretur opinor, nomine sibi non persuasuro, magnū quiddam omnino in me fuisse, quare me Populus Romanus ad causam dicendam non esset ausus admittere. Publico enim, non priuato consilio, uitam mihi ferro ereptam esse interpretarentur, summissis percussoribus qui me indicta causa occiderent, quoniam auditus damnari non potuissem. Nam ob scholasticam & puerilem illam declamationem nunquā tantum animo nephas hac quidem in urbe conceptum crederent, aut si qui illud sibi persuaderent, profecto Romanos cum parui tum uero etiam praui ingenij ea de causa damnarent. Quo quid indignius? Haud equidem scio, quonam iudicij euentu hinc sim discessurus, spero quidem eo, quem perpetua mea in Po. Ro. obseruantia postulat, sed certe quoquomodo res mihi ceciderit, fore non dubito quin hac uestra conspiratione haud paulo plus additum ad memoriam nominis nostri quam ademptum de fortuna à multis existimetur. Quare si & uestra uobis salus curæ est, nec enim defuturi sunt uel Romæ homines qui iniurias meas persequantur, & Populi Romani nomen, in quem tota interitus mei inuidia deriuaretur, ab omni criminis suspitione integrum uigere optatis, & maiorum uestrorum, quos ego pro mea uirili parte celebraui, manibus rite litatum cupitis minas deponite, quæ nec uos decent, nec eum, qui se ciuem Romanum esse meminit, terrent. Sicas abijcite, quibus latrones grassari, non uiros bonos succingi mos est. Certe lex Cornelia non eos modo ultore gladio persequitur, qui hominem occiderint, sed quicunque cum telo hominis necandi causa fuerint. Ad summam, si uel exigua patriæ dignitatis ratio, aut posteritatis etiam uerecundia ulla apud uos adhuc residet, ne uitam meam uel palàm ferro, uel clàm ueneno petatis, petatis autem? immo uero à Deo Opt. Max. precibus contendite, ne me aut hic, aut in Italia usquam hoc tempore morbus ullus consumptum extinguat. Hoc enim si contigerit, nulla uos sanè iniqua ratione ab ea infamia uindicabitis, quin me inuidia à uobis è medio sublatum esse socij pariter & fœderatæ liberæque gentes omnes sibi persuadeant. Maximi porro huius uestri, atque utinam etiam sapientis animi quem uos patriæ honori deuouisse iactatis, aduersus eos qui se uobis inimicos profitentur, ea qua licitum est uia, periculum facite, non in eum, qui hac una in re

iam tot annis totus elaborat ut suam ergo S.P.Q.Romanum beneuolentiam, apud omnes mortales illustrem reddat, uel etiam toti posteritati grauissimis certissimisq; monimentis testatam relinquat. Veruntamen ut turpem illam oris cicatricem ab istorum facie aliquando tollamus, sanè quam parum abest quin eos Romanos esse negem, qui putant ullam à me nomini Romano notam inuri potuisse. Nec enim tantarum eram uirium, ut ullum Reip. uulnus imponerem, neq; uero tam tenues Populi Romani opes, ut plagam ullam à me acciperent. Cicatrix autem ulla ibi esse qui potest ubi nullum fuit uulnus? Et quando hæc iniuria tota uerborum est, quid (oro) præclarius quàm si ab eo laudere, qui te prius conuicijs omnibus uexauit? Qui primum laudibus aliquem in cœlum effert, assentatoris euitare suspicionem planè non potest, qui à uituperatione commendat, hic locuples ueritati testimonium afferre atq; indicium præstare existimatur. Quod si egregiam illam declamationē tantarum esse uirium arbitramini, ut satis sit ad aspergendam indelebilem huius Reip. dignitati maculam, uos sine dubio iustius, qui me accusatis, q̄ ego hoc estis nomine accusandi. Ego enim illam ipsam, cum alijs à me iam dictis causis, tum uero ne'ue superstitiose credulis quicquam suspicandi, ne'ue peruerse, ingeniosis calumniandi ansam præberem, quoad potui compressi. Ego editam ægre, nec id quidem dissimulanter tuli. Ego ne in multorum hominum manus proueniret, & per me ipse curaui, & amicis ut idem facerent negocium dedi. Ego ne quis meum in ea de Populo Romano iudicium inesse putaret, quinq; uoluminibus consecutus eram. Breuiter, ego medicinam quácunq; potui attuli. Vos contra omnino, ipsi remedia omnia effudistis. Vos in hoc ulcere tanquam ungues extitistis, uos illam uulgo communē castis, dum eam ex latina Italicam, nec id bona tamen fide, facitis. Vos sexcentis exemplaribus descriptam, toti urbi diuisistis & ut in cæteris Italiæ oppidis esset, procurastis. Vos in eam opinionem homines, ut à me serio scripta uideatur, adduxistis. Deniq; uos ut nemo eam legere iam nō cupiat, effecistis. Nam ante has à uobis excitatas tragœdias, quotus illam quisq; non dico perlegerat, uix enim unus & alter, pauci certe strictim attigerant, sed in Populum Romanum parum esse honorificam audierat. Siquid in ea est, quo ciuitatis huius existimatio lædi posse uideatur, non id quidem mihi, qui ne in apertum proferretur, omni diligentia prouideram, sed uobis certe uitio uerti debet, qui ut à cunctis mortalibus legi posset, curastis, & quantum in uobis est, grauem Po. Romano iniuriam facitis, dum uos iniurias eius tanquam graues fortiter perse qui gloriamini. Si à me ficta esse ea omnia existimatis, quibus Populi Ro

mani nomen illic uiolari contenditis, an non ijs ipsi uos fidem & authoritatem facitis, qui quasi ueris criminibus adeo turbulente concitamini? & perinde atque in Gallico tumultu, immo non aliter ac si Senones ad portas essent, uel etiam hostis in urbem iam recæptus, Populum Romanum non tam ad saga q̃ arma sumenda cohortamini? nec enim de nihilo & uanis dictis Romanos commoueri quisquam facile credat. Sin etiam uera, cur quæ uobis perpetuo silentio tegenda, quæ dissimulatione obliteranda fuerant, huiuscemodi concionibus retegitis, atq; istis uestris medicamẽtis Reip. uulnera exulceratis, nocẽtiore mediusfidius, auxilio q̃ malo? Quod si nihil in illa est, neq; ficti, neq; iniurij, nec inde quicquã negotij aut ignominiæ Populo Romano impendet, ut nihil facile impendet, cur me in capitis & existimationis periculum tam crudeliter uocatis? Næ si uos Romanos esse homines meminissetis, maiorum uestrorum hisce in causis exempla secuti, declamationem illam risu aut contemptu excæpissetis, non his terroribus & concionibus uestris nobilitassetis.

Atque plebeijs quidem istis facile ignoscas, qui nec se pugnantia loqui, nec facta sua inter se collidi satis intelligunt & eandem dictorum, factorum rationem esse arbitrantur, putantq; se more imbecillium animãtium grauiter lædi, si uel summitius inclamentur, uel etiam leuius contrectentur. At illos quis iam ferat? qui cum se præter imperitum uulgus multum sapere, sibi uulgoq; etiam ipsi persuascrint, tamen quid hodie Roma sit ipsa, immo quid sit hominem Romanum esse penitus ignorant. Sic enim isti censent, contemni tum à uobis recte puerilem illam orationem potuisse, si ut olim, sic etiam hodie Romani imperij opes florerent, quasi uero barbarorum sit, non iam Romanorum animis insitum atque infixum, neque secundis rebus efferri, neque aduersis deprimi, contraq; eo magis erigi & confirmari quo grauior & atrocior tempestas urgeat? O uocem auribus uestris indignam. O sententiam adhuc Romæ inauditam. Siccine uero cum fortuna, etiam deponendam censes animi uirtutem? qua una freti, omnes fortunæ minas, omnes gentium omnium impetus, Romani & fortiter sustinuerũt & egregie semper contuderunt. Bello punico secundo, cum iam uobis præter hanc urbem, ex tanto imperio reliquum esset nihil, cæsis tot ducibus, tot legionibus, tot consulibus, tot exercitibus, adeo magno animo ciuitas fuit, ut C. Terentio Varroni ex Cannensi illa clade, cuius ipse maxima causa fuisset, redeunti, & obuiam sit itum frequenter ab omnibus ordinibus, & actæ gratiæ, quod de Rep. non desperasset. Nunc autem in tanta rerum tranquillitate, in tam longe, lateq; patenti imperio, est, (credo) quod isti ad

timorem uobis & terrorem stultissime proponebant periculum, ut propter illam puerilem oratiunculam, ne aut Germania deficiat, Gallia desciscat, atque ut eorum præclara ponam uerba, ne tota ultramontana barbaries cornua erigat, & nouas incursiones in Italiam aggrediatur. Atqui neque illud sanè uideo cur de uobis tam male sentiant, ut Reip. statum, tanquam abiectum & planè euersum, contemptui nobis fuisse existiment, qui nihilo quidem minus uestram quàm maiorum nostrorum fortunam semper admirati sumus. Imperarunt illi (fateor) multo maximis terræ partibus, uos autem, an non omnium gentium uel clarissimis uel fortissimis ius dicitis? quando præter Italiam, Siciliam, Sardiniam, Gallos item, Hispanos, Germanos, Pannones, Illyricos, Dacas, Sauromatas, & Europæos Scythas, hinc etiam iura petunt, toto diuisi orbe, Hyberni, Britanni, atque felices illi fortunatarum insularum incolæ Canarij. Nam Thulem olim existimatam, Orchadum ultimam religionis quidem imperio sociam adhuc tenetis. Domuerunt illi (scio) summa uirtute plerasque omnes Africæ, Asiæq; nationes. At uobis plurimæ ultro parent, plurimæ pontificis, principisq; Romani legibus utuntur. In Græcia quidem & Asia Epidaurus, Alycarnassus, Cyprus, Rhodus, Creta, Chius, Corcyra, breuiter quotcunque inter Asiam, Africam, Europam toto mari uisuntur insulæ, hæ omnes nutum uestrum intuentur. In Africa uero sacro iure reguntur Massæsyli, Tripolitani Cæsariensis Mauritania, Tyngitana prouincia. Non me quidem fugit multis illos gentibus imperitasse, quarum nulli hodie ius dicitis. Atqui uos multarum in animos, quod quidem summum esse summi imperij argumentum reor, hodie dominamini, quarum illi nomen haud scio an unquam audierint, uel etiam omnino legerint, regiones certe nunquam adierunt, mores ne ex negociatoribus quidem notos habuerunt. Profecto Gothis ipsis, Danis, Sclauis, Pomesanis, Borussijs, & qui usq; ad Rhiphæos montes, concretumq; oceanum latissimis finibus protenduntur Litalanis ac Liuonibus imperatis. In aduersa uero mundi parte, & extima Africæ ora, quæ à Gaditano freto, per utrosque Aethiopas, usque ad mare rubrum in immensum procurrit, uobis parent tot populi, tot gentes, tot nationes, tot Principes, tot reges, ut sanè nomenclatore opus sit aliquo, si quis eos omnes recenseri hic cupiat. Quid? quod præter Indum & Gangem, ac nobilissimas illas Orientis insulas, orbis alter ab occasu, isq; hoc nostro nihilo penè minor, ac maioribus item nostris ne fama quidem notus, Principis Pontificisq; Romani imperio obtemperat?

An non hodie etiam (ut olim) in Africam, Europam, Asiam, ad solis ortum, & occasum, in Meridiem, & Septentrionem, immo uero ultra ipsas quoq; solis, anniq; uias, mutatis quidem nominibus, sed pari potestate cum imperio mittitis, aut illic probatos creatis Quaestores, Praetores, Praesides, Proconsules, quos praepositos, Episcopos, Archiepiscopos, primates appellant? Quorsum haec? quorsum? ut isti intelligant nihil esse quod aut maioribus uestris tantopere inuideatis, aut puerilem illam de laudibus Francorum dictionem in tanta imperij magnitudine, in tam alto festae pacis ocio non facile contemnatis. Quae si uobis deessent omnia esset tamen profecto à Po. Romani dignitate longe alienum uerbis commoueri, ne muliebri ingenio, cum imperio (quod in manu fortunae semper fuit) uirtutem quoq; amisisse, atq; à prisca illa maiorum uestrorum constantia, animiq; magnitudine prorsus degenerasse uideamini. At enim Po. Romano turpe fuerit, unius in Christ. Longollij potestate positum uideri, ut is arbitratu suo, res Romanas modo extollat, modo deprimat. Non in unius Longolij potestate collatum istuc est P.C. sed nec in mortalium cuiusquam arbitrio, si omnem humanam laudem, rerum gestarum magnitudine multum superastis, omnem inuidiam gloria longe uicistis. An non hic manifestam aduersariorum meorum & calumniā & iniquitatem perspicitis? qui eandē obseruātiae contumeliaeq; poenā sanciunt? & laudem uituperationis loco ponunt? Si me ciuitate uestra indignum ducitis, quod eam puer uituperare sum uisus, cur non eadem quoq; dignum, quod uir factus omni laudum genere ornarim? Sed hoc nō postulo, illud miror, cur laudibus uestris à me optima fide conscriptis & summam inesse infamiam & maximam poenam constituendam iudicetis, cum & usu frequens sit, nec summae nunquam prudentiae attributum, è quo sis fonte leuiter aspersus, ex eodem laudes tuas haurire? Quidnam illud tandem sibi uelle existimamus, ut à poetis fortasse confictum, sic certe in rem mortalium sapienter excogitatum? Stesichorum uatem egregium, simulac in Helenam illam dixisset, oculorum usum amisisse, statim ut recantasset, recuperasse. Quidnam aliud P.C. nisi conuitia laudibus tolli, maledicta benedictis emendari? uerborum iniurias bonis uerbis pensari? Si in Romanos scripsissem, re uera peccassem, sed eo sanè delicti genere, quod sequens laudatio facile corrigeret. Atqui in uos iusta oratione, aut consulto inuectus sum nunquam. Quae tandem igitur inuidia est, si rerum uestrarum studio incensus, de laudibus uestris orationes quinq; q̄ potui ornatissime & copiosissime conscripsi? & eas haud ita pridem Romae in frequentissimo doctissimorum hominum cōuentu apud Io. Mathaeum Gibertum studiosissime recitaui? Neq; uero ullam in

lam in eo leuitatis famam mihi pertimescendam esse existimaui, quasi pristinas meas actiones ipse uoce mea damnarem. Primum enim sapientis hominis esse iudicabam ita grauitati suæ constare uelle, ut consiliorũ suorũ rõnes interdum commutandas putaret. Deinde illud mihi in mentem ueniebat, quod id ætatis neque mea uoluntate, neque meo iudicio satis usus essem. Postremo nihil hasce conciones, illi declamationi, qua ternus res Francorum ornassem, aduersaturas uidebam. Sic enim Populi Romani laudes prædicaui, ut omnium sententia ipse à me non desciuerim, idest ut Francis constãtiam, historiæ fidem, uobis quam debeo pietatem præstiterim. Incubui quidem uehementius in causam uestrã, atque oẽs animi ingnijq; mei uires in eam profudi, sed nõ alia sanè de cã atq; ut ne quis ea in uos serio et bona fide à me dicta esse suspicaretur, quæ tũ s.tpibus dedissem, tũ uero ut me in Frãcicarũ rerũ cõmemoratione officij fructum, in his quinq; cõcionibus etiã pietatis laudẽ quæsiuisse homines aliquando intelligerent. Absit uerbo inuidia, P.C. sedita res habet, quẽadmodum Lælius Maximus uir fortissimus, et idem ciuis optimus, uobis hoc loco nuper testabatur, cum paulum deflagrante nominis mei inuidia, absentis causam ageret et huius conspirationis fontes aperiret. Non illud mihi potissimum obest, quod in primis crimini datur, sed uel laudi uel nouitati inuidetur meæ, quod post habitas quinq; illas conciones, eruditorum hominum contestatione, res uestras eo celebrasse dictus sim modo, quo ante me mortalium nemo. Hinc illæ inuidiæ tempestates, hinc illæ tragœdiæ, hinc ego Italiæ inimicus, hinc Christ. Longolius huius Reip. hostis, hinc si quic q̃ istis creditis, ego dijs hominibusq; iuxta inuisus. Intererant enim concioni tres illæ faces, immo tria illa huius tumultus incendia cum inquilino suo Sinone, quem ante tum eum diem cũ tantũ laudis ex laudibus uestris retuli, tum mihi à uobis ius ciuitatis delatũ, semper inuidia pallentem mirabamini nunc autem magno uel uestri de me iudicij splendore incensum, uel repulsæ suæ dolore inflammatum et ardentem uidetis. Aderant igitur illi, quando tam illustre testimonium, haud scio an ipsorum etiam consensu perhonorificis certe omnium uerbis retuli. Sed si res uestras scriptis meis tam acerbe q̃ isti mentiuntur exagitassem, quanto iustius à me ornandi fuissetis? Nec eni uideo ut aliter uiolata Populi Ro. dignitas expiari potuerit. Si nihil in uos dedita opera scripsi, ut nihil profecto scripsi, ne mihi, rogo, fraudi sit, quod uos pro uirili mea parte celebraui. Scio equidem res uestras nec tam obscuras esse ut testimonio cuiusquam illustrari, nec tam dubias, ut nostro iudicio confirmari desiderent. Ne multa, scio quidem nomini Ro. nihil esse opus externorum (Quos isti barbaros appellitant)



ſcriptorum monimentis, ſed nec Deo etiam mortalium ſermonibus. At il le cum ſua ſponte ſatis & laudatus ſit & beatus, tamen gentium omni um linguis atq; literis laudes ſuas celebrari facile patitur, atq; (ut credi bile eſt) etiam gaudet, cum in officio ſumus, idq; pie ac religioſe colimus, quod ſupra omnem mortalium conditionem longiſſime extollitur. Pari ego res ueſtras ratione dilaudaui P. C. non ut eas prædicatione noſtra amplificarem, nec enim habent quo iam progrediantur, quandoquidem ut ille ueriſſime cecinit, Imperium terris, animos æquaſtis olympo, ſed ut omnibus mortalibus, non ſolum uobis teſtatum planumq; facerem. quã/tum id eſſet quod de Italiæ felicitate, urbis huius præſtantia, Populi Ro. uirtute, imperij ueſtri maieſtate iam olim perſuaſum habuiſſem. Nã quod iſti ad ſerendos quidem rumores & ad conijciendas in aliquem ſuſpicio/nes appoſitiſſimi, ad explicationẽ uero criminis longe ineptiſſimi, mul/tis ueſtrum Senatum ingreſſuris, in aurem quidem, ſed ita ut amicorum meorum nonnulli exaudirent, inſuſurrarunt, periculum eſſe ut ſi ſecun/dum me iudicetis, ne ſtatim in Gallias ac Germanias tanquam à me Ro mæ ſuperatis tranſalpina dicendi facultate Romanis, ad triumphum de uolem, atq; illinc, ea immutata, quam nunc erga uos præ me fero uolun tate, uobis ſtultitiam ueſtram ipſe exprobrem quod me ciuitatis iure non ſpoliaueritis, in quos olim tam acerbe inuectus eſſem. An non hic etiam ſentitis P. C. cum innocentiæ meæ, tum iuſtitiæ ueſtræ, inſidias nouo & ſingulari quodam artificio tendi? Scripſiſſe me in uos dicunt. At id me operis nunquam habuiſſe oſtendi. Gloriaturum me apud Gallos & Ger manos aiunt quaſi conturbatos dictionis noſtræ uiribus Romanos in ipſa urbe Roma ſuperarim. At quàm nõ ita multum in hac latine dicẽdi lau de proceſſerim, magis ſanè magis ꝙ cauſæ noſtræ expediat, uidetis, niſi cui fortaſſe ueſtrum ſummam eloquentiam ſumma innocentia libeat de/finire. Qua quidẽ ratiõe, nõ Po. ipſum Ro. quicũ mihi bene conuenit, nul lum quidem planè certamen unquam fuit, ſed accuſatorum meorum fa ctionem ueſtro iudicio, approbante Populo Ro. à me Romæ uictam eſſe, per uos quidem mihi uti ſpero & opto gloriari aliquando liceurit. Ad/debant me, ſi deo placet, uecordiam uobis exprobraturum eſſe. At quod nam rei huius argumentum attulerunt? quo id demum ſigno ſibi ducũt? quod ne leui quidem coniectura quiſquam doceat. Nam ſi me tam in/gratum libeat fingere, tam ſtultus certe non ſum ut uel tanto ſtudio colle/ctam in me beneuolentiam temere effundã, uel quid de eo iudicaturi ſint homines non uideam, & quã magnam perfidiæ ſceleriſq; infamiã mihi ſtruerem, non proſpiciam. Verum quis me uobis inimicum fore cre/dat, ob acceptum, & hoc ueſtro iudicio comprobatum (uti ſpero) dupli/

tamq; mihi ciuitatis beneficium, qui sola ciuium Romanorum consuetudine uel anteq̃ uestra de me tam praeclara iudicia extarent, duceret atq; delectaret? qui huiusce retinendi patriae iuris sum appetentissimus? urbis Romae amantissimus? literarum uestrarũ cupidissimus? Religionis Romanae & Christianae studiosissimus? deniq; ingeniorum uestrorum admirator etiam nimius? Siquid modo hoc in genere sociorum multis credendum putarem. Omnino nisi me ex aduersariorum meorum ingenio atq; natura fingitis, nunquam planè odiosis eorum suspitionibus criminibusq; fauebitis, quae cum à moribus atq; institutis nostris multũ abhorrere uobis pollicecor, tum uero commodis atq; existimationi meae plurimum esse aduersatura, iam uos quoq; animo cernere arbitror. Cum boni uiri & mente & fama nihil unquã duxerim antiquius, easq; mihi nihilo tuendas minus res q̃ uitam ipsam sim arbitratus, equidem fidem meã apud optimos quosq; labefactarem, neq; adeo ipse me hominem iam putarem, si humanitatem, si aequabilem uestram in dicendo iure rationem incusarem, id uobis uitio ingrate uerterem, quo uno potissimum nomine, non dico ipsi me uobis in perpetuum deuinxissetis, sed uos ad Dei immortalis numen proxime accessissetis. Ego clementiam uobis exprobrẽ? ego liberalitatem obijciam? ego animi uestri altitudinem accusem? Ne P. C. ne (quaeso) uanis istorum suspicionibus uobis indulgendum putetis, quin eis hoc magis resistite, quo minus Populi Ro. magnitudinẽ decet, cuiusquam sermones reformidare, nedum illius, qui si munificentiã aequitatemq; uestram reprehenderet, eodem ipso tempore, & uos summopere laudaret, & sua se uoce ingrati crimine condemnaret, quod quid aliud sit nisi cum se omni munificentiae & iudicij uestri fructu stulte priuare? tum omnium mortalium odijs atq; execrationibus subijcere? Habetis à me quinq; illas nostras conciones, non modo periculi, quod quidem nullũ est, obsides, ac uoluntatis, quae sempiterna certe futura est, pignora, sed totidem etiam perpetua meae in nomen Ro. obseruantiae monumenta. Sed nec sanè diu ignotum socijs & prouincialibus esse poterit q̃ hoc in loco apud uos enixe contenderim ut bonus tum uir, tum ciuis omnium uel opinione haberer, uel etiam sententia iudicarer.

CHRISTOPHORI LONGOLII CIVIS RO. PERDVELLIONIS REI POSTERIORIS DIEI DEFENSIO.

SI quanta sit apud æquos iudices innocentiæ uis atq; potestas, in aliorum periculis nunquam didicissem P. C. *id mihi certe de capite atq; existimatione mea, hesterno die dicenti experiri licuisset, qui cum in iudicium tanta, quanta post homines natos haud scio an nemo, inuidia pressus descendissem, idq; nulla dicendi facultate munitus, sed una cum innocentia mea tectus, tum fide sapientiaq; uestra fretus fecissem, tanto tamen sim à uobis silentio exaudiuus ut non modo idem nunc sperem, uerum etiam, ex hoc frequenti uestro conspectu, oculorumq; & animorum in me liberali contuitu, mihi persuadeam, heri atrocissimum illud, habitæ in* Po. Romanum *concionis crimen à me dissolutum atque grauissimas eodem pertinentes istorum suspitiones discussas fuisse. Quo nunc scilicet, in eam quoq; spem facile adducor, ut iudicij huius exitum nobis ex animi sententia hodie processurum existimem.* Restat *enim ut ijs criminibus respondeam, quibus non tam peccatum meum ullum accusatur, q̃ uestrum* P.C. *factum reprehenditur quasi contra legitimum Quiritum ius, homini* Gallo, *ignobili, ac literarum uestrarum planè experti ciuitatem* Romanam *sitis elargiti. Quæ omnia cum falsa sint & uana, idq; me uobis hic statim ostensurum confidam, peto à uobis ut uos mihi in communi crimine tam facileis hodierno die impertiamini quàm hesterno, aduersum me, cum unus ego reus ab istis agerer, æquos disceptatores præbuistis. Quid ais ingeniose adolescens? hominem* Gallum *ciuitate donari non potuisse? Quid si me* Senatus *sciens & prudens quasi* Gallum *in ciuitatem accersiuit, an amplissimum ordinem ut iuris ciuilis moris maiorum, rei denīq; publicæ imperitum tu coargues? tu ad decretum publico consilio factum turpiter rescindēdum compelles?* An *aduocatis tuis, cum hæc tibi disputanda ediscendaq; proponerent, illud in mentem nunquam uenit? me, quem contra ut diceres, comparabare, huiusmodi argumentatione laudatum, eos apud quos dicturus eras, summopere uituperatum iri?* Etenim *si a condita urbe ego* Gallorum *omnium unus,* Patrum *decreto dignus ciuitate* Romana *sum habitus, quid me lautius, atq; honestius?* Quid Senatu *ipso, si me contra ius omne atq; fas accersiuit, fœdius atq; turpius?* Atqui *nolo hinc tibi inuidiam apud eos confla-*

te, quorum abs te & dignitatē & authoritatem oppugnari non satis intelligis, dum id mihi publico consilio decretum esse, quod neq; licebat neq; decebat, impudenter affirmas. Quin etiam illud omittam, quod quidem est totius nostræ defensionis firmamentum & robur, non licere priuato cuiquam, nec nisi Po. Romano in Senatusc. inquirere. Esse duodecim tabularum legibus nominatim cautum, populi iussu comprobatum, imperatorum constitutionibus sancitum, iure atq; more maio℞ adhūc usq; diē usurpatum, ut amplis. ordinis authoritas rata habeatur, Patrum decreta legis uim sortiantur. Res igitur mecum tibi posthac erit. Quid porro fieri potuisse negas? homini Gallo ciuitatem communicari? At quis tibi ius istud descripsit? Verum illud prius de te quæro, esse me Gallum tibi qui cōstat? Nam si & C. Plinium, & Aug. Cæsarem orbis terræ descriptores diligentissimos consules, Germanum me esse respondebunt. Sunt enim eis Germaniæ populi quicunque Scalden inter & Rhenum flumina habitant, in eo esse terrarum tractu (Vnde nos sumus) Macliniam (si nescis) Germanos ipsos percuntare. Idem ab eis, quod de me audies, quin illud præterea cognosces, Macliniam non linguæ tantum sono ad Germaniam pertinere, sed etiam Cæsarum esse ditionis, atq; adeo uetus Romani imperij municipium, ut me fortasse communi illa & municipali lege, non iam ullo priuilegio ciuem Romanum appellare fas sit. Sed sim sane Gallus, quando ita tu uis, idq; etiam C. Cæsari & Cn. Straboni placuit, qui Galliam ulteriorem Rheno & Pyrene, Alpibus & Oceano diffinierunt. Non mutet lingua cœli conditionem, nō mutet ius dicentis imperiū, soli naturam, non occuparint Germani quicquid inter Rhenum & Scalden terrarum iacet. Vnde tamen Senatui planum facies, homines Gallos in ciuitatem recipi non posse? Non sane ex capitibus, ad Municipales & incolas, ubi cum omnia quidem omniū ciuitatum iura accuratissime describantur, tamen nullum inde Senatuscon. protuleris, nullum Plebiscitum, nullum Principis edictum, nullum Prætoris decretum, nullum iurisperiti responsum, quod Gallis hac ciuitate interdixerit. Ac quoniam te neq; à iure ciuili, neq; ab rerum Romanarum memoria, neq; ab iudicio℞ consuetudine ullo modo instructum esse aut paratum uideo, hic te monitum uelim, falsi pœna eum teneri qui in iudicio legem in caput alterius recitet, quæ neq; institutionibus ciuilibus, neq; quinquaginta illis digestorū libris, neq; Iustiniani duodecim codicis uoluminibus, alijs'ue principalibus edictis contineatur. Illud item te nescire nolim, legum uestrarum decretis diligenter comparatum, & sancte cautum esse ut qui alterum capitalis criminis postularet, ei legum ignorantia ne prodesset, quo minus talione in ipsum uindicaretur, si eum, cuius nomen detulisset, nō condemn

naſſet. Quod cum ita ſit, inferasq; innocenti periculum, non modo nulla lege, ſed nec ullo more, inſtituto'ue maiorum, atq; etiam ſine ullo exemplo. Ecquis enim unquam ciuitate pulſus eſt, quod Gallus eſſet? quod indoctus? quod ignobilis? quonam confugies, ſi & legis Corneliæ ſpicaulum in te intorſero, quod falſis in me legibus, nullo authore inuehar is? & ab ampliſſimo ordine petam, ut pro Senatuſcon. Turpiliani decreto accuſatoris temeritas lege Rhemia uindicetur? quod non ad te modo, uerum ad iſtos etiam, qui tecum in eadem ſunt cauſa, omneis pertinere uelim intelligas. Quo confugies inquam? nimirum ad iſtos tuos ſubſcriptores, ad magiſtros, qui te nouo aliquo commento, tot legum periculis irretitum, tot iaculis confoſſum, incolumen uidelicet ſeruaturi ſunt. Vix mihi perſuadere poſſum P.C. ingenioſos quidem, atq; uehementes hoſce adoleſcentulos, ſed ad forenſem uſum parum ut uidetis eruditos, ad hanc accuſationem deſcenſuros fuiſſe, ſi hoc ipſum omnino ſciuiſſent, quid ſit aliquem iudicio capitis arceſſere, aut cum deſcendiſſent, in ſententia iam tot dies permanſuros fuiſſe, niſi de quo ſe etiam iactant, magnis & occultis nonnullorum clàm nos oppugnantium opibus niterentur. Quare per me quidem habeant excuſationem licet, aut pietatis, aut neceſſitatis, aut ætatis. Si ſponte ſua me accuſarunt, donetur in patriam pietati, cuius ſe iniurias hoc iudicio ulciſci arbitrantur. Si à parentibus ſuis iuſſi, neceſſitati, ijs enim pareant neceſſe eſt. Si quam eloquentiæ laudem temere ſperarunt, adoleſcentiæ, quæ ut confidentiæ plena eſt, ſic ob fori humanarumq; imperitiam rerum, uenia in primis digna. Subſcriptoribus autē & aſtipulatoribus eorum, hoc eſt huius tumultus & ſeditionis authoribus quibuſcum ſub iſtorum nomine, uehementius interdum litigo, non modo non ignoſcētis, ſed etiam temeritatis pœnas, easq; Populo Rom. dignas, ſed non faciam, ut cuiquam, parum aut modeſtus uideri poſſim, ſi uobis pœnarum modum præſcribam, qui hic non legitimo iudicio, ſed libere diſceptationi præſidetis, aut chriſtianus, ſi uos ad ſumendū de iſtis ſupplicium acerbius cohorter. Itaq; res tota, arbitratu ueſtro dijudicetur. Verum quam ipſi uobis ex iure publico legem expromunt, quæ Gallos ciuitate Romana arceat? Nullam puto. Neq; enim ulla, quod quidem memoriæ proditum ſit, hac de re lata eſt. Quod ut prius fuerit aliqua, quam Galli in Populi Romani poteſtatem perueniſſent, audebunt'ne iſti propterea, legem tot exemplis antiquatam, tam nobili q̄ mox dicetur Patrum decreto obrutam, poſt tot ætatum ſecula in iudicijs recitare? cum in Senatuſcon. Libeniani pœnam, non minus is incidat, qui lege uel tacito conſenſu uel aliter abrogata q̄ qui, nunquam rogata, ſcita'ue in alterius

pernitiem utitur? Haud equidem satis uideo P. C. istorumne magis uobis cohercenda sit improbitas, an mihi capitalis eorum deploranda securitas. Sic enim mecum apud uos agunt, quasi uel Senatum ludibrio haberent, uel me animi causa friuolis & nugatorijs calumnijs insectarentur. Quid dicitis homines à rerum Romanarum cognitione longe remotissimi? Gallos in ciuitatem recipi non posse? Quanam id demum in urbe disputatis? Nonne in ea quæ integras Gallorum legiones à C. Cæsare Dictatore, etiam equestri & censu & ordine, non solum ciuium Romanorum iure donatas uidit? Sed quando id armis oppressa, aut perturbata certe Rep. factum uideri potest. Heus tu, recita Orationem, quam post cõstitutum Reip. statum, & Galliam propemodum totam ciuitate donatã, de admittendis etiam in Senatũ Gallis Claudius Cæsar habuit. ORATIO. Recita item Senatus consultum mox in sententiam Principis factũ Aul. Vitellio, Lu. Vispano Coss. SENATVS CONSVLTVM. intellexistis P. C. q̃ grauiter ipse Populi Romani princeps, hoc ipso loco iã tum, Galliam tutatus sit aduersus istorum calumnias, quas in Gallos, quo me etiam in summum inde apud imperitum uulgus odium adducerent, nuper effuderunt? Mirum est enim q̃ intemperanter ubiq; Gallorum nomine ad causæ nostræ inuidiam abutantur, cum ego planè Gallus non sim, nihil certe de Gallorum laudibus unquam scripserim. Itaq; in eorum quibus ego sanè inimicus non sum, defensionem nihil à me, præter hoc unum audietis, habuisse urbem Romam, Gallos non solum ciueis, ab urbe condita innumerabileis, sed etiam tum Imperatores, tum Pontifices cõplures, neq; imperio uestro parum utiles, neq; persuasione christiana indignos. Quod uero ad causam nostram pertinet, id est nulla post Senatusconsult. illud lege cautum esse, ne'ue Gallos ne'ue Francos homines in ciuitatem uestram uobis asciscere liceret. Neque uero me hic oblitum putetis eorum P. C. quæ accusatores mei, ex illa M. T. Ciceronis oratione, quam is pro L. Cornelio Balbo habuit, in me magno imperitæ multitudinis plausu atq; clamoribus attulerunt. Memini, uerum me pudet cum illorum, qui illa, nulla literarum uestrarum cognitione instructi dixerunt, tum meimet ipsius qui in quæstione legitima, & in iudicio publico, ad puerilia studia reuocer, cogarq; in Senatu Populi Romani, non iam de iure legibusq; maiorum nostrorum sed de controuersia, in ludo apud Rhetores aut Grammaticos potius declamanda uerba facere. Verum qñ se liti tam cupide offerunt, gestiuntq; ipso id à me etiã improbe exigunt, nec uos quidem in eo repugnatis, dicatur sanè, sit eis per me impune, quod legem nusquam scriptam, tot exemplis, etiam si extaret,

antiquatam, tam memorabili Senatuscon. penitus sublatam, in caput me um recitarint. At quid dicunt tandem? Extare uerba apud M. T. Ciceronem, quibus colligant, olim legem fuisse, transalpinarum gentium odio latam, qua Galli ciuitate Romana prorsus arcerentur. Quid si ex eadem illa oratione, atq; adeo ex iisdem illis uerbis doceo, neq; Gallos à uobis ciuitate prohiberi, neq; eorum odio quicquam fuisse decretum? Recita M. T. Ciceronis uerba, quibus isti Gallos homines ciuitate excludi contendunt. Sed nihil est opus, uideor enim mihi illa memoriter esse complexus. Quædam (inquit Cicero) fœdera extant, ut Germanorum, Insubrum, Heluetiorum, Iapidum, nõnullorum item ex Gallia barbarorũ, quorum i fœderibus exceptum est ne quis à nobis ciuis recipiatur. Hæc ille quidem totidem uerbis scripta nobis reliquit. Verum hic mihi primum illud uelim accusatores mei respondeant, quonam uobis pacto planum facturi sint M. T. C. aut illius potius fœderis authorẽ, id de illis nescio quibus barbaris, qui Maclinienses hodie uocentur intellexisse? quos quidem esse populorum illorum omnium longe humanissimos, ac maiorum nostrorum moribus multo simillimos, ne cæteri quidem Belgæ negant. Nullo id sanè modo ostenderint, quare nec me illa sua futili coniectura ciuitate pepulerint, cum non omnes omnino Gallos, sed eorum dumtaxat nõnullos exceperit, quos in ciuitatem uestrã recipere non possitis. Quod si me hic Germanum esse exclamabunt, cui ex fœdere ciui Romano esse nõ liceat, haud quaq̃ tamen imitabor quasi desultoriã hãc istorũ leuitatem, neq; ad Gallos statim transfugiã, quod partim meo iure, partim eorũ improbitate compulsus facere possum, sed illud eos interrogabo, ea exceptione utris nam cautum putẽt, Germanis an Romanis? Romanis respondebunt uidelicet, quorum semper fuit conditiones ferre non leges accipere. Quid, si uerba ipsa, et res, et in eadem oratione M. T. Cicero testimonio sunt, ea Pactione transalpinis gentibus prospici? Romanis præscribi? Num cui dubium poterit esse, quin isti ad nos oppugnandum impudentiam cum stultitia & imperitia coniunxerint? quæso animum hisce uerbis P. C. aduertite. Germanorum (inquit) fœderibus exceptum est, ne quis á nobis in ciuitatem recipiatur. Si ea fœderis conditione superiores Romani fuissent, dixisset opinor, Romanorum fœdere exceptum, ne Germani in ciuitatem reciperentur, quid ita? Nempe quod Syllani & Carbonis lege, fœderatis populis omnibus ciuitas dabatur. Quod cum dicat Germanorum fœdere exceptum esse, ne quis á uobis ciuis recipiatur an hoc dubitabit quisquam omnium, Germanos cum maioribus uestris fœdus ea præscriptione iniuisse, ut ne popularium suorum quenquam i ciuitatem uestram aut priuilegio aut Syllani, Carbõis

ne lege recæperitis? cur id fecerint, mox dicetur. Nunc mihi demonstrasse satis est, uerba ipsa cum Germanis facere, nequicquam in eorum contumeliam, iisdem fœderibus esse expressum. Iam uero cum statim à condita urbe, ea semper fuerit Populi Romani, næ omnibus seculis commemoranda celebrandaq; consiliorum ratio, ut una tandem esset in toto orbe terrarum ciuitas, idem ius, idem sermo, eoq; nomine cunctis mortalibus ciuitatem largirentur, admitterentq; nullo discrimine stipendiarios, hostes, seruos. Nam Stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris item prouincijs multos ciuitate donatos scitis, & qui hostes ad uos perfugissent ciuium numero habitos, seruos deniq;, quorum conditio etiam turpis esset, uindicta manumissos, non solum libertatem sed ciuitatem quoque Romanam adeptos fuisse satis constat. Si istuc inquam in maiorum uestrorum animis insederat, ut cunctos mortales ad huius Reipub. communionem conuocarent, quis eos credat se tanto robore, tot fortissimis ciuibus quot eis Germania suppeditare potuisset, sua sponte priuare uoluisse? Lydos (opinor) Phrygas, Cilicas, Aegyptios, Cappadocas, Syros, et firmissima illa reliquæ Asiæ auxilia, in ciuitatem asciscebant, Germanos uero, Gallos, Insubres, Heluetios, tanquam leueis atque imbelleis gentes aspernabantur. Ne mihi graue aliquod hic intendant odium, quod in transalpinas gentes nullum quidem esse tantum potuit, quanto in Pœnorum perfidiam flagrarant, quos tamen nullo maiore negotio in ciuitatem admissos esse, nemo qui paulum modo in annalium uestrorum lectione uersatus sit ignorat. Deinde quæ est hodie christianorum hominum in persuadendis, & ad bene beateq; ex Christi instituto, uiuendum traducendis barbaris omnibus ratio, ea scilicet maiorum nostrorum fuit in communicando cunctis gentibus ciuitatis iure sententia. Et quoniam M. T. C. aut istorum potius inscitia, ex unius M. T. C. scriptis negotium mihi exhibet & memoria uobis referam P. C. quid ille idem M. T. C. in eadem pro Lu. Cor. Balbo oratione, tam aduersus istos aperte quàm in sententiam meam diserte scripserit. Defendo (inquit) rem uniuersam, dico nullam esse gentem ex omni regno terrarum neq; tam dissidentem à Populo Romano odio quodam atque dissidio, neq; tam fide beneuolentiaq; coniunctam, ex qua nobis interdictum sit ciuem asciscere. Verba igitur ipsa, & res, & ille cuius authoritate hic oppugnamur, M. T. Cicero nobis patrocinantur, ostenduntq; nihil transalpinarum gentium odio, eo fœdere sanctum atque perscriptum quominus eorum aliquis in hanc ciuitatem ueniret. Age porro, quandoquidem apud iureconsultos inurbanum & iniquum haberi uideo nisi tota lege perspecta iudicare, uel respondere, quo magis eam conditionem à Germa

nis non ab Romanis fœderi adiectam fuisse cognoscatis. Heus tu, recita Ciceronis uerba, paulo altius repetita. CICERONIS VERBA. Animaduertistis P.C. ut in percutiendo fœdere moris fuerit eorum qui uobiscū paciscerentur, interdum cauere, ne quem suorum ciuitate donaretis, idq; Gallis authoribus adscriptum, ac de Germanorum sententia tum adiūctum fuisse, non à Po. Romano additum? qui Germanos in ciuium suorum numerum nihil grauate admisissent, si per transalpinas gentes, id eis licitum fuisset. Afferant nunc isti nostri magistri causam (si possunt) immo hic discant, quando hoc primum discendi tempus sunt nacti, cur Germani studio quidem, sed nullo in uos odio, ciuitate uestra sibi interdixerint, quam reliqui penè mortales uoto petebant. Tuebatur libertatem suam Germania P.C. uel potius regno quisq; suo prospiciebat Germaniæ principum, ueriti ne si popularibus suis ciuitatis uestræ iura transfundi potestas fieret, cunctis ad uos cupide migrantis, ipsi tandem regno caderent, nec ullos quibus dominarentur iam haberet. Nam in ciuem Romanū præterquam Po. Romano nulli mortalium ius erat. Hæc illa est uera & Germana prisci illius fœderis ratio, ne hac tempestate quidem Heluetiis, Insubribus, Allobrogibus & superioribus Sequanis ignota. Verum cum Germani, de iure suo iam olim decesserint hodieq; soli propè mortalium, pari uobiscum animo Ro. imperij maiestatem tueantur, ijsdem sacris, ijsdem legibus utentes, an non isti Populo Ro. inscitiam suam omnibus modis declarant, dum obsoleta & cariosa illa sua fœdera, in Germanorum inuidiam tam imperite celebrant, quos constat neque animiis neque ditione, quibus inter nos honeste nobis conuenit, sed solo terrarum spatio dissidere? O peracutos iuris interpretes. O egregios antiquitatis uindices. O seuerissimos ciuitatis Romanæ emendatores, qui hac sua censura maximum atq; nobilissimum liberalitatis uestræ instrumentum uobis auferre conantur, atq; Po. Rom. interdicere ne Gallis, ne Germanis, ne Heluetijs, ne Insubribus, ne Lapidibus, ciuitatem communicet. Eodem pertinet P. C. quod mihi de Germanæ patriæ eiuratione, credo, ut se non minus argutos dialecticos quàm prudentes iureconsultos ostenderent, scite admodum hisce uerbis obijciebant. Ante natali solo nū ciuium remittas oportet quàm urbem Romanam indipiscaris, illi nondū cessisti, hanc ergo nondum indeptus es. Obsecro uos uiri disertissimi per diuinam istam uestram eloquentiam, per admirabile istud ingenij uestri acumen, quid hoc rudius? quasi obscurum sit, nec ipsa res planè cogat, si alterutra carendum sit, huius assumptione illam deponi? Sed cuiusnam legis authoritate nitebantur homines loquacissimi ut me ad reijciendam

naturæ patriam, si Quiritium ac ciuium Romanorum numero haberi uellem, compellerent? Nullius, quod equidem meminerim. Quid ais? laudasse te M. T. Ciceronem eius quoq; sententiæ authorem? Esto. Sed nec me Cicero authoritate sua ut iuuare, sic etiam damnare potest, nec tu (si uelim) legis Corneliæ pœnam uitare, qui contra principum Romanorum constitutiones, sola priuatorum hominum præiudicia in perniciem meam adduxisti. Hoc ipsum illud est P. C. de quo modo conquerebar, magno mihi esse pudori accusatores meos, aduocatosq; eorum, ac meipsum quoque mihi ciui res sit, cum eo hominum genere, quos non tam ætate forensiq; exercitatione tyrones, quàm literarum cognitione pueros & planè rusticos uideatis. Equidem cum hæc ab illis tanquam grauia, & quæ refutari non possent, longa oratione & maxima uoce disputarentur partim ridebam eorum stultitiam, partim etiam uestram mirabar patientiam, quod ineptas & ieiunas hasce eorum argumentationes tam diu perpeteremini. Sed quid deniq; aiebant? M. T. Ciceronem, ea esse in opinione ut loci & originis patriam tenere possit nemo, qui se in hanc dicauisset? At certe nusquam id scriptum reliquit, uerum fac alicubi scripsisse. Quid tum? etiam ut ius & authoritatē legis Ciceronis sententia habeat? Num me propterea, non ciuem Romanum esse, continuo uicistis, quod à communi patria exceptus, illam, quæ me genuit amiserim? Hic mihi uix impero P. C. quin istorum insectter flagris dignam, urbeq; uestra multo indignissimam, ac planè capitalem inscitiam, aut intolerabilem potius execrer perditissimorum hominum calumniam, qui quæ in salutem alicuius luculente descripta sunt, ea in exitium eius scelerate detorqueant. Discant igitur tandem quod profitentur, uel quod fraudulenter inuerterunt, id sibi restitutum audiant. Ciceronis uerba sunt hæc P. C. Cæteræ (inquit) ciuitates omnes non dubitarent nostros recipere in suas ciuitates, si idem nos iuris haberemus, quod cæteri, sed nos non possumus & huius esse ciuitatis & cuiusuis præterea, cæteris concessum est. An non hisce uerbis aperte & planè indicatur, Romanis, iure Quiritium haudquaquam licuisse, hanc ciuitatem retinere, qui se alij dicauissent, cæteris mortalibus suam cum uestra patriam habere licitum fuisse? Huius autem rei causam, quis aliam esse suspicetur, nisi quod prouincialibus honorificum sit, conditionem suam communis omnium patriæ accessione facere meliorem? Ciui Romano turpe, huius solum humilioris ciuitatis causa uertere? Nimirum ciuitate uestra indignus est, qui Romanæ maiestatis, & illius urbis, in qua sit orbis terræ imperij domicilium, oblitus, in alterius iura quæstu aliquo

pellectus sese contulerit. Quod quidem accusatorum meorum uni & alteri paucos ante annos usuuenisse omnes cum sciant, ridiculam eorum uel imperitiam, uel impudentiam satis demirari non possum, qui cum primum in aliam ciuitatem sint ascripti, hanc se perdidisse nesciant, aut si sciunt, quo mihi ore, peregrinitatem tam insolenter exprobrare audeant? praesertim cum ne in ciuitates quidem ipsi ullas, sed in ignobilia quaedam oppida, immo uero in agrestia nec deserta minus q̃ remota quaedam & deuia atque uasta castella, sordidum scilicet nescio quod lucrum secuti commigrarint. Verum quis haec eius esse generis crimina non uidet, ut responsione indigna, & contemptu magis, quàm graui ulla oratione refellenda sint? Itaque ad illam accusationis istorum partem aggredior, qua mihi ignobilitatem tam acerbe exprobrarunt summaq; uerborum ui ostendere conati sunt, solis quidem ad hanc ciuitatem nobilibus hominibus aditum patere. Possem hic ego P. C. perinde ac idoneum nactus locum aut omnino quasi aduersariorum meorum procacitate coactus, de Longoliorum nobilitate multis apud uos agere, commemorare familiae uetustatem, nominis antiquitatem, gentis splendorem, maiorum nostrorum imagines, laudare eorum qui etiam nunc uiuunt fortunas, dignitatem, honores, magnam apud omnes ciuitatum suarum ordines gratiam. Ad haec etiam, si qua uulgus alia in eis fortunae bona miratur, ea praedicare omnia. Verum cum non sine magna mea meorũq; inuidia haec à me celebrari, sed ne nudis omnino uerbis hic dici possint, illud à me unum audietis, atque id ipsum magis, ut uobis de istorum impudenti mendacio liqueat quàm quod magnopere causae meae conducere existimem, esse me non obscuro, quod isti mentiuntur, sed honesto loco & ea gente natum, ex qua Quintus Nicolaus Pont. Max. cum de supplendo collegio amplissimo agitaret, Richardum Longolium Cõstantiensem Antistitem delegit, quem in Romanorum sacerdotum numerum referret, relatum Petrinis sodalibus flaminem daret. Quod ab eo factum esse, ut publicis Populi Romani monumentis consignatum est, sic etiam palàm arguunt aedes illae, quas Richardus post suam in eum ordinem cooptationem, in Vaticano ad Petri magno sumptu marmoreas exaedificauit. Atqui ne non hic etiam aliquid liberalitati nostrae accusatores mei acceptum referant, dabo illis sordido me atque infimo genere natum, dabo terrae (si ita uolent) esse filium. At non propterea hanc mihi ciuitatem esse clausam docebunt, quae nullo personarum discrimine, non ciuitatem modo, sed summos quoque honores, uirtuti potius quàm fumosis ullis imaginibus semper detulerit. Tullus hostilius, quamuis agresti tugurio natus,

pascendo pecori adolescens occupatus, Romano tamen à uobis imperio donatus est. Tarquinius priscus, quem negotiatio contemnendum, patria fastidiendum, fortuna miserum, pater erubescendum reddiderat, nonne hic iussu uestro regnauit? Quonā Seruius Tullius, uerna huic urbi natus, uestro beneficio processerit, titulus ipse abunde testatur, seruili cognomine, et regia appellatione perplexus. Portius Cato Tusculi obscurus, quid inter tot honorum insignia clarius q̄ se auctorem habuit? Quàm multos ab aratro ad consulatum? q̄ multos a stiua ad dictaturam uocastis? Quis enim ignorat Attilios? Fabricios? Cincinnatos? Calatinos? Marios? quos nullo natalium splendore, nullo diuitiarum fulgore, contraq; cum multa paupertate, tum uero summa ignobilitate Remp. illustrasse pariter ac locupletasse conuenit. Quod si cui hæc duriora uideri possunt q̄ ut florentibus imperij rebus tolerari potuerint, Ælium certe Pertinacem Opilium Macrinum, Philippos, Aemilianum, Probum, Galerium, Constātinum deniq; ipsum, cognomento magnum, non ex obscuris modo, sed etiam sordidis incunabulis, imperij Romani fasces, ne dum ciuitatis uestræ iura adeptos esse nemo nescit. Vt non possint quidem huiusce urbis planè hospites non haberi, atq; hic tanquam in aliena ciuitate peregrinari uideri homines, qui disciplinæ consuetudinisq; uestræ ignari, me ea demum de causa hac ciuitate indignum censeant, quod necdum in dignationē amplissimorum uirorum uenerim, nec ullis maiorum meorum imaginibus uobis commender, cum Populus Romanus cunctis mortalibus dignitatis fores semper aperuerit, nobilissimos eos esse ratus, non quos generis atq; familiæ gloria, sed sua uirtus commendaret. Nec id sanè ab re. Decet enim in ea ciuitate, quæ cæteras uirtute superauit, atq; uno hoc nomine, orbis terræ imperio prius digna habita est q̄ tantæ potestatis compos facta, uirtutem non generis claritatem plurimum posse, tametsi aduersariorum meorum unius tantum fumosas imagines, reliquorum nullas, aut certe subitas aspicio. Nam maiorum aut omnino minorum gentium patricium inter eos nullum facile reperio. Sed quid est tandem in hac recenti lege „eos demum in ciuitatem hodie excipi, quos spectata personæ dignitas illustret? Tu uero, quē esse me dicis? Ignobilem, opinor, quod gentilium meorum neminem hic nominare habeā. Atqui discite homines indoctissimi, primum ridiculum esse, gentiles hic a uobis requiri meos cum trās Alpeis sim natus. Deinde, neminem (quod Lucillius auctor grauissimus dicere solebat) ex bulga matris illustrē prodijsse, nec si illustrem eum esse oporteat qui in ciuitatem uestram suscipi postulet, nobilem quoq; eum esse oportere. Nascimur nobiles parentum maiorumq; gloria, eorum autem quos uel nostra uirtute, uel principū

liberalitate adepti sumus honorum splendore illustramur. At uidete P. C. in quod me necessitatis fretum aduersariorum meorum æstus agat, qui mihi humilitatem crimini, dignitatem inuidiæ, utramuis conditionem calamitati fore sperarunt. Enim uero esse me uirum illustrem atque clarissimum, si dixero, non deerunt qui me continuo ut arrogantem incusent. Sin modestiæ cupidus, obscurum fatebor, unà me ciuitate uestra indignum profitebor, ad quam isti plebeios aspirare non posse, tantopere contendunt. Itaq; ne quod moderatio nostra uulnus accipiat, si quod à patrono honeste, uereq; dici poterat, id ipse dixero, modice de me loquar, doceboq; paucis, me clarissimam quidem sustinere personam, atq; adeo quouis istorum, qui me accusant, honoris gradu esse superiorem. Verum id nullo meo merito, neq; enim id refert, uti legi fiat satis, sed eorum qui plebeios suis natalibus restituendi, & obscuros illustrandi ius habent beneficio. Heus recita Ludouici, qui duodecimus dictus est Francorum Regis decretum, quo me is, non unius aut alterius suæ ditionis urbium, sed planè uniuersi regni sui iuribus uno edicto donauit. DECRETVM. Iam cognoscite publicas Gasparis Turnouij, urbis Valētiæ antistitis, atq; Cauarum principis literas, quibus ille mihi testimonio est, ut ipse me, cum producente & auspice Philippo Decio, tum pro eorum qui Valentiæ iuris numerarentur interpretes, omnium sententia consultorum insignibus decorarit. LITERAE PVBLICAE. Sub hæc audite centumuiralis illius quod Lutetiæ Parisiorum cogitur, concilij decretum quo me uiri illi sanctissimi atq; sapientissimi etiam tum iurati summo consensu in collegium suum cooptarunt, habiturum in perpetuum ius uitæ & necis, ac summam fortunarum omnium potestatem, non in plebem modo, sed in omneis etiā eius regni proceres. DECRETVM. Quod si hos mihi habitos honores isti pro nihilo putandos dixerint, ac tantorum taliūq; principum authoritati sibi standum esse petulanter negarint, homines sua tantū admirari, aliena contumeliose aspernari soliti, Decimi certe Leōtis Pont. Max. iudicium nequaquam aspernabuntur, in quo summam sapientiam, cum summa potentia tandem coiuisse omnes fatentur. Proinde huius quoq; nobis lege non codicillos quidem illos, quibus à se quinta in annos singulos sestertiorum nummum millia, tuendis studijs nostris expēsa ferri pronunciat, nec illud quidem diploma, quo me omnibus ferè pontificijs legibus soluit, quamuis nos, uel hoc solo nomine, satis ornatos reddidit, quod multitudinis numero exemerit. Verū illud recita, quo me Prætoribus primum deinde proconsulibus dignitate æquauit, cum me in Palatinum, & sacrosanctæ lateranensis Aulæ comitatum sponte sua cooptaret, ac Rom. Pontificatus scribarum principatu cohonestaret, quo sanè

munere non clarissima nos modo persona ornauit, sed alios etiam quoscunq; quos uel singularis doctrina, uel excellens animi uirtus nobis commendaret, iustos liberos faciendi, natalibus suis restituendi, aureorum annullorum iure donandi, in sacram cohortem asciscendi potestatem nobis fecit. DIPLOMA. Si me P. C. tot ac tantorum principum testimonia beneficiaq;, quibus illi me, quanquam hominem alienum, tamen honestissimum apud se & ornatissimum esse uoluerunt. Si tot ac tantorum honorum radij illustrare non possunt, non uideo planè quid iam possit, sin clarum satis atq; illustrem reddiderunt obtritam atq; perditam obscuritatis calumniam putatote. Nam de mea disciplinarum omnium & dicendi in primis mendicitate (libet enim hoc presertim loco praeclara istorum uerba usurpare, quo plenius intelligatis, hanc ipsam mihi tanta asseueratione eo uultu, eo spiritu, eo strepitu, cũ crebra illa barbariei exprobratione, non debuisse quasi capitale crimen ab eis apud uos obijci.) De eo inq̃ nihil est, quod istis uestrum quisquam sibi credendum existimet, quos inimico & infesto in me ingredi animo uidetis, ut illud interim taceã, q̃ eos minime omnium in dicendo aut graues esse aut ornatos, uel ipsorum accusatio declarauerit, in qua si quam uolubilis linguae celeritatẽ, si quem oris pressum, & suauem quendam urbis huius sonum, si uenustũ deniq; totius corporis motum estis admirati, laus ea profecto sit adolescentium ipsorum qui tam lepide egerunt, tam splendide pronunciarũt. Quod autem in oratione eorum nullam dicendi uirtutem, nullum oratorium lumen, nullum deniq; latinae linguae, non dico florem sed omnino uestigium agnouistis, ea uero septuaginta istorum est culpa magistrorum qui cum tam inquinate et abiecte loquantur, ut à tabula & ab istorum qui scriptum uulgo faciant commentarijs, uerba magna ex parte ducta sumant, dicendi tamen artem hic profiteri audeãt. Sed hoc fortasse in hoc hominum genere non sit nouum. Illud autem quo modo accipiendum sit uos optime statuetis, quod cum ipsi se tam incorrupta latini sermonis integritate & bene loquendi laude religioni atque eloquentiae uestrae seruiuisse & accommodasse scirent, tamen ab adolescentibus his tertio quoque uerbo barbarum me contumeliosissime apud uos & asseuerantissime appellatum esse uoluerunt. Atqui, ut modo dicebam, ipsorum oratio satis ipsa per se ostendit, mendicitatem dicendi ab istiusmodi hominum genere non fuisse mihi in crimine tam acerbe ponendam, presertim cum nec de eo quisquam dubitaret, eos pari propè, quot quidem sunt magistri dierum numero ad illam conscribendam mane atque uesperi studiose conuenisse. Singulis quasi collecta quaedam commune conferentibus, adiecta etiam magna illius orationis

parte, quam uirum quendam magnæ magis q̃ bonæ famæ, iam decimũ annum in Gallos commentari audio. In quo quidem nihilo prudentiæ minus q̃ in istis desidero. Nec enim si laudes Francorum ornando, uestras ego uisus essem deprimere, in Gallos is inuehi propterea debuit de quibus ne litera quidẽ à me scripta esset, sed Francos ipsos agitare uel me potius unum eiusce rei authorem acriter insectari. Verum ipse consilij sui rationem uiderit. Nam quod ad hoc iudicium pertinet, scio equidem non modo à me nullam excellentem latinæ dicendi scientiam magnopere teneri, sed nec in appellandis omnino exprimendisq́; literis uestris istorum me suauitati atq; lenitati respondere, qui tamen utrunq; præstare ut possem, multum industriæ aliquando posuerim. In quo si non ita multum profecẽ, hoc quidem certe ut à uobis nunc intelligar nec fastidiose audiar, mihi uideor consecutus. Sed quantuncunq; in discendis literis uestris operæ nauarim, non tamen uereor ne me ciuium uestrorum numero iccirco indignum iudicetis, quod ad summam erga uos Populumq́; Romanũ obseruantiam, non summam quoq; attulerim dicendi facultatem. Ne quid hic igitur uel de eloquentia uel de infantia uestra à nobis disseratur, duo illa in accusatoribus meis satis mirari non possum. Primum, cur me tanq̃ omnis politioris humanitatis & latinæ expertem elegantiæ hac esse indignum ciuitate tantopere contendant, cum hanc in rationem lex nulla sit à condita urbe neq; scita neq; sanè rogata ut ne'ue parum emendate & pure, ne'ue minus ornate & grauiter loquentes in ciuitatem admitterentur. Hac enim certe ratione præter homines latinos atq; hos ipsos admodum literatos & doctos admitteretur nemo. Deinde, si me irridendum statuunt ob prouerbialem nescio quam dicendi farraginem, cotemnendũ ut barbarum, tollendum de ciuitate tanquam infantem leguleium, cur aut pueriles illius orationis de qua me nunc in capitis iudicium uocant genus tantopere probent, aut me eloquentissimi homines oratione tanto studio elaborata, tam diu multumq́; à tot artis Rhetoricæ doctoribus elucubrata accusandum putarint? Aut si mihi ingenuarum artium cognitionem non omnino adimunt, cur mihi uel communium literarum imperitiam tam arroganter hic obijciant? Itaq; quantum liberalis doctrinæ studio ipse profecerim, à me quidem non audietis, est enim cum omnis sui laudatio grauis, tum uero ingenij & doctrinæ prædicatio intollerabilis. Sed nec istis etiam credetis P.C. uerum si placet, eorum stabitis omnium qui hac in urbe sunt eruditorum hominum testimonio atq; iudicio, quod mihi tum absenti hac inuidiæ flamma ardendi quàm plenum q̃ ingenuum q̃ præclarum eo die daretur, cum uno omnes ore studia nostra ciuitate uestra esse dignissima hoc ipso loco affirmarent, meminisse

uos arbitror,

nos arbitror, frequentes enim huc conueneratis cogniturì, studiosorum na
tio á nobis an ab aduersarijs staret ueis. Quos tum denique pænitenen
tito, eius quod hic literis censeatur collegii nomine, Academiam Ro-
isti appellant, senatus consulto quo me ciuitate ornaueratis, temere inter-
cessisse, nisi uero, qua sunt uel impudentia uel stultitia, illud se uobis pro
baturos facillime sperabant, quod sibi antea scilicet persuasissent penes
egregios illos suos magistros eruditi ordinis consensum existere, ciueis au
tem illos uestros cum omni aliarum laudum genere florentissimos, tum
uero doctrina atq; optimarum artium studijs eruditissimos Camillum
Portium, Baptistam Caselium, Euangelistam Magdalenum, *huius gẽ*
tilem Iulianum, Marcum Torquatum, Baptistam Palinum, Hierony-
mum Gotofredum, M. Antonium Alterium, *& tanto patre dignum*
Iulium Alterium, Marium Salomonium, Vincentium Rusticum, Ste-
phanum Thebolum, Vincentium Pimpinellam, Ioannem Goritium,
ortu quidem Gemanum illum, sed iure ac uirtute Romanum, Lælium
ad hac Maximum, Hieronymum Alexandrinum, *aliosq; non paucos*
nullo esse neque in precio, neque in numero putandos, haud sane ma
gis quam summa illa duo reliquæ Italiæ *lumina atq; ornamenta* Petrum
Bembum, *&* Iacobum Sadoletum. *Nam quando tantam hoc in loco*
frequentiam, tantum doctorum hominum splendorem, quando tot cla
ros poetas, tot graueis oratores, tot prudentes Iuris *peritos, tot egregios*
cæterarũ artiũ interpretes uidistis? ut uestri ordinis quidã nõ sine causa sit
uisus disputasse cũ diceret, eo huc die Palladẽ, *cũ sacro illo musarũ choro*
accessisse, urbe pueris, mulieribus, et imperitæ multitudini tradita, ut hac
in arce capitolina dignitatem nostram tueretur atq; defenderet. Ac profe
cto si quis illius conuentus celebritatem atq; elegantiam pro rei dignitate
æstimarit, is hominum memoria alium neq; frequentiorem omni litera-
rum genere, neque illustriorem omni ingeniorum lumine usquam con
uenisse fatebitur. Nam præter eos quos proposui, adfuerunt etiam, si bene
meministis, Petrus Paccius, Hieronymus Adornius, Dominicus Saulius
uiri non solum rectis studijs & amplissimis fortunis honestissimi, sed tũ
suis tum maiorum suorum uirtutibus longe ornatissimi. Adfuerunt An-
tonius Tibaldæus, Augustinus Beatianus, M. Caballus, Marius Cata-
næus, Fabius Vigil, *homines quorum quidem singuli, non suas modo*
ciuitates nobilitare, uerum hãc etiam nostram ætatem suis ingeniis il-
lustrare possint. Quid hic Paulum Iouium *commemorem?* Angelum
Golotium, Antonium Marosticum? Quid Marium Molsam, Hierony-
mũ Nigrum, M. Antonium Flaminium, Georgium sauronianum, Vi
ros tum ab omni elegantiore doctrina instructissimos tum ingenua ani-

morum probitate optimos, atq; totius uitæ innocentia integerrimos? Atqui longum fuerit P. C. nec mediusfidius necessarium, hic eos omnes non dico complecti orando, sed ut institueram commemorare enumerando, qui me cum testimonio suo non uulgari, tum uero laudatione sua singulari iudicijs uestris honorificentissime commendarunt, cum isti me interea nebulonem indoctissimum, Italiæ inimicum, huius Reip. hostem magno clamore appellarent. O egregiam sapientiam, præ qua tot ac tanti uiri desipiunt. O mirificam doctrinam, præ qua ipsi literarum principes literas nesciunt. O intollerabilem superbiam, qua isti uoce sua uobis praeeunt, qua iudicij exitum ad arbitrium suum arrogantissime reuocant, & me iam tot dies hostem appellant, cum id dum neque Senatus censuerit, neque Populus Romanus iusserit. Quod si tot ac tantorum uirorum testimonia, literarũ mearum auctoritatem fidemq; apud uos non dũ constituerunt, nõ recuso quin quo me isti, quasi ex iure manũ consertum insolentissime uocarunt, continuo descendam, sponsione etiam & iusto apud uos sacramento, cum eis contendere paratus, ni uobis planum facio, esse me multo labore & industria tandem consecutum, ut in earum omnium quæ quidem libero homine dignæ iudicentur artium intelligentia, non sim tam rudis & indoctus, ut è ciuitate uestra istis quidem accusantibus eijci debeam atque expelli. Sed facite, ut hic recordemini P.C. quonam eos uel inconstantiæ uel amentiæ cæcus inuidiæ impetus rapuerit, dum me non magnis quidem illis & grauibus sed multis & uulgi iudicio atrocissimis criminibus in inuidiam uocare conarentur. Facite inquam in memoriam uobis illud redeat ut post mihi exprobratam illa rerum omnium inscitiam, solicita uehementiq; oratione homines prudentissimi uos admonuerint, uideretis etiam atque etiam ne quid resp. detrimenti acciperet. Conspirasse enim transalpinas gentes, ut non Romanos modo, sed cæteros etiam Italos de literarum principatu deturbarent, quo me quoque nomine, huc esse missum [redacted] & Gulielmo Budæo asseuerarẽt, quos huius coniurationis authores ducesq; uideri uellent, nimirum ut excussis bibliothecis uestris oibus quicquid hic literarũ esset reliquum, id ego omne mecum trans alpeis auferrem. Esse prorsus & de nominis Ro. dignitate, & de latinis literis actum, si uobis conniuẽtibus in earum possessionem barbari semel uenissent. Nulla enim sanè alia iam re, uos cæteris mortalibus præstituros si quæ uobis mancipio & nexu propriæ essent artes hæ etiam usu & fructu barbaris communicarentur. Multo istuc minus uobis esse tolerandum, quam si de occupanda urbis tyrannide cogitassent. At quibus argumentis huiusce conspirationis fidem uobis faciebant? quibus?

tum quod ipse hoc triennio describenda optimorum authorum monimenta diligentissime & perpetuo curauissem, tum quod Gul. Budaeum, & Eras. Rhoterodamum affirmarent, quibusdam epistolis, tanquam iam plane a se superatis Italorum omnium ingenijs, de literarum principatu mutuo sibi gratulari. Scio equidem P.C. haec quibusdam risum mouisse, nonnullis etiam stomachum ita fecisse, ut ad istorum stoliditatem ingemiscentes frontem pene ferirent. Verum quid refert? Si nugis istiusmodi, magis quam certis ullis alijs criminibus, apud quosdam tamen homines minime malos quidem illos, sed scelestè suspitiosos & uehementer iracundos oneror? qui literas nihil omnino a libris differre putent suis? quo plane recepto, non iniuria metuunt, ut ne cum libris literae quoque suae trans Alpes commigrent, aut certe si uos librorum copia socij aliquando aequarint, ut ne uobis etiam doctrina pares ad extremum euadant. Verum ne de hoc diu laborem, in quo istos multa potius misericordia, quam acri ulla refutatione dignos censeo, quod se non uideant huiusmodi oratione, de inuidia in nos sua immouero de angusto, et ipsa maleuolentia ieiuno animo suo turpiter & aperte fateri. Conspirarunt quidem transalpinae gentes P.C. ut de optimis artibus & Romanis in primis literis quam optime mereantur, atque etiam (quando id isti sibi dari postulant) ut uos Italosque omneis in hac certaminis ratione superent, sed ita profecto conspirarunt, ut quanquam artibus & armis uestris, a uobis ipsis instructi in aciem descendant, uictoriam tamen adhuc cupiant magisque sperent. Sed facite aliquem, hanc spem laudis praecipere, etiam uoti compotem aliquando fieri posse, an non hic tamen sua uictoria uobis uicerit? suo triumpho Capitolium exornarit? sua gloria urbis pomerium ampliarit? Ampliarit certe, simillime atque si suo quidem labore, sed uestris tum opibus, tum auspicijs imperium Po. Ro. longe lateque protulisset. Quod si haud paulo plus est, ingenij Ro. terminos quam imperij fineis promouisse, uestra sane uobis felicitas, sui miraculum potius excitare debet quam odiosa uideri Gallorum et Germanorum industria quos nomen literis uestris certatim dantes conspicitis, nec sane minus ac uos ipsos conniti ut ingenium atque lingua Ro. latioribus etiam quam imperium ipsum limitibus pateat. Profecto si aut sua, aut alia quam uestra in optimas artes lingua tam acriter incuberent, esset tum fortasse, cur incredibile illud ipsorum in bonis capescendis literis studium animos uestros leuiter perstringeret, et scrupulum aliquem uobis non sine causa inijceret. Nunc uero cum patrio spreto sermone, graecas etiam literas, sine quibus Ro. perdisci non posse illis persuasum est, ad hoc amplexentur unum, ut dicendi stipendia sub uobis et in foro uestro commodius faciant, tamen mea quidem sententia abest, ut eo uobis nomine iniusti suspecti ue esse debeant, ut haud sciam an par sit eos, a uobis tanquam ingenij uestri alumnos pie subleuari, collaudari, atque adeo quod olim militibus

simulac sacramento adacti essent, dabatur, in ciuitatem asciscí, quod po sitis odijs, posita ferocia, obliti sermonis patrij, ne nobis quidem in nomen romanum amore atq; beneuolentia concedant. Neque uero hæc à me eo proferuntur P. C. quasi operam & industriam in literis uestris optime posuerim, qui quemadmodum ante dixi minus sane & quàm uellem & quàm tot lucubrationes nostras deceret, in his adhuc profeci, nec quod me Gul. Budeus et Erasmus Rhoterodamus huc legarint, quorum mihi alter, præterquam tot præclaris illis suis monimentis prorsus est ignotus, alter amicus magis quàm familiaris, sed iccirco à nobis hæc dicuntur, ne isti me perinde atq; affectati regni reum à se peractum glorientur, qui uobis bene multos, meo undique studio collectos, & in Galliam missos à me libros ostenderint. Nec enim id tam occulte habui, quin & palàm describerentur, & eo à me uulgo transmitterentur. Qua profecto etiam in re, non modo mihi (quod isti sanè quam illiberaliter faciunt) P. Bembus uir clarissimus non inuidit, ad quem tamen ea iniuria, si quem alium, maxime pertinuisset, sed suo etiam ære, aliquot preciosa eademq; istorum maleuolentia in tenebris abdita atque compressa utriusq; linguæ scriptorum uolumina, mihi per benigne curauit, hortatus me, ut neq; in tam honesto negotio cessarem, neque si quid eo in genere commodare mihi possit, consilio, operæ, facultatibus suis parcerem, uir ipse cum Italicæ dignitatis tum uero Romanæ maiestatis in primis studiosus, ut quo nostra, patrumq; memoria nemo, literas uestras neque accuratius, neque sanè felicius excoluerit. Epistolæ porro illæ (cum in ijs nec à me nec de me quicquam) cur in inuidiam re citari debuerint meam, planè non uideo, non equidem magis quàm quid istos in eis tantopere offenderit nam hoc doctis inter se, hominibus, tacito quodam eruditorum concessu, semper quidem licuit, ut modo seuerius, modo blandius etiam quàm res ipsa ferret, per literas colloquerentur. Sed nec magnopere ullam in eo illi, ut ego quidem sentio, reprehensionem mereantur, si aliquot non obscuri nominis Italos homines, diligentia sua superatos uterq; ad alterum scripsere. Tam enim fieri posse existimo ut ex transalpinis populis, duos aliquos singulari uel ingenuarum artium cognitione, uel ingenij acumine, uel dicendi copia, admirabileis uiros natura nõnunquam proferat, atque hos ipsos etiam non paucis eorum qui solo hic literarum nomine censeantur suo etiam iure præferat, quàm multis non Græcis hominibus Græciã ipsam doctrinæ suæ fasces summisisse nõ ignoramus. Quod si ab Romanarum literarum adytis Gallos atque Germanos, quasi alienos & prophanos excluditis, arcete etiam cæteros ab eis socios & Italos, quos olim non minus quàm transalpinas gentes, huic

urbi aduersatos esse nemo nescit. Aboleatur praeclara illa P. Virgilij Maronis Aeneis, est enim ab homine quem citerior Gallia produxerit, condita. Deleantur diuina M. T. Ciceronis monimenta. Arpinas ille fuit, populo uobis quondam infestissimo. Quàm multos hic commemorare possum poetas extra hanc urbem procreatos? quot eloquentes? quot consultos? quot medicos? quot reliquarum item artium laudibus habitos ornatissimos homines, quos tametsi neq; Romae neq; in Latio natos, in precio tamen habuistis, ipsorum semper admirati aut doctrinam, aut ingeniũ, aut dicendi facultatem, nunquam facile perosi prouincialem originem, & externum sociorum nomen. At enim nos natura Alpium uallo diseminauit, perinde quasi eadem natura non etiam & Apennini iugis Galliam togatam ab reliqua Italia distinxerit, aut plus ualere possit apud uos, ad excitandas immortaleis inter mortaleis discordias, interiectum alicuius montanae regionis spacium, quàm ad conciliandos homines arctissima illa summae coniunctionis uincula, idem sensus, idem ius, idem sermo. Enimuero de deo & rerum natura idem sentimus, administrandae reip. formam eandem probamus, matrimonia Romano ritu celebramus, Romano sacrificamus, Romano iudicia exercemus, Romano priuatimq; publiceq; instituimur. Omnino Romana etiam lingua utimur, quotiescunq; animi nostri cogitata scriptione lectioneq; non indigna ducimus, non modo cum res ad christianam rempu. pertinentes religiosius tractamus. Sufficitis quidem ipsi uos linguae uestrae, atq; orbi terrarũ suppeditatis ingenia, in quibus & indolis & eloquentiae planè Romanae uirtutes suspiciamus. At non propterea transalpinis populis literarum uestrarum usum inuidebitis, quos quasi uolones quosdam, & uoluntarios milites, nulla ne praedae quidem, aut libertatis spe, sed tantummodo uel cõseruandi, uel etiam propagandi Romani sermonis gratia, aduersus inscitiam, & barbariem, tanta fide, tanta uirtute, tanto processu dimicantes uidetis. Sed quid haec ego apud uos tam scrupulose? qui quidem defensioni nostrae locum iam tum reliquistis nullum? Nam cum istorũ hac in parte accusationem auersati, nutu gestuq; ipso eos statim damnastis, tum latine quaecunq; cuiuis collibuisset ut legendi et interpretandi, sic etiam commentandi scribendiq; ius, non Romanum magis aut Italicum quàm sociale, uel potius gentium, & omnibus aeque mortalibus propositum esse uoluistis, nedum uobis nihil unquam timendum duxistis, nequãdo externorum scriptorum nimia multitudo, aut orationis eorum altitudo Romanae facundiae luminibus obstrueret, atq; uos de literarum uestrarum possessione deijceret. Equidem de eo potius queri indignariq; debueram, quod me frugi, & religiosissimi uiri, tanquam barbarum & seditio

sum, & turbulentum hominem execrarentur, quasi mea unius causa, tanta inter ciueis Romanos dissensio, ac potius ciuile bellum exarsisset, ut alij se iam Longolianos dici uellent, alij causae nomen sequerentur suae. O tempora, o mores, Ego seditiosus, qui tam atroci contumelia innocens afficiar? Isti quietis & ocij authores, qui mihi tam acerbe insultent? Ego seditiosus, qui & publico tam diu abstinuerim, et uix in iudicio uerbum facere nunc audeam? Isti seditionis uindices, qui tota urbe concinabundi, multitudinem in me fictis criminibus concitarint? Ego seditiosus, quem uel domestici parietes ab istorum furore aegre texerint? Isti ciuilis moderationis studiosi, qui decuriatis descriptisq; aliquot sicariorum cohortibus, nec mihi, nec amicorum meorum multis, tutum quicquam reliquerint? Deniq; seditiosus ego quem uix huius uel loci maiestas, uel consessus amplitudo tueatur, quominus hic ibidem in conspectu uestro indigne trucidet? Isti publicae tranquillitatis duces, quorum concionibus et armis, iam tot dies Roma tumultuetur, fora turbentur, sileant leges, idq; propter hoc unum, ut homo quem ipsi alienum, indoctum, obscurum, exilem, egentem, abiectum, inertem, timidum uideri uolunt, ad causam dicendam ne admittatur. Equidem si seditiosum leges Romanae eum appellant, cuius caput in mediam contentionem ciuilem inimicorum scelere proiectum sit, cuius salutem optimus quisq; sibi tuendam existimarit, qui legibus pareat, qui magistratuum dicto audiens sit, qui in ius uocatus, sequatur, qui se in Senatus potestate & esse & fore praedicet, cui nihil, praeterq̃ in legum iure, neq; auxilij neque spei sit, seditiosus sum P. C. nec quominus in me tanquam seditiosum statim animaduertatis, hic iã deprecor. Sin autem eum leges uestrae seditiosum ciuem definiunt, & ea, quae est de maiestate poena teneri uolunt, qui plebem in aliquem concitarit, qui falsos in alterius inuidiam rumores dissiparit, qui facta coitione ius ipse sibi dicere conatus sit, qui priuato consilio manum coegerit, qui conductas operas armarit, qui uim cuiquam aperte attulerit, qui tumultuosis concionibus, quasi quibusdam ciuilis belli tubis multitudinem inflammauerit, non quidem à me audietis, istos tum quos uocari conueniat, tum etiam quid pati sit aequum, illud potius à uobis etiam atq; etiam petam, ut si nec crimine leuiore nec periculo maiore, nec omnino indignius quenquam petulantiusq; & crudelius in capitis iudicium ab inimicis unquam raptum fuisse scitis, iusto meo interdum dolori, iustae, siquid stomacho & iracundia efferuescens ardentius, asperius ue dicere uidear, indignationi ignoscatis. Scio equidem mea quid ratio postulet, quorum accusationi respondeam, & apud quos dicam uideo, sed contra cum me

uel ciuem esse Romanum uel in communi gentium omnium patria, & apud homines christianos causam meam agere memini, tum uero tanta est P.C. istorum non dico insolentia, hanc enim ferre possem, sed planè immanitas, ut mihi iam cum hominibus negotium esse uix putem. Nam ut omittam toties eorum insidijs uitam petitam meam, ut male mulctatos amicos, ut ferro uiolatos familiares, ut obsessam domum, ut nomen deniq; meum, quando in me sæuire non possent, non dico omni genere obscenitatis aspersum, sed ita palàm passimq; descriptum, ut tum pugionibus confossum, tum facibus succensum, tum nescio quibus pixidulis circunfusum spectaretur. Illud cuiusmodi tandem esse iudicandum est, quod mihi per eos neminem de ijs qui contra me stant hic appellare liceat? non mihi quidem ut eorum minis, ad quas sanè iam obdurui sim fractus atque debilitatus, sed certe ut quorundam necessariorum meorũ uoluntati, uel timori potius obtemperem, quibus etiam isti, qua sunt impotentia, mortem persæpe minati sunt, si aut se, aut gregalium suorũ quẽpiam hic à me nominatim compellatum audissent, memientes, opinor ut quod in actione sua nudiustertius factum animaduertissent, in defensione item mea ne fieret, hoc est ne quis orationem meam notis exciperet; quæ magna ipsorum infamia per uniuersam Italiam, atque adeo Europam totam aliquando circunferretur. Quanquam aliud est omnino quod eos audacissimi suæ formidini prætendere audio, ferendum sibi uide licet negant, ut ipsi qui se Romanæ dignitatis conseruatores dici & haberi uolunt, à me quem quasi hominem barbarum, & huius ciuitatis hostem acerrimum insectentur, in celeberrimo amplissimi ordinis consessu, in hac ipsa arce capitolina, inuidiose ac contumaciter appellentur. Iam uero me, non tam à se q̃ ab ipso Po. Romano reum esse factum. Præclare mecum agi, quod diluendorum mihi criminum potestas, quoquomodo fieret, & lucem in ea urbe adhuc aspicerem, in qua me, si quid Po. Romano priscæ uirtutis reliquum esset, prius omnium manibus discerpi, quàm iudicium sententijs iugulari conueniebat. Deniq; nisi legibus, & iudicio uestro præceps ex ipsa ciuitate perturbarer, non defuturos Romæ homines qui pœnas à me ui repeterent, et oppressione me, quando disceptatione non possent funditus euerterent. Quid hac, (malum) præscriptione arrogantius? quid his minis crudelius? quid hac denunciatione immanius? Deus immortalis, ubi nam gentium sumus? O prisca libertas. O turpem & miseram iudicij fortunam. Sed quos hic istos appellem? audacissimos ne? qualeis se maxime dici cupiunt, an stultissimos? quod minime omnium uolũt. Atqui hoc meum de uobis silentiũ,

hoc uehementius hominum cupiditates irritarit, quod uos à me tuto no/minari non potuisse mirabuntur. Quis enim Chrysogonus? Quis Fim/bria? quis denique eorum, quorum impotentiam atque furorem omnium scriptorum uestrorum monimentis toto orbe notam atque in perpetuũ de/testabilem esse uoluistis, immo uero quis unquam usquam tyrannus se ab ijs in iudicio appellari uetuit, quos uel crudelitatis suæ ministris dam nandos obiecisset? Ecquando P. C. auditum? eccubi lectum? eccui tandẽ reo fraudi fuisse accepistis, quod accusatores suos promlisset? quod testes palàm refutasset? quod aduersariorum genus, ætatem, educationem, habi tum, fortunam, uictum, studia, mores, nomen etiam ipsum excussisset? quo commodius, & accusationem illorum debilitaret, & causæ suæ æquitatẽ iudicibus approbaret? Quod si nulli unquã licitum fuisset, mihi in istos certe permittendum fuerat, qui non me innocentem modo in capitis pe/riculum tam turpiter, tam crudeliter trahunt, uerum etiam necessarios, municipes, familiaresque meos, ac Gallos insuper omnes, nullis non con/uicijs petulantissime dinexarunt. Et audent, si deo placet, barbariem mi/hi etiam nunc exprobrare, ipsi tanto Scythis omnibus immaniores, quã to mirabilius est, hanc eorum animi feritatem, inter eos homines, apud quos non modo ipsa confirmata sit & perfecta, sed etiam à quibus profe cta trans Alpeis, & ad nos peruenisse putetur humanitas, mansuefieri non potuisse. At cur mihi Senatus tam frequens datus est? cur in iudicium uestro præsidio sum deductus? An ut si istorum minis territus, taceam hic à uobis statim damner? Sin authoritatem & iustitiam uestram secutus, pro me uerba libere faciam, ab ijs paulo post iuguler? Ergo nec liber dolor, nec liber questus, ne in curia quidem, & in hac communi omni/um gentium libertatis arce nobis non erit? Inuitus dico P. C. sed impor tuna istorum audacia atque iniuria expugnatus, facere non possum quin dicam, quanquam uereor ut quo animo dicitur, à multis accipiatur. Quæ res ea est? Nisi nomen Romanum proxime atque uos, aut etiam æque amarem, eamque beneficij erga me uestri magnitudinem esse senti/rem, quæ nulla cuiusquam iniuria exhauriri possit, mallem profecto in desertam aliquam insulam relegari, atque adeo milies perire quàm hic inter istos uiuere, ubi tanta sit gladiorum licentia, tam nulla legum re/uerentia, tantus furor, tam nullus pudor. Accusatores meos in iudicio nõ appellem? Absolutus per eosdem Romæ tutus non sim? Verum hæc tibi quoque indignitas Christophore Longoli deuoranda est, ac alia item multa dissimulanda quando iam inde à primo, tui in eo habita ratio non est, ut alterius patrocinium causæ tuæ tam inuidiosæ adhiberes. Pa/

reatur igitur istorum impotentiæ, dicatur ad inimicorum arbitrium, mittatur inuidiæ sanguis, detur hoc quorundam necessariorum meorum uel precibus, quas aspernari non debeo, uel timori, quem abstergere non queo, geratur etiam hac in parte uoluntati meæ mos. Nec enim eos uoce persequi uelim, quos neque aliter ac nutu atque significatione appellare necesse habeo, quod uobis sint istis suis moribus satis descripti, atque noti, neque nomine dignos unquam putaui. Vicerint in hoc sanè, uti ne à me nominentur. Capiant hunc ex perdita sua audacia fructum ut per me quidem sempiterno damnati silentio, perinde sint atque si nunquam extitissent. Quod me non in hac solum causa, sed usque dum uixero semper curaturum, eis bona & Romana fide apud uos polliceor. Liceat enim mihi magnifice hic saltem dum licet loqui aduersus istos, qui se nescio qua iam de causa, Brutos, Cassios, Halas inter se consalutant, qui se Martium quiddam spirare gloriantur, quod præter gladios & sanguinem, præter cædes & strages, nihil ferè loquantur, qui cum nihil neque pudori, neque probitati, neque omnino saluti nostræ loci reliquerint, ita se etiam hic gerunt, ut si nullam esse remp. nullum senatum, nulla iudicia, nullam in quouis uestrum dignitatem arbitrarentur. Sentiant aliquando fractam uim suam, sentiant contemptum furorem, compressam audaciam atque immanitatem. Equidem satis mirari non possum, quod cum isti multa à me de turbulento urbanæ multitudinis ingenio ficta esse impudentissime mentiantur, tamen ea importunitate atque audacia in me grassentur ipsi, qui se multitudinis duces haberi uolunt, ut id non modo comprobare, de quo me nunc acerbissime accusent, sed furiosissimis etiam suis actionibus longe superare uelle uideantur. Profecto enim si quid huiusmodi scripsissem aliquando dixissem'ue, non armis & gladijs, nec seditiosissimis concionibus plebem concitando, sed iure & legibus & constanti illa Romani animi grauitate atque moderatione mecum disceptando falsum id & inane ostensum esse oportuit. Et quando sint etiam ausi, turpi mendacio, exilium mihi obijcere, cum me paulo ante ab Erasmo Rhoterodamo, & Gulielmo Budæo Romam esse missum, ad expilandas bibliothecas uestras calumniati essent, fateor P. C. me solum huc uenisse, sed non exilij causa, neque æris alieni, neque sceleris ullius conscientia, nec omnino grauioris alicuius pœnæ metu id feci, sed rerum, literarumq; uestrarum plenius cognoscendarum gratia. Volui nimirum in rem præsentem uenire, oculisq; ea subijcere, quæ partim fama & auditione acceperam, partim utriusque linguæ authorũ lectione cognoueram atque didiceram. Quod si me, propter aliquod

meum, delictum patria pulsum uobis ostenderint, causam dicturus non sum, quin mihi aqua & igni interdicatis, nō solum ut donationem uestrā qua nuper in ciuitatem ueni hodie reuocetis. Sed cur non criminis scelus aliquod proferunt? cur non testes producunt? immo, unde istud suspicari illis in mentem uenit? Nullis enim idem obijci non potest, qui cunq; negocij, officij, studiorum'ue causa domo absunt, Romæ degunt. Sed in qua me, per deum immortalem urbe exulem uideri uolunt? An non in ea, in qua nemo exulare potest? quod Roma communis omnium gentiū sit patria. Si exul essem, profecto nec Romæ essem, nec isti capitale crimen tam leuiter attigissent. Recita legem, qua qui patria sua pelluntur, Vrbe quoq; Roma expelluntur, LEX, Sed quid ego hæc studiosius refello? quasi nesciatis P.C. ex legem leguleiū, oratorem barbarū, exulem seditiosum, Gallū libidinosum, ebriosum, Germanū, hibridā transalpinū, longum & infelix loliū, atq; alia huiscemodi sexcenta quibus me grauissime uulneratum iri arbitrabantur, esse morosam & frigidā & illiberalē sanè petulantissimorū hominū dicacitatē, qui nullū aliud præposteri sui ingenij premium nouere q̄ odisse et insectari optimū quenq;, ac tanq̄ tetris quibusdā inuidiæ dentibus, ipsos dignitatis uirtutisq; flores discerpere. Aliud est graui honestaq; oratione, publicā in senatu Po. Romani et causam sustinere, & maiestatem tueri. Aliud odiosa in dicendo ac loquaci procacitate, reo impuris maledictis conuitium facere. Aliud proterua impudentia, in alterius mores petulanter inuadere, quod isti unum egregie norūt. Aliud in iudicijs reum legitime accusare. Quod quid sit prorsus ignorant. Accusatio enim (quod eos lex Iulia publicorum iudiciorū docuisset) libelli inscriptionem desiderat, criminis definitionem, hominis notam, loci designationē, temporis indicationem, consiliorum rationes, argumentorum probationem, testium confirmationem, quorum isti nihil omnino præstiterūt, sed quicquid in buccam uenit, id in nos omne statim coniecerunt, ignari uidelicet, quantum maledictio ab accusatione, conuitium à criminatione distaret. Qua quidem in parte mirum. P.C. quam disertus & sibi & gregalibus suis adolescens iste sit uisus, ut in eo supra omnem sibi modum ipse placuerit, ut actionem eius isti subinde exosculati sint, ut eum, si deo placet, Populi principem, idque græce statim consalutarint, quod in me, non lepide quidem & urbane aut etiam astute sed contra atq; ætatem istam decebat, fractis uerecundiæ repagulis, trementi & furiosa uoce debaccharetur, euomeretq; non quæ persona mea susciperet, sed quicquid in nequissimis istorum sodalitatibus celebrari fieriq; didicerat. Quo sanè facto, nihil est quod te nunc quidē pulchrū ac beatum putas, aut in eo tibi nimiū posthac infelix adolescēs blādiare

quasi me apud Po.Ro. luculẽte calefeceris, quod nefaria de nobis multa et perniciosa sis ↄcionatus. Infelicẽ iccirco te appello, q̃d nõ satis aĩaduertas, istos hic et adolescẽtiã tuã traducere, et pudorẽ tuũ prostituere, q̃n ẽt sinistrã de te Po.Ro. opinionẽ ↄfirmare, cui falso fortasse illo, sed certo tñ et ↄstãti rumore, in suspitionẽ mẽtis paꝶ ↄpositæ iã olim uenisti. Quis.n. te sanũ eẽ, nec de ptãte exisse iã putet, cũ annos uiginti natus, Romæ educatus, huius in urbis sẽp splẽdore uersatus, et institutus, nõ mõ nõ uideris, q̃d uel cæci uideãt, istos adhuiusmodi orationẽ, ætate tua hic abuti, sed tibi ẽt eoꝶ uerbis stulte persuaseris, te hominũ admiratione in cœlo statim fore, si effrenato ore, illoto sermone, obscœna loquacitate, inusitata rabie in ↄspectu S.P.Q.Ro. ea ad istoꝶ maledicendi libidinẽ, nullo teste, nullo testimonio, nullo authore, nullo rumore, breuiter sine ullo signo, sine ulla ẽt leuissima suspitione impudenter in me conieciſſes, quæ ne diusfidius nec in me hærere poſſunt, & tam longe absunt à moꝶ meoꝶ innocentia, quã ab ætatis tuæ pudore abfuiſſe debuerant. Verebare (credo) ne te parum arcanis illis horis profeciſſe existimaremus, nisi in me laceſſendo hic pate fecisses, qua te dicendi facultate, religiosi isti tui doctores instruxiſſent, cũ tibi aliiq; præterea paucis in illo impudentiæ & impudicitiæ ludo non hieroglyphicas modo illas ægyptiorum literas exponũt, sed uobis etiam solis mortalium iam cognitos perlectosq; mysticos illos. Cuiusnam authoris? Recte admones. Elephantidis libellos eſſe dicebant, Milesiacos itẽ Aristidis, & Sybariticos Hemitheonis sermones, quos in operto religiosiſsime isti enarrarent atq; interpretarentur. Sed certe est cur te in culpa agnatorum tuorum excusem, quos & ætati & moribus & linguæ tuæ moderari sanè oportuit, quem eo uidelicet eſſe ingenio scirent, qui neque mente neq; oratione consisteres. Ne mihi quod isti te docuerunt, declamationem meam, tanquam uobis aliquãdo maledixerim ipse, hic obieceris. Quid simile? Ego enim Limini Pictonum & semel, & penè puer, tu Romæ, adulta ætate, iteꝶ, ego in scholis, tu pro rostris, ego inter pueros, tu in Po.Ro. concione, ego corãm ludi magistris, tu apud amplissimũ ordinẽ, ego in re ludicra, tu in capitali iudicio, ego hactenus ut reꝶ fidem nõ excederem, tu quatenus istoꝶ odium & inuidia stimularent. Ne multis, ego quasi aliud agens nec animo accusatorio, nec obscœne cũ iis pueriliter disputabã et q̃ christianæ pietatis oĩo expertes fuiſſent, et quoꝶ (ut ẽ apud poetam nescio quẽ) flaminia tegitur cinis atq; latina. Tu uero furens & exanguis, nec longe minus q̃ impudica & falsa & atroci oratiõe, in ciuẽ tuũ & hominẽ christianũ, nulla ab eo iniuria laceſſitus, impetum facis & crudeliſſime irruis. Siquid in illa fuit, quod parum amice in maiorum aliquem uestroꝶ dictum uideri poterat, tantum abest ut id ego unq̃

probarim, ut etiam uir factus quinq; statim uoluminibus emendarim, cum tu interim hoc aetatis, in eo nulla quidem uenia pecces de quo me nunc capitali iudicio insectaris, & hic maledicendi morbum nobis obijcias, qui hanc potissimum accusationis partem tibi depoposceris, ut omnes omnium aetatum conuiciatores, proterua ista tua procacitate longe superatos ostenderes. Ego sanè, quod quidem memini, certos homines, tuis istis sodalibus audacia simillimos, semel tantum, atque tum etiam magnis de causis, & absq; ulla impudica uoce grauiter accusaui, praeterea neminem, cum multos contra iustis secretisq; operibus summo studio laudarim, atque inter eos, ne quem de ijs qui uiuunt nominem M. Tullium Ciceronem, Cn. Pompeium Magnum, C. Plinium secundum. Ad haec etiam iuris prudentiam, paupertatem, christianam persuasionem, denique Italiae felicitatem, urbis huius praestantiam, Populi Romani uirtutem, imperij uestri amplitudinem luculentis orationibus celebraui, ut intelligas nihil me unquam prius habuisse quàm ut, multorum laudibus benedicendi facultatem mihi compararem. Quam quidem uiam, si tute ad eloquentiae famam, ineuntisq; aetatis commendationem tibi munuendam duxisses, oratione fortasse aliqua tollerabili, laudem, non maledici & indocti hominis nomen ex criminosa ista & petulanti & furiosa accusatione tua retulisses. Sed hic fortasse adolescens non tam grauiter obiurgandus est, qui me alieno impulsu, & scripto, suo autem tantummodo ore tam impure criminetur, quàm subscriptorum eius refutanda maledicendi licentia, ad quorum tamen probrosas compellationes omnes, hoc unum mihi, puto, dictum sufficiet. Nihil esse neque facilius quàm ut qui impure uiuunt, impure etiam loquâtur, neque difficilius quàm ut insanis quisquam & furiosis conuicijs fidem apud aequos iudices faciat. Atque nescio an uobis P. C. mihi certe (quanquam uituperationis insolenti) minime tamen mirum erat, quod omnibus probris ab istis tam petulanter perfunderer, quos scirem ignauorum canum ritu, non quidem pro ueritate, sed pro consuetudine sua latrare. Isti enim sunt P. C. non iam pueri, aut qui rerum imperitia, aut nunc primum peccent, sed quidam ad unguem facti, quiq; ad male tum dicendum tum audiendum, impudens os circunferant homines, quorum famosos & anniuersarios libellos sub ipsum potissimum Martianarum supplicationum diem, ad eã quae Circo Flaminio proxima est Herculis statuam propositos, uulgus palàm lectitat, atq; etiam describit. Isti sunt quorum in praeclara illa nequiciae officina, portentosos illos arcanarum libidinum authores, & lasciuissimas secessus capreensis Tyberij picturas, diligenter conseruari, magnoq; paucis adolescentibus ibidem explicari persaepe audistis.

Isti sunt, qui cum in cœno omnium uitiorum uolutentur ipsi, tamen nulli sexui, neq; ætati, neque ordini, magno Po. Romani dolore parcunt. Isti sunt qui occultato nomine suo, eos tantum & hos ipsos quidem nominatim insigni ad dedecus carmine quotannis insectantur, quos moribus suis multo dissimillimos, hoc est probos, & antiqui moris homines esse cognoscant. Isti sunt qui in Petrum Paccium & Marianum Castellanum, uiros clarissimos summaq; & humanitate & sapientia & integritate præditos, tetram illam suam maledicendi licentiam petulantissime exercuerunt. Isti sunt, qui in Petrum Bembum & in Iac. Sadoletum, at qua dignitate? qua doctrina? qua uirtute uiros? impurissima illa sua uerborum procacitate nuper incurrerunt. Sed quid hos ego colligo, quasi aut omnes eos percensere hic habeam, in quos isti, modo animi causa, dum quantum maledicendo ualent experiuntur, modo serio, dum furiali rabie conati feruntur, debacchantur? Aut istuc iam leue sit impiæ ipsorum audaciæ testimonium, quod ne decimo quidem ipsi Leonti Pont. Maximo unquam pepercerint, idq; unam planè ob causam (nam quænam alia demum esse possit?) quod incredibilem eius in constituenda atq; componenda christiana rep. & uirtutem & felicitatem omni esse laude maiorem intelligerent. Insectatur enim hoc hominum genus, non probros aliquos & nihili homines, id est istos Epicuri admiratores, uoluptatis laudatores, quibus propter morum similitudinem ultro ignoscunt, atq; adeo libenter fauent, sed spectatos excellenti aliqua aut uirtute aut dignitate uiros, quorum criminatio nec obscura, nec uulgo ingrata esse possit. Siquidē ea est multitudinis natura, ut pro se quisq; Principū uirorum obtrectatione in primis delectetur. Prorsus ut, si quis hodie apud honestos magnosq; hoies bene audire cupiat, huic in primis optādum sit, ut triuiali istorum & scurrili conuicio uulgo male audiat. O cœnum. O labes ita ne uero, præpostero hoc uestro ingenio? Verum nolo quenquam in istos incitare, quos uideo bonis omnibus, & infami illa sua, uel stultitia uel inuidia, satis pœnarum dare, & pondus procaci isti suæ accusationi perpetuis iurgijs conuicijsq; detraxisse. Proinde nihil est quod á me suis istis moribus dignum quicquam ℥ parem in eo gratiā expectent. Ego enim cum facile patior me eorum petulantia superari, tū uero certe commissurus non sum ut ipsorum insectando iniuriā, illos imitatus dici possim, quos cum mille alijs nominibus nunq̄ probaui, tum quod ore improbo ac perfricta fronte in optimum quenq; canina illa sua facundia priuatim publiceq; grassarentur. Atq; ut ad id semel ueniam, quo uos ij qui perorandi locum sibi sumpsere, minaci uultu monebant, uideretis etiam atq; etiam, ne me quem Po. Romanus damnasset iam suo

iudicio, ipsi sententijs uestris absolueretis. Ego uero P.C. *ut me* Po.Rom.
damnarit non uideo, si ad causam dicendam, magno ciuitatis consensu
sum admissus, si omnium ordinum principes, omnes consulares, omnes
prætorij, omnes ædilitij, omnes quæstorij, si deniq; quicunq; dicendæ in
senatu sententiæ ius habent, huc conuenerunt, me ut causa cognita, pro
animi sui sententia, aut retinerent, aut ex ciuitate expellerent. Nã quid
attinebat mihi pro me dicẽdi potestatẽ facere, si tristi illa litera me oẽs iã
defixerant? aut cur uobis hæc quoq; salutaris data est, si absolui non po-
teram? nisi uero ut iam olim, sic etiam nunc, uos in incertum euẽtum,
authores eorum fieri omnium debere existimant, quæcunq; collectitia
aliqua operarum manus, aut theatrali significatione, aut concionali cla
more iusserit. Atqui *longe alia iuris ratione hodie utimur, nec concitatæ*
plebis studijs, sed constanter Senatus *consilijs resp. gubernatur, atq; ita*
deniq; multitudinis scita legum uim accipiunt, si ea patres authorita-
te sua comprobarint. Faciunt *isti nimirum, quod in populari actione fa-*
ctiosi calumniatores solent, desperata uictoria, ad minas conuertuntur,
speciosis se titulis ornant, reum omnibus probris onerant, iudicum ani
mos, nunc obliqua oratione sollicitant, nunc apertis minis territant. Nã
cum sub accusationis suæ exitum sensissent eum non excitatum esse a-
nimorum motum & assensum, quem initio sperassent (nihil enim huc
se suaq; dignum causa, præter os & perpetua conuicia attulerant) mira
inquam illa uestra animi æquitate, uel aduersa potius adnurmuratio-
ne perculsi, in eodem statim uestigio, fraudis diuerticulum omnino il-
lud, sed imperite sanè ac impudenter nimis excogitarunt, cum propè
minitabundi exclamare et iurgio contendere cœperunt, uideretis diligẽ
ter nequid temere aduersus sese dignitatis Italicæ *uindices,* Romanæ *ma*
iestatis assertores pronunciaretis. Esse *me* Italiæ *inimicum, huius reip.*
hostem acerrimum, omnibus uos ciuibus uestris, rem tum ingratam tũ
inuisam facturos, nisi me non solum è ciuitate uestra extruderetis, sed etiã
tota Italia *exterminaretis.* Sed *qui per deum immortalem, hi porro sunt,*
quorum præiudicia ciuitatis instar haberi contendunt? Quinam *hi (in-*
quam) qui me indicta causa damnarunt? Non *uos* P.C. *qui cum me ad*
causam dicendam admiseritis, uos huc religiosissimorum iudicum, non
accusatorum animum iratorum attulisse mihi persuadeo, non tot lectis-
simi ciues uestri, quos hic de incolumitate existimationeq; mea mirandũ
in modum sollicitos uidetis. Videtis *autem* Portios, Fabios, Torquatos,
Cincios, *uidetis* Perleones, Ascallos, Gotofredos, Salamonios, *adsunt*
Albarini *nobis* Alteri Pici, Cossari, Adsunt Rustici, Palini Muti, Tomas-

rorũ adſunt Caſelij, Maximi, Magdaleni, Theoli. Deniq; in ſubſellijs noſtris uidetis Cæſarellos, Caſtellanos, Nigros, Alexandrinos, quos quidem nulli aduerſariorum meorum, neq; in hanc rempu. charitate, neq; generis nobilitate, neq; uero animi conſilij ue magnitudine cedere compertum habetis. Quod ſi tot ac tantorum ciuium ueſtrorum conſenſus, ſalutem dignitatemq; noſtram tam negligeret, quàm ut ea incolumi perfruamur, laborat, an non tamen uobis cauſam meam probarent, præclara iſta ampliſſimi collegij lumina, atq; adeo chriſtiani orbis, nedum huius urbis, quaſi quidam adamantini cardines, Pompeius Columna, Alexander Pharneſius, Alexander Cæſarinus, Io. Dominicus Monſalconius? qui, ut moris ſui, ac penè etiam ampliſſimi ſacerdotij decoris obliti, ſic in patriã amore accenſi, cuius eſſe è re ſibi perſuaſerunt, me hac in ciuitate retineri, etiam aduocatorum meorum numero haberi uoluerunt, cũ publici iudicij conſilio, non intereſſe modo, ſed ſuo etiam quodammodo iure præeſſe potuiſſent. Intelligo P. C. quam leuiter hac orationis meæ parte defungar, in quam ſanè par eſſet, ut omnibus ingenij mei uiribus incũberem, uerum meus mihi pudor obſtat, neque ſanè patitur, ut quenquam ob os collaudem, aut præſentium auribus aliquid tribuiſſe uidear, nedum ut huius aduerſus me initæ conſpirationis authores ducesq; (etiam ſi id mihi per eorum audaciam ſolutum eſſet) ſuis hic coloribus depingam, quod tamen iccirco æquum erat, ut ex præclaris eorum perſonis de eximia cæterorũ, qui me de ciuitate tollendum eſſet contendunt, dignitate coniecturam facere poſſetis. Quæ quidem omnia, eo quo dixi conſilio, à me prætermiſſa, non modo mihi apud uos fraudi, ſed etiam omnino laudi fore confido, quod rem tantam animis ueſtris per ſe æſtimandam æquitati ueſtræ dijudicandam prorſus reliquerim. Adijciebant accuſatores mei, nonnullos quidem eſſe, qui cauſam meam publice tutarentur, ſed multo plures numerari, qui me priuatim oppugnarent. Quod ut ita ſit P. C. nec enim negare poſſum aliquos eſſe, ſed ij certe admodum pauci ſunt, in quos tanta cadat illiberalitas, erit tamen ueſtræ religionis, in iudicijs eorum rationem habere, non qui more hominum, inuident in conuiuijs, rodunt in circulis, uellicant in ſeſſionibus, ſed eorũ qui me in Senatu Populi Romani teſtimonio ſuo conſtanter & aperte ſubleuant, horum honeſtum iuſtumq; ducere auxilium illorum turpe flagitioſumq; arbitrari cõſiliũ. Palàm fit quicquid honeſte fit preſertim ſi nec metus ullus obeſt, & id tam populare eſt ut in eo per magnam ciuium tuorum gratiam inire poſſis. Flagitiorum conſciẽtia uix unq̃ in apertũ prodit, domi ſe ꝯtinet aut certe inter ſceleris ſui ꝯſcios deliteſcit.

Quod si me propter obscuras dubiasq; nescio quorum hominum obtrectationes, urbe Roma eijciendum censetis, quo erit apud uos loco tot ac tātorum ciuium Principumq; uirorum authoritas? qui me hic non modo ut dignitatem meam obtineam, dignum censent, uerum etiam si ciuis non essem, asciscendum ultro in ciuitatem arbitrātur. Nam quod de principibus quidem in Rep. uiris, unum nominare sunt ausi, quē causæ meæ palàm aduersari contenderent, M. Antonium Columnam, cuius uiri iudicio tantum equidem semper tribui, ut, si me ciuitate uestra indignum hic hodie censeat, sim protinus de iure meo decessurus, credite P. C. istuc, ab accusatoribus meis impudenter ac callide confictum esse, nec quod ita se res haberet, sed ut scrupulum dubitationemq; aliquam, ex tanti uiri authoritate, animis uestris inijcerent de illius uoluntate ac sententia sese iactasse. Nec enim postquam ciuitate donatus sum, in Senatum ille uenit, sed nec multis mensibus hoc in loco uisus est. Verū demus id eis, de quo potissimum nituntur, pressisse me sententia sua M. Antonium columnā. Vbi? non quidem in foro, non in Senatu, non in concione, sed domi cum eum mendacijs uestris fallacissimis insidiosissime onerassetis. Quando? immo quam pridem? Nempe sub huius à uobis excitati tumultus exortum. Quid? quod mihi hodie nō aduersatur? Quid? quod hac de re consultus, haud semel respondit, iniquum aduersum me & nouum ius postulari? quo nihil est causæ nostræ conducibilius à solis ignaris literarum me oppugnari, quo nihil nobis honestius à doctis bonisq; subleuari omnibus, quo nihil mihi gratius, neq; etiam iucundius cadere possit. At dixit sibi non placere quod, in Romanos olim scripsisses, nec enim ego bene adolescens, si in Po. Romanum scripsissem, id uiq; probarem. Dixit eo nomine, hac te ciuitate esse indignum. Iam quibus hoc testibus probas, si nego? sed ut dixerit tum certe dixit, cum mihi pro me dicendi potestatem Senatus non dum fecisset, cum ipsum amicorum meorum nemo, causam nostrā adhuc docuisset. Quàm multos reris eorum quos hic mihi adesse uides, ad primam accusationis uestræ famam, contra me inuectos esse? Equidem initio nullius ferè uerbo subleuabar, unà omnium uoce non tā ad iudicium q̄ ad supplicium uocabar. Breuiter tanto eram in odio, ut & uulgi sibilis, & honestiorum sermonibus & potentium minis exagitatus nusquam consisterem, neq; uero mihi de retinenda ciuitate, sed de capiendo quasi exilio loco cogitandum esse uideretur. Iam tamen uides magna ex parte & inuidiam illam consenuisse, & tumultum recessisse, & bonos omnes, quos in me concitaueratis à spe uestra ad tuendam salutem dignitatemq; nostram, æquitate causæ esse traductos, optimamq; si minus numero, at dignitate ciuitatis partē nobiscum facere atq; sentire.

Sed ut

Sed ut ad M. Antonium Columnam reuertar (quem honoris amplitudinisq; causa semper nomino) si quid sub huius tumultus exortum, aduersus me dicere uisus est, nō tam eò dixit, rebus meis ut officeret, quàm, ut ne uobis, nominis Romani præpostere & absurde studiosis, parum amans patriæ uideretur. Vir nimirum ut bello inuictus, sic etiam sapiēs & alta quadam mente præditus, ne hodie quidem, in me iuuando, idē sibi quod cæteris licere existimat. Scit me esse sibi amicum, nec id uulgo ignotum. Scit se summa necessitudine Francorum regi deuinctum, qui cū nos etiam sumus in gratia. Quid tum? ueretur ut, si popularii istorum actioni obuiam eat, satis in patriam pius, ne nimis in me Francosq; indulgens existimaretur. Scit alia item multa sed illud maxime quamuis atrociter à principio dixerit, quamuis nullam reconciliatæ uoluntatis significationem adhuc dederit uos tamen æquissime iudicaturos nec ob priuatæ ullius suæ opinionis suspicionem, me à uobis damnatum iri, cuius aduocationem tanta ciuium Romanorum nobilitas, tanta omnium ordinum dignitas, studio, frequentiaq; sua cohonestaret. Quid dicitis monitos ab eo clàm consules, ne secundum me litem darent? Ne quid hic de iustissimorum consulum ipsorum uirtute atq; constantia dicam quos nec à uobis sceleris & perfidiæ turpiter insimulari animaduertitis, nec ego in uos per me incitatos hic uelim. An non saltem intelligitis homines stultissimi non tam causam meam quam M. Antonij famam, in discrimen à uobis uocari? Cui sic quidem certe uilē timidi illiberalisq; hominis personam imponitis? Ita est P.C. quemadmodum dici solet. Mendacia inter se cohærere non possunt. Qui dicunt M. Antonium modo hoc, modo illud, modo clàm, modo palàm, resq; adeo tum inter se, tum cum eius quem authorem laudant uirtute pugnantes dixisse, ij certe nec quid dicant attendunt, nec eorum quæ afferunt quicquam cum ueritate coniunctum esse satis ostendunt. Atq; ne mihi conatus, concursationesq; uestras, & inita de me consilia ignota esse arbitremini. Scio uos quidem ad M. Antonium nullo non die accessisse. Scio uos ei nobiles quosdam homines quotidie allegasse, qui ab eo omni studio contenderent ut hoc in iudicio uobiscū me oppugnaret. Scio, uerum cum ille nulla sibi ratione huc ueniendum putarit, an, non eius quidem præiudicio causam uestrā iam damnatam uidetis? Nam si aut uos ius postulare, aut id è reipub. usu fore duxisset, profecto nec uobis, nec amicis, nec Po. Romano unquam defuisset. Quod si præsens ille præsentem me grauissime hic accusaret P.C. iudicaretis tamen, opinor è uestra esse dignitate illius in me crimen non accipere, ne non tam ulla mea in Po. Romanum iniuria quam ipsius potentia in conspectu uestro proteri atq; conculcari uiderer. Sunt enim

hoc iure atq; instituto maiores uestri usi, ut reos etiam manifestissimis indicijs & religiosissimis testibus conuictos statim liberarent, qui quidẽ nimis magnis aduersariorum opibus obruerentur. Lu. quidẽ Scipio Aemilianus, cũ post duos insigneis consulatus, post deletã Carthaginẽ, post euersam Numantiã, Lu. Cottam apud populũ accusasset, reum peragere non potuit. Quid ita? quod uereretur Po. Ro. ne accusatoris amplitudini, damnatio eius condonata existimaretur. Sic Sergiũ Galbã, M. Catoni uiro & consulari, et triũphali, & censorio, & quod caput est, sanctissimo, in perniciẽ eius iustissimis de causis incumbenti, idẽ Po Ro. eripuit. Sic Lu. Murena ambitus omniũ Iudicio conuictus, Ser. Suplitiũ & M. illum Catonem Vticensem euasit, florebant hi quoq; summa uirtute, summa dignitate, summa gratia, sed tamen indignum his qui tum res iudicarent sua religione uisum est, eo modo quenq̃ in iudicio cadere ut summo accusatoris splendore quasi ui quadã maiore oppressus damnatusq; uideri posset. Idẽ de M. Antonio Colũna, si qdẽ ab istis contra me hodie staret statuẽdũ uobis esset P. C. summæ eius fidei, summæ integritati, eximiæ dignitati, tãtæ q̃tam his uirtutibus meretur, authoritati, deniq; tot hostiũ spolijs, tot trophæis, tot triũphis locũ daretis, ad opẽ quidem supplicibus ferendã, ad excitandos afflictos, ad liberandos periculis innocentes, in discrimine autem & exitio miserorũ ciuium, ea omnia repudiaretis, iuberetisq; ut, aduersus armatos Po. Ro. hostes in bello, magnis his suis opibus uteretur, in iudicio & in senatu reos uestros ne insectaretur. Verum cum me nec ipse, nec bonorũ ferè quisq̃ hodie insectetur, faciant autem hi mecum omnes propè, quos hic intueminí, non uideo nec quid uos P. C. amplius desideretis, nec quã accusatores mei spem habere iam possint. Si bonorum consensus plurimum ualet, omnium à me stant ordinum principes, si causa, superior sum, tũ iure tum æquitate. Intercedunt senatus consulto, ij qui publico in iudicio consistere uix possunt. Causæ meæ accedunt plebis tribuni, quibus more maiorum solis intercessio concessa est, atq; ea ipsa tũ deniq; cum senatuscõ. fiunt, non cum iam perscripta sunt. Induci postulant publici consilij decretum adolescentes, cũ id uim legis habeat, nec de illo, sed secundũ illud iudicandum sit. Reuocari donationem priuilegio contra ius omne atq; fas postulant, cum propter solum ingrati animi crimen ea rescindi soleat, nec ego antè ingratus esse potuerim quàm uos me beneficio uestro ornassetis, nec postq̃ ciuitate donatus sum quicq̃ contra remp. fecerim, aut etiam dixerim. Orationem quandam obijciunt, quam meã esse, cum ipsi nullo modo probare potuissent, et ego in tanto capitis mei periculo ignoratione uestra ad salutem meam iure abuti, possem, tamen

cum innocentia mea conscientia, tū æquitate atq; clementia uestra fre/tus agnoscendam hoc in loco existimaui. Neq; enim eam in uos habui, quod uobis multis argumentis planū feci neq; mediusfidius emisi, quod inde uobis liquet, quod me librarij temeritas Parisiensem inscripserit, id haud q̄q̄ facturus, si me consulto eam edidisset. Peruulgatam quidem illam isti ostendunt, sed neq; me authore, neq; meo sanè mandato exisse docent, si in uos studio animoq; dixissem, si scriptam in apertum protulissem, me tū & ætatis et necessitudinis excusatio defenderet, habita est enim à me adhuc penè quidem impubere minime certe idoneo, qui imperantis dicto non audirem. Nam quod odio me ad eam scribendam adductum esse contendunt, quæ mihi in uos scribendi causa esse tū potuit, si præceptis & artibus uestris ad iustitiam atq; religionem fingebar? ut in ea aliquid offensum, & in transcursu temere dictum sit, quo Po. Ro. nomē perstringi uideatur, id mihi tū quinq; oratiōibus, de industria in urbis, Italiæq; laudē uirili iudicio, nō ut tum puerili studio cōscriptis uideor redemisse atq; compensasse. Quod Gallos ac Germanos ciuitate arcendos esse contendunt, ridiculū id & falsum esse ostendimus. Quod non sim bonarū artium tam rudis, loco tam humili natus, tam obscurus ut ciuitate uestra eijci debeam, id partim tot eruditissimorū uirorū testimonijs, partim tot principū diplomatis demonstrauimus, Ad summam, si defensionis nostræ sunt authores, ciues uestri omnes, quoscunq; & uirtute optimos, & doctrina eruditissimos, & dignitate amplissimos esse constet, nihil uos iam moror P. C. quominus de me in consiliū statim eatur, modo illa omnia ante oculos uestros proponatis. Primum uos hic habere supplicem reū nullo odio, nulla misericordia dignū, & enim qui ob puerilis modo linguæ lubricum periclitetur, cū tota eius interim uita adeo non improbetur, ut ne accusatores quidem ipsius, tam petulantes, tā maledici de certo præterea crimine eū postulare sint ausi. Deinde eū qui fidem uestram secutus, & se uobis tradit, & in uestra mansuetudine atq; clementia causam totam reposuit, nec enim eorū quē quā quos ab aduersarijs meis inflammatos, hic in me consessuros audiebā eiuraui, nec iudicium uestrū cum isti, à me & senatus authoritatem imminutam, & Po. Ro. maiestatē læsā esse criminarētur, detrectaui. Tū etiā illud cogitatote, Maiores uestros, ī obtrectatores Imperij sui, hac semper usos esse animi altitudine, ut eos, non modo quos leuitas eò impulisset, contemnerent, quos stultitia miseratione dignos iudicarent, uerum etiam quos malitia & odium commouisset, uenia donarent. Idq; cum alijs (opinor) de causis multis tum uero illa, ne Po. Ro. magnitudo uerbis lædi posse uideretur, si uerbis aut offenderetur, aut omnino commo-

uteretur. Profecto si Camillos, Catones, Curios Marios, si eos deniq; omnes quos ab aduersarijs meis ad causam in me tragice perorandam, ab inferis excitatos nuper audistis ipsi sententiam hic rogare possetis, opinor, non modo mihi libenter concederent quod id ætatis meo iure in scholis usus, libere declamassem, sed istos etiam grauissime obiurgarent, atq; adeo hac ciuitate nomineq; Romano planè indignos iudicarent, non dico quod tantum turbarum in urbe terrarum principe tam nulla de causa concitassent, sed quod de puerili quadam, & scholastica declamatiũcula uti iudicium apud Senatum Populumq; Romanum exerceretur, omni studio contendissent, cum quidem res ipsa uix digna esset de qua aliquot ludi magistri religiosius cognoscerent. Sed quando istorum artificijs & audaciá tantum excitatum est incendium, ut id nisi uestro iudicio extingui non possit, ipse quidem certe in summo uersor discrimine, quasi de Senatu populoq; Ro. olim & male senserim & pessime sim locutus, qui quidem de ciuitate uestra tanquam de generis humani parente semp tum cogitaui optime, tum uero scripsi & uerba feci honorificentissime. Facite ut & illud quoq; uobis in mentem ueniat P. C. neminem esse hodie neq; superstitiosorum Arabum, neq; pertinacium Iudæorum, neq; planè Turcarum nobis infestissimorum hostium quin si ad nos transiẽs hac in urbe nomen Christo dederit, sit tamen & christianæ reip. & ciuitatis uestræ honoribus nemine reclamante perfuncturus, etiam si christianam persuasionem omnibus probris perfudisset, bellum Italiæ terra mariq; intulisset, omni calamitatis genere sacram hanc urbem affecisset. Quod quidem maioribus quoq; uestris solemne fuit, etiam tum cum non dum ueræ pietatis cultum accepissent, à quibus plerasq; gentes, eodem die, hostium loco & ciuium numero habitas fuisse non nescitis, cum ego interim in uos consulto nunquam scripserim, nullam cladem uobis intulerim, nomen Romanum quantum in me fuit celebrauerim, hanc urbem tam cupide incoluerim, sola penè ciuium Romanorum consuetudine semper oblectatus, super hæc omnia, illud uos ad extremum monitos, et per liberorum uestrorum indolem qui aut nunc primum ad percipiendam dicendi rationem sunt ingressi, aut ea etiam inter æquales suos iã florent, obtestatos uelim P. C. ne me ex hoc corporis habitu hic æstimetis, sed animo atq; cogitatione efficite ut eo uobis ante oculos ore nunc uersor, quali tum eram cum illa à me impubere declamarentur, atq; ita uobis in mentem ueniat, me qui uix è pueris excessissem, ea de causa in capitis discrimen uocari, quod oratione mea pluscolum rebus Ro. inuidiæ quam ueritas ipsa & res concederet aspersum esse existimetur. Nã cum alienum certe sit ab æquitate uestra & hanc ætatem, quæ non mo

do nihil in nos peccauit sed ẽt de nomine Romano benemerita uideatur, famæ capitisq; damnare, & immaturæ illius nullam ratione ducere, cui omnes leges uestræ presertim in linguæ lubrico, uti subueniretur decreuerunt, tũ uero periculũ est, ne siquid ea de causa grauius in me decernatis, eodem ipsi tempore nouũ & acerbũ in liberos uestros ius consti tuatis, quos ea credibile est uel sua sponte, uel à magistris suis iussos & dicere & interdũ scribere, quibus in apertum prolatis hoc à uobis introducto iure capitis iudiciũ aliquando subire cogantur. Non possum hic ego uobis P.C. pro capitalium iudiciorum more, parentes, fratres, propinquos affinesq; meos adhibere qui ignominiã hanc una mecũ à uobis deprecentur, rogentq; ne hanc generi, nominiq; nostro notam inuratis, ut me, quẽ nuper ciuitate frequẽti senatu post hominum memoriã munificentissime ornatissimeq; donastis, hodie ab eadem turpiter expulsum, Italiæ inimicum, huius reip. hostẽ iudicetis, longe enim absunt gentium infœlices, non huius modo mei periculi omnino ignari sed fortasse inter se, absẽnti mihi ciuitatem uestrã adhuc gratulantur, cum hic interea ex beneficio uestro exitiũ mihi cõparetur. O miseram & celerem fortunæ commutationem, o præproperam amicorum meorũ gratulationem, quàm subito illa omnia ex gaudio & lætitia, in mœrorem tristitiamq; obitura sunt? quam præter omnium bonorũ spẽ futurũ ut qui uestro iudicio heri sociorũ unus quasi excellenti quadam uirtute & doctrina præditus ciuis Romanus haberer, retineam hodie nullum non dico ciuitatis uestræ, sed ne pristinæ quidẽ dignitatis nostræ uestigiũ. Cur me infelicissimi parentes miserrimum romanis literis instituendũ curastis? An ut ob ingenuã eis nauatam operam, urbe Roma contumeliose aliquando eijcerer? O studia, o literæ, siccine male uertistis, ut inde mihi capitis periculum impendeat, unde ingenij laudem, & uigiliarum mearũ fructum aliquem cæpisse par fuerat? Ita ne uero ex ultimis terris, à meorum complexu, omnibus inuitis, multis retinentibus tot prætermissis publicorũ, tot spretis priuatorum cõmodorum facultatibus, solo urbis uestræ uisendæ colendæq; studio, huc properaui demens ut post celebratam urbis Romæ & Italiæ laudem atque gloriam, per summum dedecus hinc tandem ipse expellerer. Sed quo me iam conuertam? Ad meos ne, quos præ uobis cõtẽpsi? Ad amicos, quos neglexi? quibus ut placatis uti iam possim, sustinebo ne tamẽ ut ij me spoliatum à uobis omni dignitate conspiciant, qui me nuper à senatu Po. Ro. omni honore cumulatum audierant? sed possim sanè ciuitate uestra cũ multis æquo animo carere, ab ea tamen ipsa summo cũ dedecore eiectus, ubinam hodie gentium honeste consedero? Atq; ita est profecto P.C. non tam de reti

nenda ciuitate, quam tñ & germanæ patriæ, & multoꝝ Regum pollicitationibus antepoſui, nunc laboro, q̃ ut ne me aliquis huius reip. hoſtem eſſe ſuſpicetur, cum ego in uos optimo & fuerim adhuc & ſemper futurus ſim etiam damnatus animo. Et q̃n eos ad quoſcunq; profugero, non leuiter miraturos eſſe certum eſt, eã mihi à uobis ademptam eſſe ciuitatẽ quã tñ in ore ſemper & in amore à nobis haberi uidebunt, tum etiã ingenij noſtri monumentis decoratam eſſe compluribus aſpicient, quid illis me de iudicij huius ratione, atq; calamitatis meæ cauſa interrogantibus, reſpondere uultis? An uos de meo in Po. Ro. animo iſtis credidiſſe, q̃ cum mihi tam crudeliter ſint inimici, paucas tñ quaſdam, easq; ieiunas, & frigidas & falſas ex declamatorio ac planè puerili neſcio quo libello coniecturas ſibi duxerunt, mihi quantumuis aſſeueranter id deteſtanti, & execranti, amicum me Po. Ro. profitenti, innumerabilia eius rei non iam argumenta, ſed planè indicia tot impreſſa ueſtigijs proferenti, nihil omnio credidiſſe? Quàm hæc acerba ſint q̃ dura, q̃ ab æquitate, à clementia, à dignitate ueſtra aliena & remota uidetis P. C. A propinquis nudus, nulla cognatione munitus, omni meorum præſidio deſtitutus, nullius patrocinio defenſus, inuidorum obtrectationibus irretitus accuſatorũ calumnijs circunuentus, inimicoꝝ conſpiratione oppreſſus, inter optimã conſcientiam, & iniquiſſimã fortunam deſtitutus, peto à nobis ut cũ ſanctiſſimoꝝ iudicum religione, tum conſtãtis ſenatus grauitate ac ueſtra potius omnino ratione quàm concitatæ plebis impetu moueamini, ne me, nõ ullo quidem meo in hac certe cauſa, crimine, ſed iniquo multitudinis odio in urbe Roma afflictum ſocij & fœderatæ & externæ gentes omnes ſibi perſuadeant, conſeruate ueſtrum P. C. beneficium. Reddite urbi ciuem, ciui patriam, patriæ dignitatem. Date hoc ſi non meæ innocentiæ at Longolioꝝ generi & familiæ, quoꝝ præclara hac in urbe monumenta uiſitatis. Date hoc, ſi non tot doctiſſimoꝝ hominũ erga me ſtudijs, at hoꝝ clariſſimoꝝ ciuiũ ueſtroꝝ precibus, at horum ampliſſimi collegij Antiſtitum commendationibus. Poſtremo date hoc Decimi Leõtis Pont. Max. Principisq; Ramani iudicio, ad quem cũ ſummam reꝝ omnium poteſtatem, magno Deus hominesq; conſenſu detulerint, qua tamen is eſt in ſummo rerum faſtigio modeſtia, monere uos atq; adeo comiter rogare ſuſtinuit, ne mihi puerilis illa declamatio fraudi eſſet, quominus ciuitatem hanc, qua me frequenti Senatu liberaliter donaſſetis, iudicio etiam ueſtro tueri atq; retinere poſſem.

DIXI.

CHRISTOPHORI LONGOLII AD LVTERIANOS QVOSDAM IAM DAMNATOS ORATIO.

ſ I ea esset apud me causæ uestræ ratio, ut neq; uobiscum iam agi fas esse ducerem, & uos perpetuo quodam uolũtatis uestræ iudicio, ita de reip. Christianæ statu persuasos putarem, ut nulla cuiusquã oratione ab ista sententia deduci possetis, non equidem committerem, id ut negocij nunc deniq; suscæpisse uideri possem, in quo nec à uobis, quibus maxime consultum uellem, ullam essem omnino gratiam initurus, & eos, quorum potissimum sequerer auctoritatem, etiam grauissime offensurus. Vos enim consiliorum uestrorum conscientia freti, aut laborẽ hũc meum quasi inanem & superuacaneum aspernaremini, aut me nõ tam rebus uestris consulere, q̃ temporibus seruire, ac etiam potentioribus me uenditare statim iudicaretis. Illi contra, studium erga uos meum condemnarent temeritatis, qui uobiscum disceptatione & consilio adhuc agerem, quos nulla ad sanitatem redeundi facta potestate, & Pont. Maximus de amplissimi collegij sententia impietatis iam damnasset, & Cæsar ipse ex Senatus authoritate etiam hostes iudicasset. Verum cum ego uos, neq; ea esse arrogantia putem, ut cuiusquam consilium temere despiciatis, & quodam humanæ mentis errore magis esse prolapsos arbitrer, q̃ ut, quod ipsi ducatis impiũ, id ad extremum pertinaciter tueri uelitis, neq; de eo sanè dubitem, sic uestrum de rep. iudicium adhuc esse damnatum, ut matura errati confessione, relictum deprecationi locum reperturi sitis, nihil me ab hominis christiani liberalitate alienum facturum puto, si me uobis hoc uestro tempore consiliarium obtulero, & quæ mihi de rationibus uestris etiam atq; etiam cogitanti in mentem uenerunt, ea uobis accuratissime omnia fidelissimeq; hic exposuero. Etenim uobis omni asseueratione confirmare possum, me neq; cuiusquam beneficijs auctum, neq; alicuius iniurijs compulsum, neq; spe alia nisi uos reip. reconciliandi adductum, neq; omnino officiũ aliud, atq; boni uiri secutum, huc descendisse. Christianæ enim me ciuitatis esse ciuem uemini, quẽ ex Christi Opt. Max. instituto nõ modo necessarios suos & ciueis, sed alienos ẽt, & hostes omni beniuolentia cõplecti oporteat, nõ ita quidẽ ut eoꝝ uitijs

indulgeamus (id enim ab amici hominis officio est longe remotissi/mum) sed ut eos ab omni errore diligenter, amiceq; abductos ad bene beateq; uiuendi rationem traducamus. Quæ quidem una si uobis satis iusta officij mei causa esse uidebitur, ut certe apud homines è religione Christianos iusta existimari debet, & pia, æquum est etiam illud nos a uobis impetrare, ut sicubi à sententia uestra abhorrere uidebimur, ne uos mihi propterea in odio esse suspicemini, qui uobiscum inimicitias nullas unquam gesserim, & casum istum uestrum semper sim miseratus magis quàm uel oderim, uel grauioribus malis premendum censue/rim. Sed nec sanè rationibus uestris aliter commode prospicere queam, nisi causæ, cur à uobis hoc in genere discrepem, paulo interdum liberi/us à nobis explicentur. In quo, si cum aliquo doloris sensu uulnera ue/stra tractari nonnunquam continget, succurrat uobis statim, eum esse me, qui nec illa fecerim, & facta uehementer doleam, & ut aliquando curentur, medicamenta unus hoc tempore adhibeam. Quod ipsum si fe/ceritis, nec me ulla animi contentione, sed sola opinionis dissensione à uo/bis dissidere existimabitis, simul utrunque (opinor) fiet, tum ut ea, quæ à me uobis ad salutem fidissime atque amantissime proponentur, in eam ipsi, in quam spero & opto partem accipiatis, tum uero, ut neque uos ullo tempore huius uestri silentij, neque me impertiti uobis ho die consilij magnopere pœnitеat. Atque ut inde potissimum orationis nostræ ducatur initium, unde tota nobis causæ huius suscipiendæ ratio est exorta. Quo loco sint res uestræ, uidetis. Et quanquam ex imperita multitudine nonnulli, rerum scilicet nouarum cupidi magis quàm uo/bis amici homines, de eo uos laudare uideantur, quod præclarum quod dam aduersus paucorum potentiam facinus sitis aggressi, tamen urge/mini undique, & quod inuitus dico, sed neq; dissimulari iam, neq; ne/gari potest, & uos à me, si non libenti, at æquo certe animo dictum audi/atis oportet, omnes aditum uestrum boni defugiunt, omnes sermo/nem auersantur. Iudices postulantibus uobis ius denegant, principes nullum honorem communicant, sacerdotes uos à templis & sacris ar/cent. Ad quæ quidem si obfirmato animo iam obduruistis, quod ipsum mihi facile persuadere non possum, quis enim ullo Christianæ probitatis pudore, tam graue ciuium suorum de se iudicium tam dissolute negli/gat & aspernetur? Sed tamen si ea uobis omnia contemnenda nunc pu tatis, nec uos fortunæ uestræ etiam dum pœnitet, & quemnam tum ra/tio uestra exitum habitura est, cum uos & Pont. Maximus, tanquam perpetuos religionis hostes, diris omnibus defixerit? & Cæsar etiam

bello acerrime persequi cœperit? In Bohemiam, credo exulatum confu gietis, eorum præsidio extremis temporibus usuri, quorum uos in causam demisisse opinamini. Quid autem, si duriorem illi, ut est profecto, conditionem uestram quàm suam arbitrati, noua se & aliena inuidia premi nolent? Nam cum ipsi alijs atque alijs inter se partibus sint infe cti, nec leuius secum quàm nobiscum dissideant, tum uero se neque incre dibili omnium mortalium odio ardere, neque bonorum clementia uel misericordia potius adhuc uiuere nesciunt. Quod ut uoluntario exilio uos à legum seueritate apud eos uindicare possit, sustinebitis'ne tamen, ut præter miseræ atque solicitæ fugæ calamitatem, non iam diuinæ ciuitatis ciues, & Christiani, sed aut Hussiani, aut Valdenses, aut quo uos in nu mero quidam iam ponunt, exules Luteriani, & sitis & numeremini? Ego quidem quosnam uos potissimum appellarem, & in ipso orationis meæ aditu statim quæsiui, & hic nondum sanè reperio. Ciues? qui à chri stianæ ciuitatis consensu desciuistis. Hostes? qui Christi persuasionem ad huc profiteamini. Christianos? qui christianæ pietatis concordiæ aduersa mini. Luterianos? qui nondum ita puto insanistis, ut tam graui igno minia à nobis afficiendi sitis. Neque enim certe uos in ueterem reip. gra tiam restituendos suscepissem, si de uobis, quemadmodum de cæteris, qui in eadem sunt ca, penè omnibus omnino desperassem. Sed quocunq; uos dici nomine conueniat, & adhuc appellare fas sit, equidem nec quæ uobis apud Hermunduros Quadosq; subsidij spes ostēdatur, satis uideo, qui uos ibi quoque firmissimis reip. præsidijs interclusum iri perspiciatis, semperq; inuisos Sarmatis, Sauromatis, Pannonibus, Gallis, Italis, Germanis, & cunctis ijs, quæ Hercinium saltum accolunt nationibus exo sos fore nō ignoretis. Nec enim solum infestos habetis domi bonos om nes, sed exteras etiam gentes omnes inimicas. Quo non enim terrarum, quæ non maria grauis istius uestri erroris fama iam peruasit? Aduersan tur scilicet causæ uestræ Hispaniæ, aduersantur Britanniæ, oderunt eam Dacæ, oderunt Illyrij, damnant denique illi ipsi, quos paucis annis ad religionis imperium adiunctos esse audistis. Afri, Aethiopes & Indi. Atque hæc ipsa cum talia sint, ut nihil mea sententia acerbius aliud fin gi possit. Mortem mihi equidem ipse optandam putarem, si tam graui, non dico uel gentium uel ciuium meorum omnium, sed eorum quibus cum domi uiuo hominum iudicio damnarer. Tam afflictæ, inquam, res uestræ cum sint, ne illud quidem uobis solatio ut sit, etiam uereor, quod tuendæ reipub. causa in orbis terræ & iniqua ciuium uestrorum odia incurratis, nisi fortasse sic uestram ipsi causam probatis, sic uos

amatis, sic uobis placetis, ut cæteros mortales, qui tamen augustæ illius neq; persuasionis, neq; spei, neq; charitatis religione uobis concedant, omneis præ uobis inscitiæ, uecordiæq; condemnetis. Quod quàm superbum sit, & à christiana modestia alienum, ipsi profectò intelligitis. Atque hoc fieri quidem posse non negem, ut uos rectè sapere & uera sentire ipsi existimetis. Sed unde illud tandem uobis constat, uos in eo solos bene sentire, in quo totā remp. desipere iudicetis, si tot maiorum nostrorum ætates, tantus hodie gentium consensus, si ad unum deniq; omnes quicunq; ulla uel doctrinæ uel iudicij uel sanctitatis laude floruerunt, magni & clari homines, in re toties decertata, & in eandē semper rationem diiudicata, errare potuerunt, uos non decipi, uos non falli, qui tandem potestis? An uobis modo Deum esse propitium, cæteris, à quibus colatur, omnibus iratum atq; infestum putatis? Non tam credo male neq; de genere humano, neque de natura illa ut præstantissima, sic etiam optima & certe mortalibus amicissima, iudicabitis. Sed ut illum à nobis scelera nostra alieniorem reddiderint, causam nihilominus tamen, quare uos unice cōplectatur, & quasi in delitijs solos habeat, nullam sanè reperio, quos ne quid grauius dicam, nec nobis esse meliores, & de eo etiam ipso pessime sentire omnibus sit persuasum. Nam quod uos, christianæ legis atque historiæ uerbis cum in istum sensum perduci, tum in hunc reip. statum niti contenditis, atq; ita deum immortalem, quasi consilij uestri authorem, laudare soliti estis, nos uero ea ipsa uerba non modo aperte nobiscum facere, uerumetiam causam uestram funditus euertere contendimus, neq; sanè interim satis mirari possumus. Vos cum ea non uidere, quæ reliqui mortales aperte uideant, tum uero uel tanta esse confidentia, ut quia quid sequamur non perspicitis, iccirco consilium nostrum reprehendatis, uestigeualere uelitis, uel tam angusti animi, ut ea demum, uel potius ea solum uera esse credatis, quæ ipsi cogitatione comprehendere, & animo cernere possitis, reliqua tanquam uana & falsa repudietis. Quod quidem cum facitis, mihi nimirum similiter facere uidemini, ac si luscioſi aliquot homines, se solos lucis usura commodissime perfrui, cæteros qui acutissima oculorum essent acie, in altissimis tenebris uersari affirmarent. Nam quis uos (dicetur enim libere, quod res ipsa loquitur) quis uos aut inani prudentiæ opinione, aut alicuius certe præstigijs occæcatos esse neget, qui cū numerositis adeo pauci, nec ita multū in liberali ingenuarū artiū studio uersati, neque ulla diuini iuris cognitione satis instructi, neque ullo tractandarum literarum sacrarum usu exercitati, audeatis tamen notum,

testatum, perpetuum Populi Christiani consensum, hoc est, ut ego interpretor, Christi ipsius legem atque uocem præ opinionis uestræ errore arroganter contemnere, & quasi de explorata sententia uestræ ratione insolenter gloriari, quam tot seculorum præiudicijs omnium gentium testimonijs, omnium eorum, qui unquam in ciuitate nostra uel sanctissimi, uel sapientissimi, uel eruditissimi sunt habiti, authoritate damnatam esse non ignoratis? Sed hæc postea demonstrabuntur à nobis subtilius & copiosius. Hic enim mihi planum quoquomodo fecisse satis est, ne apud uos quidem ulla ratione, certa ea esse posse, quæ nec diuino ullo signo probentur, & apud omnes mortales pro falsis constantissime habeantur. Relinquitur igitur, dubia saltem adhuc ut sint. Quod si ita est, uidete (quæso) qua fronte, qua ueritatis conscientia, qua Christiani animi moderatione, pro re ancipiti & obscura, bellum certum & apertum aduersus reipub. concordiam suscipiatis, qui si ulla Germanæ atque ueræ illius modestiæ cura tangeremini, non tam uestris, etiam si iam olim sæpeq; damnatæ non essent, opinionibus duceremini, quàm Populi Christiani iudicio atque consensui seruiendum uobis esse existimaretis. Neque uero illud uos, opinor, ab omni culpa uacuos præstiterit, quod non nullos uestrum subinde afferre audio. Ea uos mente, atque animo in causam istam esse ingressos, non ut cuiusquam opes, aut authoritatem deleretis, sed ut Christianam rempub. quæ grauiter affecta, atque debilitata esset, in pristinam dignitatem aliquando restitutam uideretis. Id enim, ut à me contra multorum uoluntatem uobis nihil grauate detur, non continuo tamen laudi uertendum, atque adeo ne tolerandum quidem semper fuerit, quicquid uel ab optimo aliquorum animo profectum esse constabit. Parum prudentes, & in republ. rudes homines si pro ingenij sui natura, temere quidem aliquid & stulte, sed bona tamen fide dixerint, fecerint'ue, quod ad ciuitatis uel dignitatem uel utilitatem arbitrentur pertinere, nemo eos confestim sceleris arguat, nemo impietatis accuset, uenia, etiam et misericordia prosequentur omnes. At rursus ijdem illi insipientiæ suæ priuatim, publiceq; diligenter admoniti, si in eo, quod temere miscere cœperunt, tuendo insolenter perseuerent, seditiosorum hominum tum infamiam iure subierint, tum etiam pœnam recte sustinuerint. Quod enim initio imprudentia & error dici potuit, facit scilicet pertinacia, ut sceleris, contumaciæ, factionis nomen accipiat & ea, quæ

est de maiestate, pœna indicetur sic cum ipsi omnia Christianæ reip. cōstituendæ causa à nobis tum fieri tum dici prædicatis, possit uestra quidē laudari oratio, consilium autem non uehementer ab optimo quoque non reprehendi, qui cum alia noua & perniciosa inducitis multa, tum uero sublato summi Pontificatus principatu, rempub. uel stultissimo cuiq; perturbandam, uel etiam audacissimo cuiuis diripiendam euertendāq; obiicitis. Sed hæc imprudentiæ uestræ culpa fortasse sustinuerit. Illud autem cuiusmodi tandem esse dicemus, aut quo nomine appellabimus? quod nihil reueriti neq, maiorū nostrorū instituta, neq; Christianæ ciuitatis disciplinā, neq; sacrorū religionē, neq; summi imperij maiestatē, neq; ciuiū uestrorū iudiciū, neq; adeo eorū, q uos ab isto errore abducere conarentur, monita atque præcepta, à nobis ad impiam Hussianorum Valdensiumq; sectam nulla neque publica neque priuata (opinor) cuiusquam compulsi iniuria, subito defecistis? Hoc aduersus remp. animo cum diu fueritis mirandum quidem non est si ab ijs hostes aliquando iudicati estis, quos ipsi prius hostium numero habuissetis, quàm illi & sibi & Po. Christiano quicquam à nobis, eius modi metuendum esse suspicari potuissent, Sed quando de status, sententiæ, ac periculi uestri ratione satis disputasse nulla uideri iam possumus, nunc quidnam uobis consilij capiendum sit, dum ueniæ tempus ad huc integrum est, diligenter consideremus. Et quia salutis uestræ rationem apud homines Christianos exploratam esse, atque planè explicatam iudico, si de sententia ista statim decendentes, eo tandem reuertamini, unde uos nunquam discessisse oportuit, quo id uos quidem in manu uestra etiam nunc est, maturius atque libentius factum uelitis, primum dicam qua facilitatis uestræ culpa in fraudem istam incideritis. Deindè de eo, quem potissimum auctorem secuti estis, à nobis agetur. Tum quæcunque is contra reipub. causam attulit, ea diluam omnia, falsaq; & inanissima prudentiæ esse ostendam. Postremo quonam uobis modo cum repub. in gratiam redeundum esse censeam, summa, tum fide, tum diligentia aperiam atque expediam. Culpam enim uestram hanc esse duco, quod pluris unius alicuius sermones, quàm totius reipub. authoritatē atque iudicium feceritis. Nam & si reperiri aliquem interdum posse non dubiū est, qui ea sit ingenij acie præditus, id ut perspiciat, quod bona mortalium pars non satis uideat, tamen non continuo ea, quasi de cœlo in animum cuiusquam delapsa, à nobis omnia recipienda sunt, quæ ab acutissimis fortasse quibusdam hominibus, sed parum uel prudentibus, uel etiam bonis quotidie excogitantur, presertim si ad

labefactandam reip. christianæ concordiam, in qua nobis esse debent omnia, spectare atq; pertinere illa uideantur. Nam quænam tandem firmandi reip. status, non iam dico fiducia, sed omnino spes nobis ostenditur, si pro ingenio uel libidine potius & amentia seditiosissimi cuiusq; leges, atq; maiorum nostrorum instituta, in disceptationem uocare cogamur? Neq; enim tam bene cũ genere humano agitur, ut aut quæ optima sunt, eadem quoq; placeant omnibus, aut lex ulla ita describi possit, ut omniũ rationibus pariter deseruiat, quod ipsum tamen nullo eorum, qui leges nobis tulere, uitio commissum uideri debeat, sed ita potius natura quodã modo comparatum esse, ut infinita rerum temporumq; uarietate, in tam inæquabili hominum ipsorum tum fortuna, tum sensu, omnibus peræque consuli & similiter prospici non possit, itaq; semper boni ciuis esse duxi, non quid cupiat ipse, aut quid item alter, qui stante Rep. commode stare non queat, sed quod pluribus probetur, & legum scriptoribus optimum uisum fit, id ipsum æquum statuere et rectum iudicare. Addo etiam illud quod grauissimis, atq; sapientissimis uiris placuisse audio, satius esse interdum aliquid à maioribus non omnino optime constitutum tolerare, q̃ id multarum ætatum usu receptum & comprobatum, dum quasi iniquum tollere uolumus, uniuersæ ciuitatis ocium atq; pacem perturbare, aut etiam in aliquod seditionis discrimen eam adducere. Ad hanc enim pestem, id etiam accedit mali, quod dum leges aliquas, tanquam malas, facile abrogamus, improborum ciuium animos figendis refigendisq; tabulis assuefacimus, quo ipso, nihil planè sit ciuitatum saluti neq; calamitosius neq; exitiosius. Atq; hanc ipsam, ego sententiam cum optimi cuiusq; iudicium secutus magis q̃ quid forte rebus meis conduceret, mecum reputans, semper probaui, tum uero, si nihil de eo iure, q̃d sempiternæ salutis causa in perpetuum constitutum esset, mutaretur, laudandam cum primis censui. Quod in hac certe causa usu nobis nunc uenisse, nec uos ipsi planè ignoratis. Neque enim, opinor, nobis aliud persuasum, aliud à duodecim illis uiris qui omnem persuasionis nostræ rationem formula quadam complectendi ius à Christo Opt. Max. accæpissent, conscriptum esse aut traditum existimatis. Quod cum ita sit, nec is cuius sectam secuti estis, reip. Christianæ summam atq; fundamenta publicis moribus conuelli, sed nouam quandam minimeq; necessariam administrandæ ciuitatis rationem multis iam seculis inductam, & quasi per manus nobis traditam atq; receptam esse initio quereretur, fides ei illico habenda non fuit, nec si quid forte probabili, populari ue ratione ab eo disputabatur, id quasi ex oraculo editum temere amplecti atque constantissimo gentium omnium iudicio à uobis anteponi statim debuit, qui sciretis, à multis,

non docendæ quidem ueritatis studio adductis illis, sed uel odio uel inuidia incensis, uel etiam, qua maxime præclara tentantur ingenia, contradicendi, iactandæq; doctrinæ cupiditate concitatis hominibus, multa in dies singulos & uaria studiorum monumenta passim conscribi, atque etiam in apertum proferri. Equidem Nestorium, Arrium, Iouinianum, Donatum, Vigilantium, ac reliquos ueterum seditionum authores, rerum nostrarum tam imperitos non fuisse arbitror, id ut ex animo ad extremum probarint, in quo à cæteris tam impudenter dissentirent, sed eos uel ostentandi ingenij, uel nominis sui illustrandi, propagandiq; causa, uel spem aliam huiusmodi aliquam ambitiose secutos, ad eas excitandas in Rempub. turbas descendisse mihi nonnunquam penè persuadeo. Atque ij ipsi tamen cum multo grauioribus tum, quàm nunc Mart. Luterus sententijs pugnarent, magnaq; non solum uulgo ingenij eruditionisq; laude, sed etiam apud quosdam reipub. principes, sanctitatis opinione diu concionati fuissent, sunt ad extremum summo bonorum omnium consensu, tanquam Christianæ paci atque ocio inimici, ex repub expulsi, & in exilium tandem acti, damnata quoque eorum memoria, & publice exustis monumentis, quibus turbulentæ suæ mentis consilia commendassent. Quæ utinam uobis in mentem tum uenissent, cum primum, Mart. Luterus popularibus istis suis concionibus, & insidiosissimis scriptis, iam olim reipub. imposita quidem illa, sed uel obducta cicatrice iampridem percurata uulnera refricare est aggressus, maiorem, credo, reipub. quàm concionum eius rationē habuissetis, uobis quidem certe, & rationibus uestris commodius prouisum esse hodie intelligeretis. Sed de nimia ista uestra credulitate, & ad cuiuis temere assentiendum facilitate hactenus. Non enim uereor ne non quamuis breui admonitione, satis tamen edocti iam sitis, uel ad perspiciendum quæ uos potissimum res in hunc errorem incautos pertraxerit, uel ad cauendum, ne uos posthac auferant aliorum consilia, tum uobis, tum etiam reipub. perniciosa. Proximum est, ut de Mart. Lutheri, quo quidem uno duce in istam opinionem aberrastis, ingenio atque studijs paulo accuratius agamus, quæ ipsa in eo sunt nimirum huiusmodi, ut me quoque culpæ uestræ socium aliquando fuisse confitear, hactenus tamen ut de eo bene senserim, non etiam ut ipsius de Repub. iudicium bonorum sententiam sanctius esse unquam duxerim. Nam cum mihi interdum uidebatur moueri acute, tum omnium ordinum mores castigare seuere, tum uero optimatum ca

usum aduersus uulgi imperitiam tueri religiose. Sed quid de me ipse loquor? qui ut minime omnium sum suspiciosus, ita ab ijs præcipue, quos mihi aliquod naturæ, religionisue lumen commendet, facillime falli possum? Compertum.n.habeo, etiam bonorum plerosque, qui in digno scendis uel ex ipsa, quæ magna ex parte fallacissima est oratione hominum ingenijs, magni & accerrimi haberentur iudicij, illi initio ualde fauisse, atque adeo iurgia, & prælia accusatorum eius sustinuisse. Quem enim sibi non conciliaret, non dico libellus is, quem de christiana libertate nuper edidit, sed uel una illa homine planè christiano digna, atque iustissima indignatio? qua is sibi amplius ferendum esse negaret, ut quorundam theologorum uel ambitione, uel inscitia, Aristoteles religionis nostræ caput & uertex haberetur, Christus ipse in ea uix crurum aut etiam pedum munere fungeretur? Et profecto multa scriptis illes suis, præsertim quæ prima in manus hominum uenerunt, complectebatur, quibus & ætatis nostræ uitia grauiter insectando, magnam probitatis suæ opinionem excitaret, & res magnas magnæq; deliberationis copiose tractando, interiorum quoque & reconditarum literarum cognitionem promitteret. Et quāquā iam tum obscure quædam aciebat, quibus, ut nunc equidem opinor, uel saniorum animos leuiter prætentaret, uel turbulentis ingenijs spem nouarum rerum aliquam inijceret, tamen si qua ratione scribendi initium sibi fecerat, eadem cætera persequutus fuisset, cum nobis, sibiq; omnino consuluisset melius, tum etiam ipse inter Christianos scriptores locum hodie teneret, neque planè obscurum, neque sanè contemnendum. Sed me nihil æque fefellit, atque religiosa illa, & modesta depræcandæ impietatis, pertinaciæq; cautio, qua passim ille usus, quæcunque de reipub. christianæ statu noua adduceret, tum denique, si ea collegio amplissimo, Pontificiq; in primis Maximo probarentur, sibi probatum iri testificabatur. Equidem cum iniquum esse ducerem, eum à me ex natura mea non fingi, peius'que de eo quàm de me existimare, præsertim cum illa eadem sæpius confirmaret, non modo bona illum nobiscum fide agere, & in officio fore credidi, sed commodius etiam omnia facturum quàm scripsisset, existimaui, etenim quem non ad excitandos ciuileis motus, iam olim damnatas quorundam factiosorum sententias scelerate insidioseq; repetere, sed doctorum hominum ritu eas disputando scienter atque perite attingere arbitrarer. Nam cui per Deum immortalem, quicquam tale subuereri in mentem

uenisset, presertim uel in tam alta pace, tantaq; omnium ordinum concordia, uel ab istiusmodi homine, qui inter nos natus, inter nos educatus, inter nos institutus & doctus esset? qui se Aurelij Augustini uiri tum doctrina, tum sanctitate clarissimi, & in repu. maximis causis, difficillimisq; temporibus cogniti atq; probati alumnum profiteretur? compluresq; iam annos inter eius familiae sodales iuratus, si non aliqua cum laude, sine ulla certe insigni ignominia uixisset? Ne multa, omnia prius arbitratus sum fore, q̃ ut in eo tantum uel extaret sceleris, uel reperiretur perfidiae, quem ego & si nunquam à me uisum, amabam tamen, idq; tum reipu. quam mihi ex animi mei sententia capessere, uidebatur, causa, tum etiam communium studiorum artiumq;, quibus illum mihi coniunctissimum esse sperabam gratia. Sed non diu licuit bene de eo sperare, qui quid animo aduersus remp. agitaret, nobis occultũ esse diu noluit. Alteris enim scriptis, nemo suspicari nõ cœpit, quid à primo spectasset, quid quaereret. Tertijs porro editis, nemo tam caecus fuit, quin omnem illam pietatis existimationem ad confirmandam Hussianae sectae impietatem collectam esse perspiceret. Veruntamen est quod ei magnam nihilominus gratiã habeamus, qui illum nobis errorem statim eripuerit, & abiecta boni tũ uiri, tum ciuis persona, sui consiliorumq; suorum penitus cognoscendi potestatem nobis fecerit. Vidit enim tandem, uidit quod omnino futurum erat, neq; dolos posse latere diutius suos, qui se iã primis illis quoq; disputationibus in suspitionem seditionis apud acutiores quosdam homines uenisse intelligeret, neq; quod clàm machinaretur, id eo, quem à principio sperarat, exitu conclusum iri, paucos enim omnino ea ratione ad causam suam adiunxisset. Redijt igitur ad male dissimulatos mores, cœpitq; aperte remp. opugnare, quam antea cuniculis euertere frustra tentasset. Sed quid egerit homo religiosissimus & idem eo pudore praeditus, ut iã unus optimatum nationi conuicium, suo quodammodo iure faciat, operaprecium fuerit cognoscere, tametsi uos non ignoratis, qui ea quemadmodum agerentur, multi spectare potuistis. Verum quia sic ferè hominum uita est, ut quae non facta nolimus ipsi eadem dum audacter fiant, & secunda aliqua fortunae aura ferantur, nescio quo modo, rite quoq; et ordine & iure fieri existimemus, quod tum forte, cum Lutero conatus ex animi sententia procedere uidebantur, minus absurdum in eo uobis est uisum, idem hoc uestro tempore uel alio leuiter uos admonente intollerabile & impium fortasse uidebitur. Iam primum facta manu, latus suũ armatis hominibus stipauit is uir, qui christiano homini uel ad arcendã barbarorum uim ferrum aspicere, religiosum esse affirmaret. Sed ex quo tandem hominum genere istam ille sibi, quasi praetoriam cohortem descripsit?

scripsit? Nempe ex eo, cui bello ciuili opus esse duceret. Sic enim ad nos allatum est, sic etiam conspirationis istius fautores confitentur, ita tamen ut inimicorum potentia metuq; coactum, ad extrema eum consilia descẽdisse causentur. Sed quacunque ratione ad nouissimum auxilium descenderit, et se militari manu sepserit homo Christianus, quiq; sibi nihil unq̃ magistratuum imperio antiquius fore, solemni sacramẽto pollicitus esset, neque se pro tuendis Christi praeceptis ullum mortis genus recusaturum semper praedicasset, certum est omnes eius prouinciae damnatos, omnes ignominia notatos, omnes aere alieno oppressos, omnes exilio infamiaq; dignos multa spe & promissis ab eo teneri. Praefectos autem tam numerosae cohortis eum habere duos, atque hos ipsos concordiae Christianae multo inimicissimos, Alterum summo quidem loco natum illum, & ualentem sanè hominem, sed tamen audacia magis & saeuo inter eas gentes latrocinio, quàm generis nobilitate insignem. Alterum equestris ordinis, at non item census, quem pridem deuorarit, nudum planè, neq; tamen aut infantem, aut infacetum equitem. Illius eum bona militia opera uti audio, ob saepe spectatam hominis tum in spoliandis iugulandisq;, qui illac iter facerent, negociatoribus, tum in depopulandis finitimorum agris, uirtutem atque diligentiã. Huius gloriosa domi exquirere consilia, quippe quem constet animo esse tam seditioso, quàm iã sit multis acceptis uulneribus ad bella gerenda corpore infirmo & prorsus inepto. Nostis puto hominem, altero crure claudum, humero strumosum, oculo captum, ac morbo tum comitiali, tum eo, qui libidinem eius obscoenis pustulis indicet, foede miserè que confectum. Scurram illum dico equitem, qui cum miros uel scriptis suis risus uulgo facere conetur, non minus tamen crudeliter bonis omnibus interim minitans bellum reip. indicit atq; denunciat. His itaque ille praeclaris ducibus, quasi duabus incendij sui facibus fretus, neque tamen interim ignarus, quàm apud ociosã perditamq; plebem grata esset futura fortunarum bonorumq; omnium adaequatio, ac iucũda in primis principum uirorum exagitatio, munire se hac quoque ratione coepit, hoc est eodem tempore & plebis uicem miserabiliter deplorare, & principes ipsos in crimen inuidiamq; absentes uocare, & in bonos omnes quo iure qua iniura nominatim declamare. Quod cum apud populares suos sibi non omnino incommode cadere uideret, simul et graui illa denunciatione incensus, qua sibi homo modestus aliquando tandem edictum fremeret, nisi ab ea mente desisteret, atq; improbis concionibus finem faceret, fore, ut neque amplissimo collegio consilium, neque Pont. Maximo authoritatem, neque bonis omnibus ad cohercendos seditiosorum conatus facultatem uirtutemq; deesse intelli

geret. Ea inquam quasi atroci contumelia incitatus, animum statim ad arma & uim adiecit, nihil iam nisi atrox & crudele cogitans, nihil nisi monstra loquens, Pontifici, Collegioq; iratus, & ijs omnibus qui remp. saluam uellent, infestus atq; intolerabilis. Hinc crebræ illæ turbulentæq; conciones, hinc tot propositi passim famosi eius atq; sacrilegi libelli, hinc toti Europæ diuisa tot impia impij hominis scripta atq; monumenta, quibus eos, qui à solitudine nomen induissent, uoluntarios christianæ reip. seruos, omni sacramenti religione exolutos, ad libertatem uocaret, exulibus reditum pararet, tabulas nouas induceret, ac redacto in ordinem Pont. Max. itemq; cæteris amplissimis sacerdotibus omnibus, publici consilij authoritatem, sacrorum curationem, religionum interpretationem, uniuersum deniq; cerimoniarum ius, non modo ad plebem transferret, sed prophanis etiam hominibus communicaret dicam, an contaminandum uiolandumq; proponeret? Omitto ea, quæ contra sancta maiorum nostrorum instituta, de diuinæ hostiæ ratione, de religiosa illa & lustrica scelerum confessione, de pontificia criminum abolitione, de manium expiatione, de sacris maritandis ordinibus, infirmandis iudicijs, abrogandis legibus portenta inuexerit, quæ & si leuiores quædam ad euersæ reip. mala accessiones uideri possunt, sunt eius tamen generis, ut non minus q̃ illa pestifera sint, & ad animorum nostrorum insaniam perniciemq; scelerate excogitata. Quorsum igitur hæc commemoratio? quorsum? ut quod aliqua fortasse animi perturbatione impediti adhuc facere non potuistis, aliquando perspiciatis, aut quanto uestro periculo iste insaniat, aut quantum eius ingenio tribuendum sit, qui non modo de prisca illa Heroicorum temporum maiestate instaurãda nihil sincerum cogitet, sed ad miseras illius reliquias, quæ una consentientis ciuitatis concordia niterentur, delendas noua quadam atq; importuna audacia grassetur. At enim ita affecta sunt pleraq; omnia & debilitata reip. membra, ut ciuis planè nõ sit, qui ista uel probet, uel etiam tacitus ferre possit, quasi uero, quoniam cæteris ferè ornamentis suis resp. orbata sit, ocio quoq;, & pace, & in qua hodie una acquiescimus ciuium cõsensione à nobismet ipsis eã spoliari conueniat. At iam pridem ueram illam & germanam cum pacis atq; ocij, tum etiam gubernandæ reip. rationem ita amisimus, tantaq; est perturbatio rerum omnium, & confusio, ut bono cuiquam dissimulandum iam non sit. Quis uero hoc negat? quis non uidet? quis priscam illam uel nascentis uel adolescentis religionis christianæ ætatem non desiderat? quis non deniq; bonorum in extrema hæc tempora ætatem suam incidisse, uehementius dolet, & interdum etiam ingemiscit? Ego quidẽ ipse, qui sacerdotum, uel potius reip. causam hic uideor agere, quã si ago,

uestra certe potissimum causa nunc ago, ego ille inquã q me sacerdotum nationi fateor esse amicissimum, cum reip. casum atq; orbitatem uobiscum lugeo, tum uero multa in plurimis eorum qui publico consilio præsunt, desidero, idq; præ me semper tuli, mihi non satis probatos esse ne antistitum quidem ipsorum mores, quos pugnantibus illis inter se uitijs, luxuria & auaritia, ignauia & ambitione haud leuiter infectos esse negare nemo potest. Sed cum remp. non idcirco odisse, quod deformior sit, sed potius eius uicem dolere debeamus, & miserari, quod huc calamitatis reciderit, tum etiam alia est omnino improbandæ causæ, alia uitæ hominum improbandæ ratio, aliud reip. christianæ statum damnare, aliud malos magistratus accusare, quãquam si uerum fateri uolumus, huiusce mali causa non tam in principibus & magistratibus, q̃ in nobismet ipsis tota residet, qui cum sciamus quid factu sit optimum, eoq; nos leges et patrum decreta uocent, nescio quo tamen modo malumus in eos qui remp. gerant, culpam omnem semper transferre q̃ uel nostram ipsi quandoq; agnoscere, uel etiam legibus ipsis parere. Illud quidem sanè inficiabitur nemo, aliquanto esse adhuc tolerabiliores eorum mores, quorum nunc in potestate sunt omnia, q̃ nostra ipsorum hodie uita mereatur. Nec enim dubium est, nos multis nostris peccatis in hãc reip. noctem iam pridem incidisse. Sed quid uitijs nostris molliore oratione blandior? ipsi nos, ipsi scilicet, uel ambitione, uel commodo, uel alia quauis cupiditate nostra ducti, principes sua sponte haud ita malos, uel etiam omnino bonos ad hoc genus uitæ solicitamus, dum eos modo inter se committimus, modo in priuatos concitamus, modo obiecto falsæ gloriæ splendore deprauamus. Quid multa? stet in statione, quam quisq; fortitus sit, & in uigilia sua pars ciuium optima, statim fungentur officio uel inuiti suo, & magistratus omnes, & reip. principes omnes. Neque uero hæc à me perinde dicũtur, quasi principum flagitia priuatorum scelere excusata esse uelim, scio enim quantum ij cæteris omni uirtutis genere præstare debeant, qui omnibus imperant, sed ut ista labes hominum, omnia omnium delicta in solos principes tam acerbe conferentium, in sese aliquando ipsi descendant, atque profligatæ reip. causas tum sibi, tum sui similibus magna ex parte acceptas referendas esse cognoscant. Sedentes ne igitur, & per ocium tam perditorum temporum cursus spectabimus? Minime nos quidem, sed huic tanto malo pro se quisque studiose opitulabimur. Quonam istuc modo? Non seditiosis quidem concionibus tumultus excitando, non exitiosis scriptis bonos territando, non improbis secessionibus spem sceleratis ostendendo, non frameis & gladijs fidem de foro, ius de tribunalibus, authoritatem de repub. auferendo, non eo denique auxilij

genere, quod ipso morbo multo sit grauius atque perniciosius, huic pesti succurremus, sed ijs planè remedijs, quibus Benedictus, Franciscus Dominicus, Bernardus, ac cæteri amplissimi, persuasionisq; nostræ amātissimi uiri, suis quisque temporibus labenti atque inclinatæ reip. opem ferendam sapienter iudicarunt. Quibus nam istis? Precibus, lachrymis, ieiunijs, summa totius uitæ innocentia à Christo Opt. Max. suppliciter contendendum ē, ut pro cuius reip. salute ipse se deuouendum putarit, hanc ægrotam, ac prope depositam aliquando respiciat, eiusq; principibus eam det mentem, atque facultatem, ut quæ sustineant munera, ea ipsi rite atque ordine tueantur & obeant. Nec interea tamen nobis cessandū arbitror, sed quibus hominem Cristianum armis siue suo scelere alij uim afferre licet, ijs nimirum rem geri placet, hoc est, tum priuatim tum publice cunctos ad leges seruandas admoneri, ad uirtutem cohortari, studiose doceri, seuerius etiam interdum obiurgari, sed ita ut uitia, non homines odisse uideamur, atque nos in primis tales præstemus ipsi, qualeis esse cæteros & cupimus & æquum censemus. Mutationem uero reip. Cuius & fundamenta Christus ipse iecerit & ædificationi semper fauēs præsensq; numen eius adfuerit, me quidem authore molietur nemo, etiam ut uulgo in ea grauiter peccetur. Nullis enim hoc, opinor legibus, nulla institutione, ut ne qui peccent, hoc quidem tempore præstare possis. Nam erunt uitia, ut quidem est in prouerbio, donec homines, ut uero nobis sancte persuasum est, quoad iā senescente, & ad exitum tendente mundo, genus humanum omne diuinitus resipiscat, & ad Christum Opt. Max. unum amandum, colendum, uenerandum toto pectore incumbat. Interea si qui sunt animo tam tenero, ut quæ fiant neque ferre, neque uidere, neque etiam audire possint, licet abstrudant se, uel in re motas aliquas, & ab omni arbitro liberas, uel sequantur has ipsas, quas in medijs spectamus oppidis cum religiosis clausas septis, tum ab omni prophanorum hominum usu uacuas solitudines, in quibus uiros bonos innumerabiles, & olim tranquillam ætatem egisse, & etiam nunc optimæ suæ mentis conscientia fretos atque beatos, consi dere non ignoramus. Sit hæc igitur nobis quidem constituendæ, corrigendæq; reip. Christianæ adumbrata atque informata ratio, quæ ipsa nec à diuinis præceptis est aliena, & sanctissimorum uirorum exemplis multarumq; ætatum usu comprobata. Sed ut ad eum, de quo nobis instituta est oratio redeamus, obsecro uiri optimi, quale uobis spectaculum illud uisum est? cum Mart. Luterum inter perditos illos, & scelestos homines medium, regio spiritu incedentem, atque ex desperata illa plebis fece in concionem censorio supercilio conscendentē intueremini? cū uero

eundem in reip. principes nominatim aperteq́; incurrentem, cum in uirorum ſanctiſſimorum memoriam petulantiſſime perorantem, cum tot ſummorum Pontificum decreta, tot Po. Chriſtiani ſcita furioſe & impie comburētem, breuiter cum illum inflāmato ore, ardentibus oculis, Pōt. Maximo ſacris interdicentem, Italiæ uaſtitatem, urbi Romæ excidium crudeliter & immaniter minitantem audiretis, uenit ne unquam uobis in mentem de Ieſu Chriſti conſeruatoris noſtri, & generis humani parentis pudore atq; patientia quicquam cogitare? Qui cum ea eſſet uirtute ornatus, ut diuinitatis exempla ederet omnibus admiranda, ea doctrina inſtructus, ut doceret, quæ eſſent ad animorum ſalutem, immortalitatemq́; optima, ea poteſtate præditus, ut poſſet non dubie omnia, nullum tamen aduerſus eius ætatis principes inſolentius uerbum protulit, ac ne tum quidem, cum ad ſeruile ſupplicium ab importuniſſimis hominibus indigniſſime raperetur, quicquam queſtus eſt. Quid nihil eſſe queſtum eum dico? quem in crucem ipſam iam actum, & omni adeo cruciatus genere laceratum, eis ipſis, qui illam ſibi fixiſſent, bene precatum eſſe conſtet? Atqui nouus iſte noſter legum ſcriptor, ſe ad illius unius innocentiam & ſanctitatem uitæ ſuæ ſtatum omnem direxiſſe apud uos interim magnifice gloriabatur. Eo quidem certe nomine cæteros ciueis, etiam eos qui iam olim de rep. Chriſtiana optime ſunt meriti, faſtidit & aſpernatur. Aſpernatur autem? immouero contumelioſiſſime ubiq; illos exagitat, & inſectatur. Anacletum quidem, qui & Romæ pontificatum ſummum geſſerit, & pro Chriſti perſuaſione impij ferri crudelitatem non dubitanter ſubierit qua porcum, qua belluam idētidem appellat. Iſidorum uirum religioſiſſimum, & quod ante Luterum nemo negauit ſacrarum literarum peritiſſimum, nunquam ferè niſi canem cognominat. Eum uero qui Leontis nomē ex Romanis Pontificibus princeps ſecutus ſit, nec literis minus & eximiæ cuiuſdam doctrinæ gloria q̃ ſingulari quadam morū grauitate atq; pietate floruerit, quaſi ambitioſum & uanum ubiq; compellat. Bonauenturam ex Franciſci Aſſiſiatis familia, at quē uirum? planè diuinum, tanquam nihili & ineptum hominem paſſim deridet. In Thomā uero Aquinatem uirum ampliſſimum, quo quidem ætas illa neq; doctius aliud tulit, neque religioſius quicquam uidit, modo quaſi in præſtigiatorem & ſophiſtam ingreditur, modo tanquam in imperitæ multitudinis mancipium atque uulgi adulatorem inuadit. Sed quid ſingulos colligo? quaſi aut melius iſta ipſe norim q̃ uos, qui omnibus penè eius concionibus interfuiſtis? aut tantam illius in uiros optimos atque clariſſimos quorumq́; uirtutes iam conſecratæ ſint & in diuorum numero collocatæ feritatem, ſine ſummo animi mei dolore commemorare poſſim? Sed

tamen, qualia nobis, per deum immortalem, uisa sunt conuicia illa quæ ex impuro illo & sacrilego ore in homines de rep. ita meritos euomerentur? Mihi quidem eadem modo legenti, eam orationis speciem præbuerunt, ut nõ eius qui se hodie unum omnium Christi studiosissimum esse prædicet, uerba mihi uiderer agnoscere, sed barbaram potius & immanem in nomen Christianum grassantis uel Celsi cuiusdam, uel Porphyrij, uel Mahumetis ipsius uocem exaudire. Ne hic eos à me probari existimetis qui unum uel Io. Scotum, uel Thomam Aquinatem semper in manibus habeant, ament, dilaudent, Paulum uero Tarsensem atq; quatuor illos christianarũ reℽ authores religiosissimos, aut penitus ignorent, aut quasi non satis exquisitos in disputando atq; accuratos Theologos negligentius legant, aut etiã aspernentur. Nã siqua unquã in re mihi Luterus minime uisus est desipere, in eo ẽ certe, quod hoc ipsum hominum genus acrius à se & sæpius obiurgatum esse uoluerit. Veℽ non icirco neq; Scotum neq; Thomam neq; illius ordinis cæteros quasi teterrimi alicuius sceleris reos perpetua oratiõe insectari debuit, quos & summa uitæ integritate, & admirabili quadam diuinarũ humanaℽq; reℽ cognitione optimi cuiusq; iudicio commendatos esse non ignoraret. Neq; uero sum rerũ humanaℽ tam rudis, quin sciam eos, quos quasi diuinis quibusdam & artibus instructos, et moribus ornatos admiramur, homines tamen fuisse, hoc ẽ tales, qui potuerint tum aliquid nescire, nam qui etiã facile summã doctrinæ laudẽ sunt ꝯsecuti, nulla sciuerũt nõ oĩa, tũ à sũma illa rectè uiuendi ratione nõnunq̃ aberrare. Vni enim adhuc Iesu Christo uirtus pfecta perpetuaq; ꝯtigit, sed illud item certo scio, cũ probi esse existimatoris, et in censendis magnoℽ uiroℽ ingenijs haud quaq̃ iniq uitia pensare uirtutibus, tum ubi maior uitæ atq; ingenij pars steterit, eò nos animi nostri iudiciũ atq; sententiã oẽm ingenue ac liberaliter ꝯferre oportere. A qua qdem rectè existimandi æqtate q̃ longe Mart. Luterus abfuerit illud uobis satis indicarit, quod in oẽs ferè sacros scriptores sed in hos potissimũ quasi minoℽ gentiũ persuasionis nostræ interpretes furẽter inuectus, alios indoctos & ineptos, alios nugas et barbaros, alios scenicos & poeticos, alios impostores & impios, alios belluas, canes, porcos, asinos uocitarit, atq; his etiam multo fœdioribus sexcentis uocabulis sibi in perpetuũ notãdos defingendosq; duxerit. Esto nullã illi politioris humanitatis partẽ attigerint, nullã reℽ externaℽ memoriã tenuerint, nullos tẽpoℽ ordines, nullos ætatum gradus cognouerint. Deniq; literas quidã planè nescierint, iusta ne tñ ea tandẽ sit causa, ut homines sanctissimi, & quod ꝯstat, è disciplina christiana doctissimi, qui siquid delquerunt, non in religione, nõ in rep. peccarunt, sed in leuioℽ tantummodo studioℽ cognitione ru

des extiterunt, ab isto nescio quo ꝯtumeliosissimis noībus petulātissime di uexentur? Et miratur adhuc quisq̄ uestrū, Luteꝝ apud bonos omneis ma le audire, qui tam maledicus sit, uel ab ijs, ferreū ipsius os graui interdū conuicio uerberari, qui sibi perpetuā iustamq́; pro tantoꝝ uiroꝝ ornamen tis propugnationē suscæpere, aduersus eū hominem qui oīs humanitatis oblitus neq; sacræ mortuoꝝ memoriæ unquā pepercit, neq; qcquā habeat deliberatius q̄ in eoꝝ studia, literas, uitā contumeliose increpando, oīum nomini uel perpetuas tenebras offundere, uel ad posteros infame id et no tatum transmittere. Sed alio prorsus, alio, atq; tu speres, homo amentissi me exitu res tota concludetur. Nā & illi quam adhuc apud oēs mortales dignitatis uirtutisq́; suæ gloriā obtinuerunt, eam apud oēm quoq; poste ritatem augustissimoꝝ monumentoꝝ suoꝝ religione facile tuebuntur, et tu, quod unū potissimū præpostere ambis, quoq; ut potiare omnia diuina & humana iura peruertis, assequere quidem illud, et fortasse uiues, sed in pœnā, mihi crede et in ignominiā nobilitatus uiues, nō sanè aliter scelere tuo sempiternæ hominū memoriæ cōmēdatus ac Iudæ perfidia, Arrij in sania, Dioscori arrogantia, cæteroꝝq́; seditiosoꝝ impietas hodie cōmemo ratur, et ab optimo quoq; detestata uulgo etiā execratur. Vos autē ne hæc à me acriore ullo in hominem odio asperius dici existimetis, quo et si di gnissimus is est omnino, qui non modo aperte, ueꝝ etiā gratis libenterq́; cum rep. suscæptum bellū, impie gerat, tamen ita Christū propitium ipse habeā, uosq́; saluos uideam omnes ut eū quoq; saluū et incolumē nobis cum esse iam pridem studui et etiā nunc exopto. Atqui reip. deesse nō pos sum, cui tam sum amicus q̄ qui maxime, neq; uos ab ista mēte deducere ni si fontes sceleratissimi eius consilij aperiam, & qualis is sit, quo duce à recta religionis uia, in Hussianorū sectam aberrastis. Vobis hic planum faciā, idq́; paulo q̄ uelim nonnunquā seuerius, ne nos uidelicet causæ no stræ paꝝ confidere existimetis, si cum hoste multo leuius q̄ ille cum ciui bus suis egerit, semper agere uideamur. Sic enim uos ab eo persuasos esse audio, ut quisq; sentiat optime, ita improbos insectari acerbissime. Qua quidē ratione & si in neminem iustius quàm in illum ipsum qui hāc le gem tulerit, eamq́; contumeliosissimis suis etiam scriptis sanciuerit, inue hi nos & declamare oporteat, tamen erit apud me antiquius quid uel cau sæ nostræ dignitas postulet, uel etiam hoc in genere natura mea ferat, q̄ quid petulantia eius atque odiosa peruersitas mereatur, nisi siquando fortasse importuna eius audacia uictus atque expugnatus, ab hac ani mi æquitate deijciar. Quod sicubi casu aliquando contigerit, par erit, opinor, ut iusto meo dolori ignoscatur, nec ego me indigna dice re existimer, cum illo digna quædam dicere, interdum uidebor qui

me eo necessitatis pertraxerit, ut modestiam meam sine summa praeuarica tionis suspitione tueri non potuerim. Quare uos ne in ea quidem opinio ne diutius errare patiar, ut eum si non satis neque prudentem, neque in scribendo moderatum, bonum saltem uirum & frugi esse arbitremini, quem quasi continentem & integrum hominem nonnulli uulgo commẽ dare non desinunt. Ego enim si quem ea integritate praeditum esse certo sciam; ut nullis auaritiae sordibus capiatur, ea grauitate & pudore se/ ptum, ut omnes corporis uoluptates seuere excludat, laudẽ qdẽ ijs nomi nibus hominẽ, sed non propterea tamen eum esse uirum frugi continuo iudicem. Maius est omnino & splendidius probitatis nomen, q̃ ut dua/ bus hisce uirtutibus amplitudinem suam tueri possit. Atq; ut hic omittã quamq; incertum sit id, de quo eum uno isti dilaudant, neq; enim ea res cuiq explorata esse queat, quemq; abstinentia ista in illo uirtutum choro locum obtineat, obtinet enim, credo, infimum, bonum eum tu mihi iu/ stumq; hominem appellas, qui caeteros prae se impotenter aspernetur? qui meliores calumnietur? qui defunctorum innocẽtiam insectetur? qui odio aestuans, iracundia ardens in contumeliam praeceps feratur? quem perfi/ dia insidiosum, leuitas seditiosum reddiderit? quem caeca uel dominandi, uel nominis sui in honorem adducendi cupiditas ad legum reiq; publi/ cae interitum stimulet atq; propellat? Omnibus necesse est, omnibus, non uno aut altero uitio careat is, qui se frugi & bonum uirum hac in rep. & dici & esse cupiat. Neminem superbe contemnat, neminem falsò cri/ minetur, non in alterius exitium iracundius incurrat, non inimicitias li benter gerat, datam fidem sancte praestet, sacram mortuorum memoriã religiose colat, humanitate & beneuolentia quoad eius fieri potest, com/ plectatur omnes, postremo nihil ciuium suorum pace atq; concordia sibi ducat antiquius. Haec qui faciat, etiam si aut ad rem paulo uideatur aui dior, aut à uoluptatibus interdum non alienior, possit fortasse uir bonus dici, atq; id ipsum tamen uulgi adhuc & populari tantum opinione, non item ex persuasionis christianae formula atque sententia, ad cuius quidem praescriptam uiuendi religionem si quis Mart. Luteri actam uitam & fa cta nunc dirigat, quiduis certe potius quàm è religione christianus esse re perietur. Quid enim tam alienum ab hominis christiani instituto, atq; prae gloria potentiáue sua christianae reip. statum non modo seditiosis con cionibus & famosis libellis, sed barbaricis etiam minis & armorum ter rore oppugnare? Neque enim ignota sunt, quae ille de cogendo impiorũ exercitu molitus sit, quae de ijs omnibus, qui à se in rep. dissentirent, con/ silia inierit, quae & si in eum ipsum, eiusq; sectatores statim nõ uertissent, sunt ea nihilominus tamen eiusmodi, ut eum esse mente minime omniũ

chriſtiana, fidem uobis aperte facere iam tum potuerint. Age uero ſenſerit
ipſe de rep. unus ex omnibus optime, qui quidem omnium iudicio ſentie
bat peſſime, nũ plus tñ hominem modeſtum, & ciuilis officij non igna-
rũ quàm nobis probare poterat, contendere oportuit? Neq; enim ſi reſp.
priuatos aliquot, quos ipſa perſuadendo regere non queat, poteſt ſuo iure
cogere, icirco paucis liceat, cum perſuaderi populum poſſe diffidãt, uim
reip. atq; bellum ciuibus ſuis inferre? Eadem eſt enim, ſi forte admonendi
eſtis, patriæ in ciueis, quæ patris in liberos poteſtas, neq; ſanè magis pri
uato cuiquam reip. arma intentare fas eſt, q̃ filio ius, parenti manus ulla
ratione afferendi. Vnam porro eſſe chriſtianis omnibus communem et pa
triam & ciuitatem, et remp. quæ nos ſacris illis liquoribus delibutos atq;
perfuſos excæperit, quæ ſalutare is initiatis leges, ad quarum præſcriptũ
uiueremus, deſcripſerit, neminem ueſtrum dubitare arbitror, haud profe-
cto magis quàm de eo bonorum quenquam ambigere, ſi quem unquam
Mart. certe Luterum hodie in ſeditioſis & perditis ciuibus, ſi modo iſti-
uſmodi homines ciues appellandi ſunt, omnino numerandum atq; ha-
bendum eſſe, qui compoſita iam olim legibus & conſtituta patrum de-
cretis rep. omnia per uim et oppreſſionem turbare, miſcere, euertere tenta
rit. Atqui neq; eo magis uir bonus exiſtimandus eſt, quod nullum eius
certum præterea ſceleris crimen in priuatum aliquem hic à me profera-
tur. Nam neq; ad accuſandum hominem huc deſcendi, niſi quatenus
uos à uera religione ad impiæ iſtius ſententiæ opinionem abſtraxit,
neque qualis in quotidiano & domeſtico eſſet uſu, mihi magnopere
quærendum putaui, qui qualis in communi uitæ conſuetudine et in rep.
eſſet uiderem, neq; uero ſiquid crudeliter, libidinoſe, fraudulenter'ue pri-
uatim eum cõmiſiſſe alicunde reſciſſem, id quoq; mihi commemorãdum
hic ducerem, qui cum uos non aliter ab iſta ſententia deduci poſſe uideam,
niſi ſceleſtum hominis animum hic patefaciam, tamen inuitus illius in
uos, remq; publicam et fraudes et crudelitatem attingam, mihi planè in
terim conſcius et q̃ ob eas res intimis ſenſibus angar, et quàm nõ libenter
in hoĩem, qui ſe chriſtianũ eſſe affirmet, quantumuis iuſta de cauſa, dicã.
Quare tantum habetote, alijs inflãmari cupiditatibus uulgi animos, alijs
ambitioſorũ mentes hominũ facibus incẽdi. Ab his, qui inanis modo lau
dis opinioni et regno ſuo ſeruiunt, plebeia iſta & popularia uitia omnia
aſtute cõpeſci, ut ẽt cũ maxime fallant, boni uiri habeãtur. Ab illis quos
nulla neq; principatus, neq; propagandi nominis ſui cura tangat, præ-
ſentẽ modo et reformidari pœnã, et ɔſectari uoluptatem. Ac profecto hu-
milioris atq; anguſtioris eſt animi, ullo uel ſordidæ pecuniæ, uel effœmi-
natæ uoluptatis ſtudio teneri, eius aũt q uulgi ſermonibus ſit deditus, uilio

ta ista ɔtĕnere, aut certe dissimulare, dũ sũma multitudinis admiratiõe, amplissimũ nomẽ ɔsecutus, id ẽt aliqñ assequatur, ut omni imperio et honore dignus tandẽ iudicetur. Quod porro sic Mart. Luterus hæc oĩa quæ faciat, reip. cã facere dictitat. Primũ, qs ei hoc ipsum credat? quẽ priuato ɔsiliotã multa aduersus bonorũ omniũ ɔsensum turbulẽte miscere uideamus? Deinde ut ẽt ex sacris literis aliqd afferat uel potius ad causæ suæ cõmodũ ex ijs aliqd detorqueat, quo conatus suos quasi diuinos nobis probet. Ecquem unq̃ seditiosũ tam stulte arrogantẽ fuisse putatis, quin et ẽ religione ea esse affirmarit, qbus sibi ad res nouas uiã muniret, et actionibus suis diuinorũ in primis librorũ authoritatẽ prætenderit? Nã qua tandẽ ad pturbandã rẽp. fiducia accessissent, nisi ea à se afferri cõfirmassent, quæ cũ essent oĩbus utilissima, tũ uero diuinis pceptis tradita? atq; uel Petri, uel Pauli, uel alicuius de duodecim illis Christi legatis authoritate iã olim comprobata? At ea est Mart. Luterus tum integritate tum ɔtinentia, ut ijs nominibus apud populares suos bene in primis audiat. Quid? quasi uero factiosorũ quenquã tam profligatis moribus unquã fuisse existimetis, ut nulla omnino aliquarũ uirtutum uel expressa uel adũbrata signa habuerit? Nã quid Manichæo? quid Apollinari? quid Macedonio? qd Porphyrio? quid Nouatiano obiectum putemus? Auaritiam'ne, an impudiciam? Neutrũ certe, cũ eos ne leuissima quidem huiusmodi uitiorum suspitio attingeret, et sancta rectisq; studijs dedita uita uulgo etiã cõmẽdaret. Nullũ igitur criminandæ uitæ suæ locum reliquerunt? Nullum omnino, quod quidem memoriæ proditum sit, sed causæ damnandæ suæ occasiões dederunt plurimas, atq; ea una re damnati sunt, etiã ab ijs, apud quos in moribus diu fuissent. Quid ita? quod impiam ipsorũ mentem, et superbã, contra totius reip. consensum, peruicaciam omni priuato crimine grauiorem ducerent. Quo pacto? qa peruulgata et quotidiana ista delicta, & si diligenter uindicãda essent, tũ uel impetu plurimũ cõmitterentur, uel ad paucos omnino uenirent, uel suos ẽt tantum sequerẽtur authores. Quid tum? leuius id esse rati sunt maleficiũ, quo pauci tenge, q̃ quo multi de industria grauissime læderẽtur. Eos aũt qui de Deo, de religione, de rep. male palàm sentirent, non tam priuatis aliquibus aduersari quàm cum superis ipsis bellũ impie gerere, tum ẽt imperitæ multitudinis animos ad eandẽ sectandam impietatem, euertendamq; religionẽ nefarie sollicitare. Quo id tandẽ illos modo? tum probabili scilicet disputationũ suarũ rõne, tum uero magis aliqua probitatis uirtutisq; opinione. Nusq̃. n. pronior est religiõis lapsus, q̃ ubi quis magna religionis doctrinæq; fama, impiæ rei sanctitatis pondus et eruditionis authoritatẽ afferre uideatur. Eadem est igitur nimirũ Mart. Luteri causa, q̃q̃ illis iure quidẽ optimo damnatis, insignẽ omnino facio iniuriã, q eos huic pesti atq; labi nũc ɔferã. Quid

enim in illis uel præter sanā mentē quisq̄ desiderauit? uel præter ꝑtinaciā grauius aliud accusauit? cũ nihil iste interim cũ eoꝝ ornamentis atq; laudibus cõmune habeat? pertinaciā tantum & seditiosæ eoꝝ mentis sensum imitetur? ita tñ ut illoꝝ singuli, alijs atq; alijs tēporibus, unũ quiddā, idq́; tum, cũ nondũ reip. ratio planè constituta esset, obstinatius tutati sint, iste quicqd unq̄ à quouis in religionē excogitatum sit, ac reip. ipsius iudicio palàm dānatum, hoc tēpore contumaciter et petulanter defendat. Breuiter, cũ illoꝝ causæ præter causam defuerit penè nihil, huic aũt hodie præter illam latronũ manũ nihil omnino adsit, eatenus illis cõparatus existimetur, ut si nõ aliā ob causam, iccirco qdē certe uir bonus neq; esse neq; dici posse intelligatur, quod superba tum mente tum oratione Po. Christiani iudiciũ non modo ludibrio habuerit, sed se ēt illud ui & armis, qñ aliter non posset, correctuꝝ pronuntiarit. Neminē .n. uestrũ latere puto, qdnā Pont. Maximo responderit, humanissime per legatos suos monenti, ut si quid uel in quo de religione addubitaret, uel quod reip. statui ꝯducere arbitraretur, haberet, id ne in ultimis apud imperitam plebē terris seditiose iactaret, sed Romæ in ipsa hoĩum luce, in amplissimi collegij uel potius in ipsius reip. sacrario religiose exponeret, fidē publicā si postularet, se hāc ei bona fide datuꝝ, pecuniā in uiaticũ si peteret, hāc quoq; ei se liberaliter curatuꝝ. Hic ego uos indices ipsos planè ꝯstituo, credo fuerit ne hominis christiani, mitto nõ parere, ueꝝ ad ea sic respõdere, ut diceret se nõ solũ sũmo Pontifici dicto audientē nõ futurũ, quod certe ipsum, cuiusmodi esse dicemus? sed cũ sibi uideretur cõmodũ se ad euertendā eius tyrānidē, cũ maximis gregaliũ operaꝝq́; suaꝝ copijs Romā uētuꝝ. Quid? quod Cæsari senatuiq́; ad ociũ et ad pacē eũ comiter adhortantibus, ꝯtumaciter ob os, et impie gladiatorioq́; aĩo respondit, ac planè præ se tulit, gestire se, quod discordiaꝝ & armoꝝ author generi humano esset, idq́; se Christi exēplo facere homo religiosissimus ibidē prædicauit. Perinde uero cũ Christus bellũ à se nõ ociũ terris allatũ diceret, terraꝝ noĩe barbaros et oẽis à uera pietate alienos hoĩes nõ significaret, quos aduersus persuasionis christiāæ religionē nefariũ et inexpiabile bellũ statim gesturos eē præuiderat. Suæ certe disciplinæ alũnos, atq; eos ipsos christianæ religiõis Antistites mox futuros ēt tũ cũ in cœlũ sese ipse iā reciperet summa illa orõne nullius rei diligentius admonēdos putauit, q̄ ut pacē mutuāq; īter se charitatē colerent, atq; eaꝝ reꝝ cura nihil antiquius unq̄ haberent. Hic uero q se hodie unũ Christi Opt. Max. æmulũ, et diuinũ sacroꝝ librorũ interpretē, quasiq; Esdrā atq; adeo Paulũ alterũ esse glorietur, non Turcarũ, non Arabũ, nõ Persarũ, non cæterorũ itē barbarorũ, quos ēt armis nostris uexari fas esse neget, sed christianorũ planè omniũ, sed Põt. in primis Max. sed senatus atq; Cæsaris etiā ipsius religiosissimi principis hostem se aper

te profitetur. Quod cum ita sit, & se talem Luterus etiam aduersus eos gesserit, quibus semel Po. Christianus, ac potius Deus opt. Max. ne quid resp. detrimēti acciperet, negocium dedit, nemini iam, puto, mirum uideri debet eum ab altero, qui pontificio iure in impios uteretur, quasi male de religione sentientem, uel potius contra eam multa machinantē, ex sacra hominum communitate exterminatum esse, ab altero qui rēp. armis tueretur, etiam maiestatis damnatum, & in hostium proscriptorumq; numero habitum. Quid enim illi facias, aut quæ nobis cum eo homine societas iam esse possit, qui nec legibus obtemperet, nec magistratibus pareat, nec melioribus morem geratur? nec quicquam magis q̄ ciuium suorum ocium & pacem metuat? qui denique ad excitandos Po. Christiano funestos tumultus omnem ingenij sui uim atque impetum contorqueat? Profecto uti peritiores medici, ea membra statim uel adurere uel amputare solent, quæ ipsa cum putribus corrupta sint ulceribus, etiam integris corporis partibus uitium & labem afferunt, sic istiusmodi hominum pestes, quauis ratione à communi tanquam humanitate corporis resecandas esse sapientissimus, quisque semper iudicauit. Verum non id à nobis hic agitur, Mart. Luterum dici quem conueniat quoue affici tādem supplicio sit æquum, id enim nec dubium est, & legibus, opinor, satis definitum, sed num in eo tanta elucescant uirtutū ornamenta, ut ipsius unius sententiam, totius reip. authoritati à uobis antelatam esse oportuerit? Atqui duas tantum, atq; illas ipsas eiusmodi ut ijs caruisse omnino sit turpius, quàm eas habere præclarum, in eo nā nulli uirtutes admirantur, nimirum ignari, quàm istæ illi cum multis hodie sint communes, quos tamen præ Lutero suo contemnāt omnes, nec in eo ipso satis exploratæ, in quo tamen ex tanto uirtutum numero solæ, tam ambitiose laudentur. Quis enim se uel pudicitiæ uel integritatis eius periculum diligenter fecisse, affirmare audeat? Neq; enim facile id est, neque semel & iterum, neque modicis in rebus istiusmodi hominum animos tentasse satis est. Multos annos in magna occulte peccandi tum facultate, tum licentia, innocenter uixerit, opus est is, quem mihi singulari uel pecuniarum uel uoluptatum contemptu commendatum esse cupias. Nec enim cuiquam qui aliquo sit tractandarum rerum usu, obscurum esse potest, quāta sit humanæ uitæ uanitas, quāta etiam in plerisq; naturæ imbecillitas, ut ne possint quidem multi, aut etiam si uelint peccare tamē audeant, quam deniq; flexibilis sit hominum, ad sustinēdam oēm tū uirtutū simulationē, tū uitiorū dissimulationē, frons, oculi, uultus, oratio, si quis experiēdo nō satis cognouit, studio, qdē ac ueterū certe uolutādis mōumētis didicisse potuit et pcæpisse. Tāet si haud dū ipse sanè

uideo, ut opes iste in minimis ponat, qui nulla de re, tantas ubiq; tragœdias, quàm de Pontificum auaritia concitet, quas quidem diuitias si tantopere contemnendas esse iudicat, cur apud Populares suos hoc unum tãdem penè semper habet in ore, & magna uoce queritur? iã ferè exhaustam esse illorum sordibus & flagitiosissimis nundinis prouinciã uniuersam. Nolo equidem cuiusquam inseruire auaritiæ, nec enim debeo, nec si uellem possem, sed tamen neq; quicquam ab inuitis exigi scio, neq; satis mirari possum, haud paulo plura hac de re q̃ de cæteris sacerdotum flagitijs ab eo uerba fieri. Vobis id quid significet, quid'ue de eo alij suspicentur, nescio. Ego quidem, eius q pecuniã despiciendam omnem iudicet, esse puto, nec illam cuiquã omnino inuidere, nec eorum qui ea careant, uicem magnopere dolere. Optare autem, ut locupletes fortunis suis recte utantur, pauperes ipsi, uti ne quo earum desiderio unq̃ teneãtur. Atq; ut semel, quod sentio hac de re dicam, mihi quidem persuasum est, nihilo ferè turpius eum facere, qui cum paupertatem professus sit, tamẽ alterius auaritiam ferre non queat, eo qui turpi pecuniæ studio & infinita lucri cupiditate palàm ducatur. Sed sit sanè mirus diuitiarum contemptor Luterus, quas tamen ita ille aspernatur, ut mendicitatis, non dico onus, sed ne nomen quidem ipsum tolerare possit. Scitis enim quæ de tollendis uel etiam è rep. Christiana penitus exterminandis sacris illis quatuor mendicorum sodalitatibus, cum sæpe concionatus sit, tum uero nuper ad Fabianum Felicem conscripserit. Vt etiam in eorum peras, atque manticas petulanter ille quidem, sed planè etiam frigide & insulse luserit, non puto etiam nunc uos ignorare. Atqui bonorum omnium iudicio si quo in hominum genere priscæ religionis & sanctitatis decus adhuc spectatur, in eorum profecto quorum ille sportulas ipsa paupertate odit peius ærumnis potissimum & institutis hodie apparet, atq; adeo elucescit. Verum hac de re posterius, aliud enim in alio de istius moribus mihi dicendum semper occurrit, sit igitur eo sanè ingenio Luterus, ut omnes omnibus opes libenter concedat, ipse mendicitatem æquo & hilari animo unus toleret. At eundem esse hominẽ frugi, & quod isti iactant, rarum quoddam ueteris parsimoniæ exemplũ, mihi persuadere qui possum? quem ex uoluptario Iouiniani instituto, nulla magis de re laborantem uideam, quàm ut à maioribus nostris indicta statis anni diebus atq; temporibus ieiunia, quasi non ferenda sumptuariæ alicuius legis decreta antiquentur? interdictus pariter quadrupedum, & auiũ in mensis usus, omnibus omnino restituatur? Quod si quis hoc illi cum popularibus suis commune esse uitium contendat, quos natura uentri obedientiores finxerit, illud quidem planè ipsius fuerit proprium hoc tempore, quod facere

dos cũ sit, & in Augustinianã ea lege sodalitatem, cooptatus ut reliquũ ætatis ab omni muliebri congressu alienus degeret, cœlibẽ tamen agere uitam unus omnium apertissime hodie recuset. Certe enim in sacrosanctam Niceni cõcilij authoritatem, quam ipse sanctissimam esse persæpe testatus sit, uel ob hoc unum totus aliquando fertur, quod illius decreto ijs, qui ad rem diuinam faciendam consecrati essent, ducendæ uxoris ius omnino, denegaretur. Sed hæc quoque postea, ubi disputationis eius rationes putabimus, tractabuntur à nobis accuratius, quæ mihi tamen hic quasi in transcursu leuiter attingenda existimaui, ut cum domestica eius uita nihilo uobis quàm mihi esset exploratior (nemo enim uestrum ipso familiariter ẽ usus) ex præclaris eius sententijs atq; præceptis, qualis sit, aut certe esse studeat, homo antea obscurus, & hac sola repẽtina insania nobilis magis quàm adhuc planè notus, coniecturam facere possemus. Nam quod quidam etiam nunc nulla eum obscœna corporis uoluptate capi insolentius hic admirantur, doleo equidem istos de cupiditatis suæ turpitudine tam aperte fateri. Nemo enim in alio quicquam admodum admiratur, quod aut habeat ipse, aut etiam se consequi posse si paulum conniti uelit, non diffidat. Sed admirentur sanè, si cum turpi intemperantia flagrantem illum, & in Venerem pronum esse sciãt, tamẽ aliqua singularis contiẽntiæ exempla ab eo edita proferre possint. Sin autem uel nihil eiusmodi habent, desinant nobis mẽdacijs suis uelle imponere, uel etiam ille infirma fortasse est ualetudine imbecillus, uel honoris potentiæ'ue cupiditate suæ inflammatus, nesciunt profecto nesciunt neque quid animi uirtus, à corporis uitio differat, neque quantam etiam ex inani uirtutis laude, uoluptatem homines ambitiosi percipiãt. Et enim quemadmodum libidini auaritiæ'que deditum animum, nullam omnino dignitatis rationem habere constat, sic uix unquam fieri potest, uel nunquam potius fit, ut cuius mens tota in gloriæ cupiditate occupata sit eius ad obscœnas corporis uoluptates aut ad infame pecuniæ studium sensus facile detrahatur. Neque uero hæc a me eo consilio ita disputantur, ut aut quenquam laudum suarum fructu coniecturis spoliari cupiam, aut duas istas pusillas Mart. Lutero uirtutes inuideam. Non sum tam iniqui, non tam ieiuni, tam angusti animi, qui bonam certe ei mentem, atque omneis omnium generum uirtutes optare non desino sed eo scilicet hæc à nobis coarguuntur, ne insidiosas aliquas & magno multis malo, exitioq; tandem omnibus futuras, eius hominis laudes temere admittatis, in quo maximum cæterarum uirtutum splendorem desideretis. Sic enim ipsas inter se colligatas implicitasq;, & quæ

si in dissolubili quodam nexu reuinctas esse uirtutes audio, ut unam earũ qui habeat, omneis habeat, una qui careat, omnibus omnino careat. Vere an secus, non mihi magnopere hic disquirendum arbitror, cum de eo dubitare possit nemo, quin ab illo absit omnis uitæ dignitas, omne uirtutis decus, qui neq; societatem hominum sanctè tueatur, neq; ueritatem rerum perspicere, ac rationem expedire queat, neque eorum quæ fiant, quæq; dicantur ordinem & modum teneat, neq; gloriæ imperij'ue cupiditati caste moderari possit. Quod cum dico, an non unà, quæ in Mart. Lutero requirantur uirtutum instrumenta, ea à me perstringi cognoscitis omnia? Quis enim in eo uel mediocrem prudentiam non desideret, qui dum sibi nomen & imperium molitur, stultitia sua tantum sibi tantum uobis, malorum contraxerit? quis nõ tẽperãtiam quoq; & modestiam, qui in omnibus etiam mortuis acerbissime exagitandis sit omnium mortalium longe intemperãtissimus? At iustitiam, quæ omnes una uirtutes ipsa contineat, nemo in eo desiderarit. Credo equitem, quia ut ea iam nulla sit, dies ac noctes ille moliatur. Quid enim est aliud res iudicatas infirmare, iudicia tollere, leges antiquare, damnatos restituere, sacra prophanis communicare, eos quibus resp. regendam eam commisit, in ordinem cogere, omnia denique armis perturbare, nisi cuique ius suum non modo non tribuere, sed contra ius ac fas omne, id uiolenter auferre, & unicuique crudeliter eripere? Talis ergo reliqua Mart. Lutteri uita cum sit, non ab re mihi suspicari uideor, ea quæ à conductis istis & emptis eius laudatoribus prædicantur, dici nullo modo posse, quæ uero dici possint & debeant ea omnino non dici & summa diligentia occultari. Nihil tu igitur eorum, quæ de singulari ipsius continentia atque opum despicientia narrantur, acceperis? Nihil planè duntaxat ut has una honestatis causa uirtutes ab eo complecti existimem. Nam quin ambitiose delitiarum omnium & pecuniarum cupiditatem tegat, nihilq; uerbo publice probet, quod non cum laude & dignitate sit coniunctum, de eo non modo non dubito, sed ei etiam ad ea quæ molitur cum primis necessarium esse iudico. Quis enim Christianum ferat hominem, presertim nouandarum rerum authorem, qui uoluptate sua utilitateq; omnia metiatur? Seditiosus ante omnia oportet bellum diuitijs palàm indicat, palàm ab omni luxuria abhorreat, palàm omne uoluptatum genus defugiat, incessu tardior, amictu obsolentior, corpore incultior, supercilio tristior, uocis sono, aut summisso lenior, aut ꝯtẽto atrocior, aut inclinato grauior, aut inflexo miserabilior, mire.n. hæc ad pullatũ ꝑtinẽt circulũ, breuiter hãc unã ad uulgus nullo negotio capiẽdũ tenẽdũq;

etiam seditiosus habeat, ut se cum omnia reipub. causa facere dictitet, tum plebei cupiditatibus plurimum indulgeat, tum uero se sanctissimorum uirorum institutis deditum esse studiose diligenterq; assimulet & fingat. Sic enim tum ipse fidem imperitæ multitudini facillime fecerit, tum nisi prudentiores, melioresq; primis eius conatibus mature obstiterint, ad extremum armis quoq; ad labefactandam remp. aperte aggredietur. His enim certe profectos initijs Arrianos, his Manichæos, his Donatianos in remp. impetum olim fecisse accæpimus, & Luterum ad præsentem euertendum ciuitatis statum grassari uidemus. Sed cum de eo neminem uestrum dubitare iam posse confidam, quin qui Mart. Lutero sit moribus simillimus, idem neq; uir bonus sit, neq; à Christianæ disciplinæ pudore nõ alienissimus, illud nihilominus tamen uereor, ne uos nullo grauiore scelere obstrictos esse arbitremini, quod eius contra remp. hominis secuti sitis partes, qui cum animi altitudine maxima sit prædiius, tum uero doctrina quadam singulari & eximia eruditione ornatus esse uideatur. Ego uero quænam in isto existat animi magnitudo, non sanè dispicio, nisi fortasse fortem uirum uobis appellare libeat eum, qui uasta & impotenti opinionis suæ persuasione sublatus, se plus unum q̃ uniuersam remp. posse cupiat, qui ius omne & fas extinguat, omnes aspernetur, nulli pareat, ne magistratibus quidem ipsis ullum honorem habeat, deniq; qui nullum laborem recuset, nullum periculum defugiat, quo uel perturbata, uel etiam oppressa rep. nomen suum immortalitati commendet. Quod si ita est, & hominem qui sic omnes omniaq; despiciat, quasi magnum & fortem uirum uobis pleno ore laudare permittitis, nihil planè afferetis, quamobrem non etiam insignes latrones, & tyrannos et prædones omneis & quicunq; usq̃ unquam fuerunt factiosos ciueis admiremini, quos elato cupidoq; ad maximas sibi comparandas opes animo, nihil non ausos fuisse, manifestius est q̃ ut id uobis hic à me demonstrari necesse sit. Nos contra excelsi atq; tranquilli ingenij uirum, eum demum esse censemus, qui cum et libidinem pudore uicerit, et furorem ratione depulerit, tum neq; imperia appetat, neq; gloriam concupiscat, qui fortuna contentus sua quiete uiuat, et quencunq; casum Deus tulerit, fortiter hũc atq; placate sufferat. Eos autem qui uel metu frangantur, uel à cupiditate uincantur, uel imperium pati non possint, uel etiam alia quauis ægritudine perturbentur, longe ab illa uiri fortis constantia dignitateq; abesse iudicamus. Quorum quidem esse in causa et numero Mart. Luterum, quis hic iam neget? primum qui tam timidus sit, ut cum se et christianæ pietatis defensionem unum suscæpisse glorietur, et de summo inter gregales suos mortis contemptu iactitet, nunquam tamen nisi aut accæpta

publica

publica fide, aut militari illa manu stipatus, sit ausus ex ea in quam sese abdidit munitissima latronum arce in publicum prodire, profecturus scilicet infrequentior, etiam in aliena præsidia solus et quocunq; uocaretur, nisi & causæ suæ diffideret, & scelerum suorum conscientia territus de se uehementer timeret, & miseram illam anxiamq; & precariam uitam pluris q̃ omnes Christi rationes duceret, pro quibus rationibus, quas tamen ille quantum in ipso est, conturbat, quoduis homini christiano supplicium libenter esse subeũdum cum ipse quoq; profiteatur, quidnã aliud suspicari possumus, nisi nobis esse negocium cum eo homine qui ad maledicendum & conuicium ex tuto cuiuis faciendũ sit longe audacissimus, ad periculum aliquod uel pro Christi religiõe, cuius se causam agere mẽtitur, adeundum multo timidissimus? Deinde cum diuinis mãdatis per sæpe moneamur, cum ut eorum quorum sumus in potestate & tenemur imperio, rationem in primis habeamus, tum sacrorum Antistitibus dicto audientes uti simus, quàm bene istum legibus parere credamus, qui ne imperio quidem ulli præclaris illis suis decretis locum relinquat, nimirum impunitatem sibi cæterisq; coniuratis infinitam licentiam pollicitus, si qui tumultuantes cíueis, pro potestate coherceant, nulli omnino existant, hoc est si æquabili iure utamur, uel inter nos potius sine ullo ordinum discrimine, sine duce, sine magistratu, sine lege ferarũ more tumultuemur. O hominem cautum, & in constituenda rep. prudentia singulari præditum. Iam quàm inuictum aduersus omnes cupiditates sedatumq; gerat animum, cum ex concionibus & scriptis, infandisq; ipsius conuicijs, tum etiam hinc perspicere potestis, quod homo, uel monstrum potius ex diuersissimis, ac inter se maxime contrarijs uitijs conflatum, dubiumq; maleficij magnitudine timidius, an intemperantia audacius, inani doctrinæ persuasione arrogantius, an sordium suarũ conscientia abiectius, natura leuius, an opinione peruicacius, stultius deniq; apud prudẽtes, an astutius apud stultos, tam incredibili nominis sui nobilitandi cupiditate ardeat, ut quo aliquid apud imperitam multitudinem esse uideatur, non dubitet constans & perpetuum generis humani iudicium, præ opinionis suæ errore fastidiose contemnere, in sanctam eruditorum omnium uirorum conspirationem petulanter inuadere, deniq; mortuos & uiuos præ se omnes inscitiæ, uecordiæq; acerbissimis uerbis condemnare. Nã ut dominandi libidine tam multa turbet, mihi equidem persuadere interdum uix possum, presertim cum uel tot firma reip. præsidia, uel extremã postremi hominis in summis uitæ ac fortunæ sordibus conditionem atq; causam considero. Rursus cum uel minaces eius conciones lego, uel inita de inferendo Italiæ bello consilia audio, uel numerosam illã quasiq; præ-

toriaam impiorum cohortem atque hominis ipsius amentiam furoreq́; mihi propono. Qui neque in disceptationem descendere, neque causam dicere, neque publico ullo aut legitimo iure secum agi uelit, & omnem cæcæ mentis impetum ad euertendum hunc reip. statum contulerit, fa/cile nonnũq̃ in eam opinionem adducor, ut id quoque illi deliberatum à principio decretumq́; fuisse existimem. Labefactata enim rep. quem/nam alium potius rerum potiturum sperare debuit, nisi eum qui prio rem ciuitatis statum euertisset, seq́; perditæ plebi aduersus optimates du cem audacissimum semper præbuisset? Et quisq̃ hunc aut optandum nobis Principem iudicat? aut bonum & fortem uirum mihi adhuc ap/pellatur? qui iusti atque excelsi animi ne umbram quidem unquam ui derit? qui nos primum quasi uulpecula fallacissima fraudibus & insi/dijs suis circumuenire tentarit? deinde etiam truculenta cristati draco nis specie territos frangere conatus sit? qui paci atque ocio inimicus ad agendã; rapiendam remp. cum sceleratissimis latronibus societatem co ierit? qui gentes feras armatas ad delendam pulcherrimam, & eam cer te unde omnis ad nos humanitas, omnis religio profecta sit, orbis terræ partem adducere cogitarit? qui hominis Christiani fortitudinem nõ pa rendi facilitate, non clementia, non beneuolentia, sed contumacia, odio uindicta, maleuolẽtia definiat? At quàm hunc in reip. possessione tolera bilem futurum fuisse putemus, qui priuatus & inops tantam dissimu lare non potuerit insolentiam & immanitatem? O nunquam satis intelle ctam uulgo, Christianæ pietatis quietem, fortitudinis uim atque simpli/citatem. Ego illum nec in summa imperij licentia commodum fore spe/rem, qui in hac tam tenui fortuna, intolerabili iã sit superbia? uel nunc iustum & magnanimum esse putem, qui magistratuum imperia sup be detrectet? qui ius omne, è Rep. Christiana tollere conetur? cui sint ignaui & pusillanimes, quicunque iniuriam patientia infringant? lon ge autem ignauissimi, qui ita ipsi se uincant, ut planè Christiana illa ani mi inductione, bene uelint male uolentibus, bene precentur male pre/cantibus, bene mereantur de male merentibus. O hominem, siquidem ita sentit, amentem & miserum, sceleratum autem & impium, si cũ nobiscũ sentiat, ea tamen crudeli ambitione incitatus cõcionetur, scribat, edat, paret, meditetur, quæ uel cogitasse non modo non christiani sit hoĩs sed efferati alicuius & immanis barbari omnem humanitatem procul cantis. Furem scilicet & adulterum, quorum iniura ad unius aut ad alterius famam rem'ue perueniat, quasi sceleratos execrabimur, aut etiã ultimo dignos supplicio iudicabimus, eum uero qui cum se Christianum hominem numerari uelit, tamen simul tot populorum, tot gentium

tot nationum non modo corporibus, quod ipsum, per se intolerabile, uerum etiam animis pestem & interitum machinetur, qui funesta ista sua face tantum iam in Germania incendium excitarit, qui tanta audacissimo cuique proposita seditionis materia, eandem intestino pernicioso q; bello in se ipsam iam armarit, quo authore tot iam uiri boni, tot hoies Christiani, tot adeo sacerdotes ante ipsas Christi Opt. Max. aras indignissime trucidati sunt, hunc nos hominem castum, hunc nos sanctum appellabimus? huius, si Deo placet, pictam imaginem, quasi ille cœlo consecratus iam sit, radiato quoque capite conspicuam circumgestabimus? Quæ (malũ) amentia hæc est? Quã ego hanc Dei irã esse dicam? uos hæc scitis, uos hæc uidetis, uos hæc cũ fierẽt, ipsi sæpe interfuistis, nec modo nulla adhuc ab eo inexpiabili religione obstrictos uos putatis, sed hominem tam nefarium tam dirum quasi ad modestissimæ & clementissimæ illius Christianæ naturæ laudem aspirarit, diuino cultu etiam nunc ueneramini? Quid? ista'ne sanguinolenta rabie Petrum & Paulũ cœlo dicatos fuisse istius ne modi feritate Ioannẽ & Iacobum eodem uocatos esse? Tam ne cruenta uictoriæ palma innumerabileis illas tot sanctissimorum, tot fortissimorum diuinæ ciuitatis militum legiões aditum sibi ad superos comparasse credemus? Age facite multorum in rep. principũ intollerabiles esse mores, facite multorum etiam ciuium haudquaquã dissimulanda esse flagitia, num eorum tamẽ odio, illa, quam nobis Christus secuit, muniit, patefecit, uia deserenda sic fuit? immo adeo, ut uera sint quæ dicitis, num illorum tamen imitandi fuere mores, quorum à uobis tolerari amplius posse uitia negabitis? Nam quod illis crudelitatem crimini interdum datis, ego uero hac nullos planè eorum in quẽquam uestrum adhuc usq; uideo, sed si tamen in aliquem more maiorũ seuerius animaduersum est, iis suppliciis quæ à legibus proficiscantur in eum, scio, & ob priuatum aliquod publicum'ue crimen à prophanis hominibus esse iudicatum. At uero Luteriani uestri, quonam iure, qua lege, quo tandem Christianæ pietatis exemplo, tot sacerdotes, ea sola de causa, quod Luterianam sectam non satis probare uiderentur, inter ipsas Christi aras suis psi manibus crudelissime iugularunt dicam, an mactauerunt? Quo iure inq̃ tot Christi sacerdotes, quos ille & sacrosanctos esse uoluit, & delitias suas appellauit, isti indicta causa suis ipsi manibus iugularunt & immanissime mactauerunt? O cœlum, O terra, sed non faciã, ut aut acerbissimũ eorũ interitũ hic deplorẽ, quos iã imortaleis & beatissimos esse iudico, aut ferinã eorũ imanitatẽ hic detester, quos de potestate et mẽte sua Luteri cõciõibus exisse, et i rẽp. immissos esse, mihi facile persuadeo. Tantum uos admonitos uelim, ne eum quasi diuinum & fer

tem uirum uobis commendatum posthac admiremini, qui sanguinarios istiusmodi, atq; ex ultima repetitos barbaria sacrificandi ritus instituat, & iam multis seculis salutari persuasionis nostræ exortu funditus sublatos, in Germaniam ipsam, Galliamq; & uniuersum terræ orbem quasi postliminij iure quodam, reuocare conetur. Quanquam, si uera sunt quæ audio, non sacerdotes tum & innocentes, sed ex prophano potissimũ uulgo sontes quidam homines immolabãtur, ut à Mart. Lutero ueterem illam ueræ pietatis expertium immanitatem gentium, non æquatam modo uerum etiam longe superatam esse uideamus. Quod si hæc ille infectatorum suorum furorem atq; crudelitatem trãsfundat, uidete (quæso) uel quænam sit eius hominis doctrinæ uis, qui quos à se ab omni superstitione ad ueræ pietatis cultum traductos esse glorietur, eosdem tamen ea re impios esse & parricidas negare non possit, uel in quonam hominum genere illic regnet, quod quidem tam efferatum sit & barbarum, ut impiam & immanem suam crudelitatem, quàm ne humana quidẽ æquitate quisquam tueri possit, sanctissimæ religionis loco ponat atque constituat. Quod si (ut aiunt) ex discipulorum moribus atq; eruditione, de doctoris ipsius uita & literis iudicium facere, aut certe coniecturam ducere possumus, licet sanè ex præclaris istorum actionibus, & factis, de Mart. Luteri natura atq; ingenio iudicemus uel omnino qualis sit coniectura assequamur. Atqui tales nunquam neq; Christi ipsius, neq; legatorum eius, neq; facile Benedicti, neq; Augustini, neq; Hieronymi, neque Francisci, neq; Dominici, neque Bernardi familiares fuisse legimus. Sed non cogatur sanè suorum culpam præstare Luterus, tam & si istos nunquam tantum facinus admissuros fuisse constet, nisi tumultuosis illis concionibus in reip. defensores ab eo concitati extitissent. Sit etiam per me quidem omni alia uirtute ornatus, sit continens, sit abstinens, non repugno, modo ne quam in eo nonnulli ad cœlum laudibus efferunt, Christiani animi fortitudinem illi inesse uobis persuaderi sinatis. Quam quidem certum est, non in regerendis conuitijs, non in referenda iniuria, nõ in elato contumacis animi spiritu, non in mortis omnibus uitandæ modis consilio consistere, sed in despicientia sui, sed in ea potissimum casti animi probitate, quæ uoluntaria mentis demissione, atque ingenuo quodam ac liberali pudore totam se diuinæ potestati commendatam tradat, & pro Christi persuasione deuotam hostium minis atque terroribus intrepidam obijciat. Hac itur ad æternam gloriam uia. Hac proceres iere Christiani. Hac heroes nostri omnes in cœlum peruenere, quorum etiã iam uita defunctorum gratia, & mortuos reuiuixisse & cæcos oculorũ usum recæpisse, et uarijs ex morbis laborantes, furijsq; etiam exagitatos

mortaleis multos potestati ualetudiniq; suae restitutos esse exploratum habemus. A Mart. autem Lutero num tale quicquam adhuc factum uidistis ipsi, aut ab alio etiam accepistis? Num exanimes ab eo ad uitam reuocatos? Num multorum linguas in sermonem solutas? Num surdorum aures ad audiendi uim patefactas? Num claudis liberam gradiendi datam facultatem? Num ijs, qui omnibus membris capti essent, totius corporis firmitatem? Num fanaticis suam mentem? Num deniq; aliquod coelestis uirtutis indicium uobis edidit? At qui aliquod saltem unum diuini ab eo numinis signum allatum esse oportuit qui se contra publici concilij authoritatem Deo authore res nouas moliri, atq; tanta inter christianos ipsos discordiarum semina iacere diceret, presertim cum nec ullam nobis legationis suae fidem faceret, & ea quae in rep. sequimur, à maioribus nostris diuinitus instituta esse nobis religiosissime persuasum non nesciret. Verum frustra huiusmodi quicquam ab eo exquiras, qui sit à uoluntaria illa humilitate deuotioneq; alienissimus, & omnium qui unquam fuerunt seditiosorum hominum non modo timidissimus, sed etiam longe arrogantissimus. At quid illud est tandem, quod luciferum de coelo deiecit? superbia. Quid Mariam in coelũ extulit? animi demissio. Quid Adamum et Euam ex illa sacrorum hortorum amoenitate exturbauit? quod dicto audientes non fuissent. Quid Heliam & Mosem eò, unde illi deturbati essent, postea euexit? quod diuinis mandatis semper paruissent. Quid Christũ ipsum summi regis honore, summi iudicis potestate, summi dei nomine adornauit? nempe illa animi demissio, quae quidem omnium uirtutum sit mater & altrix, ut omnium contra scelerum parẽs et nutrix superbia. Videte igitur, quaenam uobis Mart. Luterus casti & humilis animi exempla adhuc dederit, qui cum se hodie unum Christi uirtutes recte imitari glorietur, eo tamen sit ore atq; animo ut cũ omnibus ijs, qui usquam erga principes contumacia, erga pares fastidio, erga humiliores contemptu insignes unquam sunt habiti, de arrogantiae principatu summa contentione certare uideatur. Sed cum satis multa de hominis moribus, nunc de ingenio & doctrina eius pauca sunt dicenda, in quibus quidem ita ille se iactat, ut uulgo penè persuaserit, unum se omniũ. uim religionis atq; Christianae doctrinae scientiã tenere, qui de rebus tam obscuris & abstrusis tam subtiliter copioseq; disserat. Perinde quasi caeteros qui ad perturbandam remp. accesserunt, neq; à natura neq; ab literarum nostrarum cognitione ullo instructos modo fuisse existimemus, aut homini christiano facile non sit, de religione loqui, quod ab omnibus seditiosis factitatum uidemus, lõge uero difficillimum ẽ religione uiuere & pie sancteq; scribere, quorum alterum à Lutero non fieri ignorare iã

non potestis, alterum ab eo minime adhuc factum esse, ut cognoscatis, mox operam dabimus. Sanè enim tempus quoddam fuit, cum ego qui nunc ab eius consilijs tantopere abhorrere uideor, non secus ac uos de ipsius religione atq; constantia iudicarem, quippe cuius leuitatem non prius coniectura quàm ipsius certissimis monimentis testatam cognoui; impietatem uero non ante opinione quàm clarissimis librorum eius uestigijs exspressam perspexi. Itaq; de eo (quem ex primis ipsius scriptis, quāq; iam tum eorum genus nō nemo quasi sordidum, uulgare, horridum improbabat, ego tamen neq; indoctum esse hominem, neq; ineptum, neque contemnendum existimaui, ex alteris, iam male sanum & audacem rabulam putaui, ex postremis etiam impurum & sceleratum cognoui) ita nunc quidem sentio, ut uehementi quidem ingenio illum & acri & magno esse iudicem, sed cuius commendationem omnem, importuna animi prauitate euerterit, doctrina uero eiusmodi quæ neq; sanè liberalis sit, neq; ex ipsis diuinorum librorum hausta fontibus, neque adeo ipsius etiam parta ingenio, sed ea planè quam partim, ex Hussianorum, partim ex Valdensium, ac cæterorum item factiosorum iam olim damnatis atq; eò abditis & reconditis commentarijs corrogasse uideatur. Neque enim certe tertio quoq; ferè uersu secum ipse pugnaret, & extra monstra atq; portenta, homine christiano dignum aliquid sæpius afferret, si rationem, cum sacris christianæ hebraicæq; historiæ monumentis sibi religiose habendam putasset. A quibus quidem ille, quasi omnium sermone decantatis, & uulgaribus rebus abhorrens, optima sui ocij opera in lectitandis quibusdam ingeniosis omnino illis, sed planè perditis, ac nullius iudicij consilij'ue authoribus ijsq; haud ita uulgo notis, peruerse abuti maluit, spe non dubia ductus uidelicet, se in cœlo imperitæ multitudinis opinione statim futurum, si cum barbara illa declamandi licentia, ipsos religionis christianæ principes maledictis petulantissime nominatimq; figeret, tum uero quæ apud præclaros illos eruditionis suæ magistros in tenebris didicisset, ea in lucem ambitiose & magno uerborum strepitu omnia quasi mifteria quædam proferret atq; enuntiaret. Quæ quidē spes, ut eū omnē nō falsum nō habuerit. Dedit enim ei locum nō ipsius quidē singularis ulla uirtus aut eruditio, quā sanè nullā adhuc esse uideo, sed flagitiosa multorum ubiq; sacerdotum uita atq; inscitia, quā quidē uel accusare uel uincere nullius planè sit negocij. Sed ut ea spes eū non omnino fefellerit, illud quidē certe non uidit, sic usu esse cōparatum, ut qui indoctis eruditi, malis boni, stultis sapientes uideri uolunt, ijdē indocti eruditis, stulti sapientibus, mali bonis esse uideantur. Verum de Luteri literis, atq; ipsius in sacris etiā rebus intelligentia, & si ex ijs quæ ad perscriptas et ab ipsomet edi

tis, agnitasq; disputationes à nobis deinceps afferentur, uobis plenissimè liquere poterit, nihil me tamen ab re facturum hodie puto, si qualis eius doctrina existimari debeat, tum ex absurdis illius praeceptis, tum ex sententiarum ipsius inter se discordia uobis hic summatim indicaro. Nihil.n. astute agere, nihil accusatorie dicere cõstitui, tantum pauca quædã, ut adhuc feci eaq; planè atq; latine uobis agnoscenda proponã, quæ cũ cunctis facile sunt obuia, tum uero eã Mart. Luteri indolẽ significãt, ut quãtũ eius authoritatũ tribuendũ iã sit, per se ipsa cuiuis planũ statim facere possint. Atq; ut eã hic mittã omnia, quæ aliqua uel rerum obscuritate excusari, uel ista distinctionũ calliditate elabi posse uideantur, quàm in eo grauiter et praeclare illum sibi constare arbitremini? qui cum se in primis illis disputationibus hominẽ esse, uere modesteq; esset fassus, hoc est eũ qui ignoratione rerum et labi et decipi persæpe posset, tamẽ arrogantissime postea uanissimeq; identidẽ scripserit, neq; falli se, neq; omnino errare iã posse, impiam credo, Aetiani secutus sententiã, qui hominem christianum ulla in re posse falli negasset. Idẽ initio scriptorum suorum sæpe testatus, siquid noui de rep. cõsilij caperet, afferet'ue, de eo se in ipsius reip. potestate futurum, tantumq; sibi quantum illa suasisset, esse persuasurum, tamen dicta tandẽ multa reip. & consiliorum eius authoritati salute, se nihil ipsius iudicium atq; sententiam morari audacissime pronuntiauit, quippe qui à se, diuinitus illa oĩa excogitata esse, exploratum sibi esse diceret. Hac enim etiã flagrat ambitione homo uentosissimus, ut quæ ab ipso quasi dictata quædam seditiosorũ redduntur, à magistris ne unquã, aut doctore ullo didicisse uideatur. Illa uero quàm inter se bene cohærent? Neminẽ naturæ impulsu peccare utpote quæ sit optima, sed omneis nos spõte nostra, studioq; delinquere. Rursus pro Floriani insania, omnem humanæ mentis culpam, unius esse naturæ uitio attribuendam, quæ perpetuo furore exagitata, nos secum præcipites ageret atque raptaret. Iam illud, neminem esse unum neque tam moribus sanctum, neque Deo tam acceptum qui non mortem incredibiliter horreat, an non cum illo ipso acriter pugnat, multos hodie posse reperiri, quos diuina charitas ita inflammet ut ea quasi armati, nullo planè mortis terrore teneantur? Eiusdem est inconstantiæ uelle à nobis peccatorum nostrorum conscientiam, sacerdotibus omnem aperiri, & iterum nolle omnia, ne exitialia quidem scelera perferri atq; indicari. Quid, quod Petrum cæteris duodecim uiris honoris gradu modo superiorẽ facit, modo parem, modo inferiorem? Quid, quod eundẽ ad illustria illa Christi rogata, tum de sua tum de omnium collegarum sententia respondentẽ inducit? Quid, quod eidem in nobili illa prouinciarum sortitione hic Iudæã tantũ, illic solam Italiam obtigisse affirmat? Quid, quod summi Pontificatus

principatum alibi delendum esse argumentatur, alibi religiosum & nefas id esse contendit? Nam de restituendæ nobis innocentiæ ratione, quàm turpiter secum ipse totis uoluminibus digladietur, qui alias nullum pōtificia liberalitate animi crimen extingui posse iudicet, alias nos eadem indulgentia noxæ eximi & scelere liberari posse omni defendat, suo commodius à nobis ostendetur loco. Atq; ne in ijs tantum, quæ ad superos maxime pertineant, leuitatem illum suam propalam efferre contentum fuisse existimetis, pergit porrò, eorum quoq; quæ apud inferos gerantur, cōscius, neq; sanè internuntius indisertus. Sed quid ait tandem? ijsdem omnino tum nondum expiatos bonorum manes, tum impiorum laruas illic exerceri pœnis, nec tamen ijsdem omnino, quod hæ, quibus non modo nulla spes ostendatur, sed ea etiā omnis præcisa sit, desperatione quoq; ipsa excrucientur, illi exploratam salutis rationem habeant suæ, atq; eo leuiore pœna defungantur. Non hoc prorsus adhuc inconstantissime, si eodem in loco addubitans ille nec discretis operibus res tam diuersas docens attulisset. Illa uero quàm ipsum ubiq; sui simillimum esse declarant? Manes, cum non dubia salutis spe teneantur, tamen æternis addici posse supplicijs. Eosdem dum expurgantur semper sperare, immo uero desperare. Iam sperare quidem illos, sed spei suæ esse ignaros, desperationis autem certos. Nam quod terreri eos uult & torqueri cum æternorum suppliciorum metu, tum uero diuini uultus contuitu, quem quasi mirifica quadam iracundia inflammatum & horribilem & intolerabilem spectare cogantur, nec sustinere queant. Recte hoc fortasse, sed quod ipse tamen ad extremum funditus euertat, qui alio loco manes, neq; sempiternæ pœnæ formidine ita affici & affligi ostendere conetur, sed eos partim ex ea quam subitus diuinæ maiestatis conspectus nobis excitaret admiratione consternari atq; confundi, partim quod incredibili ipsius amore incensi, incredibiliter semper timeant, ne Deum immortalem non satis ipsi uenerentur, & colant, quem omni honore, laude, gloria dignissimum esse iudicent atq; perspiciant. Quid ego ut cæteris in rebus totus turpissime erret nec sibi ipse unquam conueniat hic commemorem? Istius profecto modi sese collidentibus sententijs tum conciones plurimæ, tum postrema eius opera ita læstuant omnia, ut si uel quemadmodum institueram, nudis uerbis turbidos eorum quasi fluctus persequi uelim, multis mihi sit & horis opus, & Luteriano planè stomacho, quo tot profundissimæ leuitatis infamiæq; euripos sine grauiore ulla nausea possim transmittere. Qua quidem leuitate, eam ille causam uestram certe constituit, ut etiam sine ullo alio uitio, sine aduersario languentibus bonis omnibus ipsa per se statim ruitura sit. Quid enim ad eam subuertendā oppugnatione ulla opus est

quæ & ipsa suis sese telis labefactet apertissime, & authorem suum habeat hostem unum omnium infestissimum? Neq; enim iam disputationis modo gratia, quod à doctissimis uiris factitatum cognouimus, in utranq; iste partem de re dubia dubitanter uerecundeq; disserit, sed utrobiq; fidenter, nec insolenter minus & barbare Deum semper obtestans adiurat, aut nihil omnino eum sentire, qui contra sentiat, aut etiam se nihil recusare, quin testificandæ comprobandæq; eius quancunq; ullo tempore meatur sententiæ causa, in ardentem rogum nudus statim insiliat, mortẽ illic & incendij pœnas libenter perpessurus ni uera sint quæcunq; nobis contra sancta maiorum nostrorum instituta persuadere conetur, quod cum facit, an non illum aut planè furere aut conceptis uerbis peierare suspicari licet? Verum ut ridiculam & impudentem & immemorem hominis stultitiam facile perpeti atq; perferre possimus & illi quod iam pridem sibi sumpsit, permittamus, ut effluente mente huc illuc cursitans quicquid alicubi uerum esse posuerit, idem alibi suo iure falsum esse ponet et contestetur. Nihil enim ferè ne contra remp. quidem adhuc attulit, quod non suo ipsius more, in dubium uocarit, et idem ipse alio loco infirmarit. Sunt enim hæ seditiosorum fraudes, hæc artificia q̃q̃ in Mart. Lutero nihilo insaniæ et imperitiæ minus et flagitiosæ obliuionis q̃ uel malitiæ uel fallaciæ mihi nunc uideor perspicere. Sed ut ista, quemadmodũ dicere cœperam, à nobis dissimulentur omnia etiam ne portenta illa æqui boni faciemus? Penes Iesum Christum, quem nos non modo ciuitatis nostræ authorem, et reip. præsidem agnoscimus, uerum etiam Deum Opt. Max. esse prædicamus, nunquam neq; diuini neq; humani imperij ius, aut potestatem ullam fuisse. Veritus est scilicet uir religiosissimus, ne si Carpocratianorum et Abionitarum impietatem ipse non comprabasset, summi pontificatus authoritas funditus deleri non posset. Sed in hoc magnum quiddam spectauit, maximi enim sacerdotij principatum, quod Hussiani nunquam potuissent, à se facile euersum iri hac recepta sententia sperauit. In eo autem, quod à Christo duriores nobis impositas esse leges q̃ ut ijs quisq̃ parere queat, Mahumete uidelicet, authore conquestus est, quidnam illum tandem intuitũ putemus? Scelerum suorum impunitatem? an christianæ disciplinæ euersionem? an uero simul utrunq;? Ego enim certe quidnam potissimũ hic quærat, dicere non habeo, haud sanè magis, q̃ cur arbitrio nostro nihil, neq; liberum neq; integrũ à Deo relictum esse defendat. Nisi hoc fortasse agit, ut quæcunq; uel contra ipsam rẽp. impie moliatur, ea omnia diuinæ ascribens prouidentiæ à se reijciat et quasi fatali cuidam necessitati assignet. Nam quod omneis ingenuas artes, et cuiuscunq; generis uirtutes execratur, quas tamen neq; apud nos, quatuor illi

constituendæ doctrinæ Christianæ uiri Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, neq; apud græcos, Basilius, Chrysostomus, Origenes, Athanasius, in postremis habuere, sed quod hæc animi ornamenta atq; lumina mera ipsa scelera & cæcas quasdam humani ingenij pestes appellat, nihil omnino ab re sua facit alienum, homo sibi nimirum conscius, quàm sit ipse nulla prorsus uel illustri optimarum artium cognitione instructus, uel singulari præstantissimarum laudum dignitate ornatus. Quod autē cum Arrianis negat iusta mortuis ulla persolui à nobis oportere & quæcunq; de parentandi sanctitate Po. Christianus iam inde ab initio religionis recæpit, ipse planè repudiat, quis hoc illi non facile concedat & ignoscat homini qui nunquam litarit ipse, atq; iccirco tralaticia illa & peruagatissima temere arrepta sine fine impudentius nescias an imperitius iactitet? Cum preces nostras, & omne sacrificiorum genus, deo esse inuisum & ingratum, tum uero in nobis nihil inesse neque consilij, neq; mentis, neq; rationis, neq; opis, aut siquid tale omnino sit, id nobis in exitium, & apertam perniciem nostram tributum esse & à deo datum. Quo quidem etiam pertinet illud, quod de Dei opt. Max. in genus humanum tum inuidia tum odio firmissime comprobabat. Et enim cum insanis eius sententijs, uel furori potius, opponeretur Anacleti, Leontis, Thomæ, Bonauenturæ, ac item cæterorum quorum consecratæ iam essent pridem & literæ, & uirtutes, amplissimo rum uirorū authoritas, nec ille hæsitationis suæ exitum alium, credo, reperiret, non dubitanter ausus est affirmare homo omnium mortalium, hic iam non inuenio dignum eius importuna audacia & imperitia nomen, non exhorruit, inquam homo sacrilegus & paricida nefarius affirmare, quid dicam? horreo enim ipse totus, cum quid ex eius sententia dicturus sim cogito, nihil dubitauit igitur affirmare diuina plerunque fieri uoluntate, ut reluctantes & inuiti ipsi peccemus, idq; adeo eorum potissimū accidere ministerio, quos propter summam uitæ integritatem atq; innocentiam deus opt. Max. charissimos haberet. Rogatis quo id tādem fieri modo pronunciet? dicetur id quoq; quando hucusque progressi sumus. Ait uir diuinorum conciliorum particeps, ac idem eorum interpres unus & enarrator religiosissimus, solere à deo immortali, cum homines sua sponte non satis insanire uideat, eos præcipue de sua mente deturbari, aut illorum certe animis tenebras statim offundi, quorum mores atq; studia mortalibus ad bene beateq; uiuendum exemplo esse uoluisset. Ex eo fieri ut quicunq; talium uirorum sequātur authoritatem, hoc est ut optimus quisq;, imprudentes in fraudem, in scelus & impietatem turpiter à deo opt. Maximo & illo generis humani conseruatore inducti,

impulsi, coniecti, tum de deo sentiant & mereantur pessime, cũ se illius numini atq; uoluntati morem putant gerere sanctissime atq; religiosissime. Non confutabo hic equidẽ barbaram hominis impuri impietatem, quæ cum ipsa per se sua incostantia satis sit labefactata, tũ uero tam est absurda, & ab omni communi sensu aliena, ut neminẽ hic quãtumuis rudẽ & durũ esse putem, quin si modo Christianus sit ea cõmemorata totus statim exhorruerit, uicemq; suam uehementer doluerit, quod ad hæc animũ antea non aduerterit, & aliqua humanæ mentis perturbatione oppressus, portentorũ huiusmodi atq; monstrosarũ opinionum suæ sorem constantissimo atq; sanctissimo reip. iudicio antepofuerit. Ac profecto cũ hæc Mart. Luterus de summa illa diuinæ naturæ bonitate tã impie pronunciet, ut iam nõ minus uerbo quã antea re oẽm funditus religionẽ tollat, cũ homines deo acceptissimos, uel deũ potius ipsum opt. Max. malorũ geniorum furiarumq; ipsarũ partibus fungi confirmet, nõn sanè uideo, neq; quemadmodũ ipse se omnis erroris expertẽ esse, de quo tamẽ uno omniũ apud uos gloriatur, compertũ habere possit, qui uiros planè diuinos à deo ipso densa quadã & tetra impietatis caligine occæcari iudicet, neq; quomodo contra religionẽ sentire nõ dicendus sit, & facere qui deũ immortalem ex damnata Manichæi sententia malorũ authorẽ constituat atque defendat. Neque uero interea homo cæteris in rebus memoria planè nulla & stultus nec tam cæcus ẽ nec perditi illius consilij sui tam immemor, quin quod plurimis mortalium & gratum & iucundum fore speret, id his monstris callide, neque tamen non portentose semper admisceat. Cuius quidẽ generis sunt illa, ut interdictum certis anni diebus, ouorũ, quadrupedum, auium, lactis cæterorumq; eodẽ pertinentium in uenusu usum omni sublata religione, repetamus, ne solẽnia ieiunia obseruemus, ne nos ipsi sacerdotibus Christiano ritu desstramus, qua tamen ex re, cum se in magna apud omnes sacerdotum ordines offensa futurum uideret, alia statim ratione ab ijs qui incotinẽtiores essent, gratiam inire instituit. Multis enim ante omnia uerbis execratus eorum sententiam, qui sacerdotibus cælibatum indixissent non curionibus modo & sacrificulis omnibus, sed ipsis etiam sacrorum Antistitibus nescio an multarum etiam nuptiarum, ducendæ certe uxoris ius atque potestatem fecit. Verum nihil facile apud impios popularius ea disputatione apparuit, qua ille improbis omnibus probare conatus est, neminem unum a Iesu Christo Christianæ ciuitati esse præfectum, sed pari omnes in administranda rep. iure atque potestate Christianos esse uoluisse. Quod quid aliud tandẽ est, nisi seditiosissimo uel etiã stultissimo cuiq; summam perturbandæ

atq; adeo impune euertēdæ reip. facultatem dare? Sed huiusmodi sermo reijciatur in eū locum à nobis totus, ubi cum Luteri sententia quasi pedē collaturi sumus. Nunc enim, qualis eius esset doctrina, uobis breuiter significandum à me fuit. Atq; ita certe, ut mea quidē fert opinio, tota se res habet, à primis illis disputationibus, in quibus nescio q̄ recte (nam illas etiam uehementer à quibusdam improbari iam audio) ingeniose certe & argute nonnulla mihi quidem tractare est uisus, nunquam aliud in alio sceleratus miscere desitit. Nam primum uel summa illa Pont. Maximi denunciatione incitatus, uel operarum suarum audacia & manu irritatus atq; elatus, ruere statim cœpit, & ita insanire, ut optimū quēq; totis uoluminibus conscinderet, summum ipsum Pont. græco uerbo Christi hostem appellaret, Constantiensem illum conuentum, impiorum conciliabulum diceret. Sanctam herourn nostrorum memoriam contumeliosissime exagitaret, non priuatis parceret, non magistratibus, non principibus nullius deniq; ordinis, ne ipsius quidem reip. ullam omnino rationem duceret, id ipsum interim ubiq; confirmans, omneis nos desipere, omnes delirare, omnes dementes esse. Vnum se in rectam religionis uiam ingressum, & recta solum sapere & errare iam nullo modo posse. Deinde quæcunq; à seditiosissimo quoq; iam olim turbulente excogitata essent, ea omnia undiq; colligere, collecta impudenter explicare, explicata quasi diuinitus probata perdite defendere atq; tueri instituit. Existimans, opinor, si singulos insigne aliquod & audax facinus nobilitare potuisset, se quidem fore omnium post hominum memoriam factiosorum longe notissimum, qui omnes unus omnium seditionum causas tam lōgo interuallo repetitas audacissime retulisset. Quæ quidem omnia eo parum diligenter adhuc à uobis considerata esse arbitror, quod ille animos uestros rerum præsentium odio iam per se non nihil commotos, feruidis suis etiam concionibus ita incenderit & inflammarit, ut non quid ipse de Deo, de religione de rep. de maiorum nostrorum institutis sentiret, sed q̄ uehementer q̄ nonnunquam etiam uere, iusteq; in mores, in uitia, in tempora perorarèt, semper animaduerteritis. Hoc enim habet asperum illud & in criminando uolucre atq; incitatum & uibrans orationis genus, ut si in causam presertim Principum quorum nescio quo modo semper grauamur imperia, aut etiam minime popularem & inuidiosam apud homines minime malos exerceatur, audientium animos facillime rapiat, plurimumq; illi & qui dicat, admirationis conciliet, & quem contra dicatur, odij maleuolentiæq; statim concitet. Quod ipsum uobis hac in re usu uenisse profecto iam uidetis. Est enim ut probe scitis, cum ipse Martinus Luterus homo mire criminosus, quiq; in dicendo, uerba celeriter

multa uoluens atq; profundens stomacho saepe iracundiaq; quasi iusta
quadam indignatione efferuescat, tum uero ea hominum ubiq; ferè im-
probitas atq; sacerdotum etiam multorum indignitas, ut qui se in eorũ
acriter insectandis uitijs exerceat, is non modo flagitia sua alienis crimi-
nibus facile tegat atq; occultet, sed quadam etiam sanctitatis ac religionis
opinione uehementer probatus, eo potissimũ nomine uulgo commenda-
tur. Itaq; dum Mart. Luterum nec sine ingenio, nec sine causa, nec sine
cupiditate tum uero singulari quadam audacia & uultu in primis atq;
amictu ad popularem concionem compositum cum ciuitatis nostrae mo-
ribus solute & acerbe rixantem, dum quorundam in repub. principum
turpitudinem & infamiam publico odio subijcientem, dum atrocissi-
mis uerbis & contenta uoce, de ariolis, de maleficis nescio quibus mulier
culis ostenta facientem attoniti miramini, dum uel in eũ mirificas quas-
dam pugnas, & tragicas suas commemorantem strages stupefacti inue
nimini, uel ad certos eius commentarios in eandem ferè rationem feruen-
tissime conscriptos quasi ad saxa quaedam adhaerescitis, deniq; dum gra-
ui & caeco eorum qui reip. praesunt, odio ducti, in Luteri impietatem edi
tos à doctissimis optimisq; uiris libros negligitis, aut siquando in manus
inciderunt uestras lente ac fastidiose nec ullo eos ordine legitis. Sic eius
quem unum adhuc diligenter & attentis animis exaudistis tum oratio
nis impetu & nouitate, tum scriptorum assiduitate quotidiana capti, uin
cti, abducti fuistis, ut de ipso existimaretis sanctissime, qui de Deo ac rep.
christiana sentiret pessime, & eos aduersaremini quasi scelestos, quos ne
ille quidem adhuc negarit esse christianos. Atqui christianum esse homi-
nẽ, hoc est tum de deo tũ de religiõe nostra bene existimare. Satius est ẽt
si non ab omnibus humanis uitijs planè sis liber, quàm si cum libidinis
atq; omnis auaritiae sis expers, tamen de deo sentias impie, de persuasio-
ne christiana loquare impure, de rep. ipsa consilia meas sceleratissime. Ve
rum ante quàm ad conuellendam omnem Mart. Luteri disputationis ra
tionem aggrediamur, uos etiam atq; etiam admonitos uelim ne hoc diffi
cilius excolendos uos nobis sanandosq; praebeatis, quod à uobis qui qui-
dem hic estis omnino pauci, alios item complureis in sententiam suam
perduxisse ille uideatur. Neq; enim decet, neq; certe cõuenit uos quos ego
minime omnium agrestes esse scio, minimeq; pertinaces fore iudicaui, le-
uissime atque perditissime prouinciae illius plebis multitudine temere cõ-
moueri, quae cum omnium rerum & sacrarum in primis sit imperitissi
ma, tum uero nihil habeat in optatis prius quàm ut praesens reipu. status
quauis semper ratione commutetur. Hi enim sunt iam olim descripti et
à sapiẽtissimo quoq; notati multitudinis mores. Laudare praeterita, odisse

præsentia, cupere futura, idq; eos ipsum optare, etiam ut nulla melioris spes status eis ostendatur. Quid illam igitur non facturam uel ausuram certe censendum est, si quis infinitæ licentiæ ac summæ impunitatis spem, hancq; ipsam quasi deo authore uulgo afferat? Nam quod aliquot etiam non omnino pessimos neq; postremæ sortis homines cum Lutero facere, nulloq; negocio ab eo persuasos in istam sententiam protinus isse admiramini. Ego uero aliquando sum miratus tantum in christianorum hominum nonnullis inesse leuitatis, ut cum tanta de re etiam atq; etiam deliberandum esset, statim tamen & temere pluris sibi furiosi istius nebulonis somnia & optata q̃ perpetuum reip. consensum atq; iudicium faciundum existimarent. Verum postea q̃ circunspectis rebus omnibus atq; etiam repetita ex literarum monumentis ueterum seditionum memoria, eoq; in primis mihi proposito, quod et Christus ipse, et legati eius de concordia sanctæ ciuitatis sæpius dissoluẽda, sarciendaq; prædixissent, ipse me collegi equidem neq; rem secus adhuc cecidisse cognoui q̃ par fuerat, neq; alium atq; ciuiles superiorum temporum motus exitum habuissent, partes istas finẽ habituras esse iudicaui. Etenim cum hæreses illæ alijs atq; alijs temporibus non præfecturã modo aliquã ut hæc, aut etiã prouinciam, sed uniuersum penè terrarum orbem summo plausu peruagatæ essent, perfectum est tamen cum amplissimi collegij constantia, atq; ipsorum Pontificum uirtute, tum bonorum consensu atq; summa causæ ipsius æquitate ut omnes tandem multitudinis quoq; iudicio damnatæ & ad nihil redactæ prorsus extinguerentur. Quis Nestoreo quodam tempore uulgo gratiosior? quis Arrio aliquando etiam potentior? quis Dioscoro popularior? quis Montano sectatorum copijs munitior? quis Appollinari iuniore uel in disserendo acutior? uel in sacrorum librorũ lectione diligentior? uel principum in rep. uirorum amicitijs illustrior? quid? an cæterarum factionum ducibus authoritatem initio & multitudinis conspirationem defuisse arbitramini? Floruerunt omnes opibus, floruerunt artibus, uiguerunt ingenio, eloquentia, industria. Ab omnibus deniq; uel naturæ, uel fortunæ, uel studiorum ornamentis instructiores illi cum fuissent & paratiores q̃ Mart. ipse Luterus quantumuis ambitiosus, hodie uel optare audeat, iacuerunt tamen ad extremum omnes, obsoletisq; & extinctis tandem eorum partibus recuperauit ius suũ resp. atq; ita recuperauit ut summi Pont. & amplissimi collegij decreta quanquam minime omnium popularia, sed seuera & improbis tristia, ualerent tamen, eamq; inter mortaleis omnes quam etiam nunc habent authoritatem assequerentur & obtinerent. Et quia nonnullos uestrum repentina unius aut alterius municipij imperitæ multitudinis defectio, quasi diuinitus facta religiosi-

us commouere uidetur, tantum abest ut id bonis, diuinæ uoluntatis significationem det aliquam, ut etiam malesuadæ noxæ fraudibus factũ esse indicetur. An non uidetis ita multitudinis ingenio comparatum esse, ut uulgus deterrima quæq; celerrime amplectatur? ad ea quæ sint optima cunctantius semper & diffidentius accedat? Ecquid prisco illo Deorũ cultu turpius fuit, flagitiosius, sceleratius? attamen mortales omnes extra Iudæos & paucos de cæteris gentibus sapientiores quosdam, nulla neq; sanè causa adducti, neq; ui maiore coacti eum statim cupidissime complexi quasi legitimum ac etiam de cœlo in terras demissum diu probauerunt. Ecquid contra Christi Opt. Max. uel doctrina diuinius, uel uita sanctius, uel potentia illustrius unquam extitit? Ab eo tamen ipso ex omni populo hebræo cui quidem ille omnium uatum oraculis promissus esset, & expectatus, uix duodecim quos ad diuinam causam adiungeret, repertos esse uiros nõ ignoratis, atq; hos ipsos tam infirme animatos ut unius eorum perfidia proderetur, à reliquis metu desertus & destitutus in sceleratas ac crudeles hostium manus miserabiliter deueniret. Conferte (quæso) aliquando Iouis hominis contaminatissimi, conferte si lubet etiã Mahumetis impurissimi superstitiones cum sacrosancta & diuina Christi Opt. Max. religione atq; pietate, desinetis enim, scio, istam desertorum uel transfugarum potius. multitudinem tantopere admirari, quæ tamen ipsa si nobis qui non humana & externa seditiosorũ uocabula induimus sed unum Christi nomen sequimur christianiq; et dici & esse uolumus. Si nobis inquam multitudo ista comparetur ne exiguæ quidem priuatæ alicuius familiæ rationem ad celeberrimæ ciuitatis frequentiam habere reperietur. Atq; ut institutæ orationis exitum aliquando expediam quoties uobis in mentem ueniet, Luterum paucis annis popularium suorũ multos in sententiam istam adduxisse, facite ut eodem respiciatis tempore, primum quodnam hominum genus cum eo in remp. coniurarit, occurrent uobis scilicet præter eos quos hic bene paucos honestiores uideo, caupones tantum, stabularij, muliones, lanij, fartores, cupediarij, ganeones, belluones, decoctores, fures, sicarij, percussores, latrones, ac reliqua istiusmodi hominum turba atq; colluuio, & quasi quoddam seditionũ seminarium, quos quidem ille institutis suis non ad bonam frugem traduxerit, hoc enim & bonis omnibus optandum fuit et ab eo certe, qui se hodie christianæ uirtutis æmulũ unũ esse gloriaretur præstandũ, sed ad oẽm magis petulantiam, audaciã, immanitatem suis ꝯcionibus et scriptis inflammarit. Deinde uobis proponite qbus uoluptatũ illecebris qbus licentiæ et impunitatis pollicitatiõibus miserã ac perditã illã plebis fecem allexerit & hodie uinctam teneat homo apud sobrios quidem &

intelligentes rerum existimatores indocta arrogantia stultissimus, sed ad capiendos imperitæ multitudinis concitandosq; uulgi animos apprime eruditus & longe post homines natos ueterator improbissimus atq; audacissimus. Tum uero cogitatote, turpissimas quasq; seditiosorum causas subitis incrementis quidem prouectas illas processisse, sed nullis omnino radicibus nixas, ad tristeis semper exitus atq; fœdissimos casus properasse. Rei uero publicæ & processus initio tardos fuisse & statum grauissimis sæpe tempestatibus iactatum multa discrimina subijsse sed euentu tamen eiusce modi ut uictrix ad extremum pietas, & uictoriam de impietate iustissimam semper retulerit, & gloriosissimum superisq; hominibusq; plaudentibus triumphum egerit.

Quatuor subsecuturas orationes immatura morte non absoluit.

CHR. LONGOLIVS P. BEMBO S.

ſ Iquid bic eſſet, quod te ſcire oportere exiſtimarem, ſcriberem id ad te cum libenter, tum pluribus etiã uerbis diligenter. Nunc omnino eiusmodi res noſtræ ſunt, ut quid tibi literis meis ſignificem, planè non habeam. Niſi illud fortaſſe ſcire uis, me ad hunc diem tuas ad tuos literas expectaſſe, ut Patauium proficiſcens, aliquod ſcribendi argumentum inde colligerem. Scripturus eras tu quidẽ Piſauro, ſed nihil adhuc illinc. Suſpicabantur tui, cum has exararem, te iam Florentiam, ſiquidem Piſauro eò recta profectus eſſes, ueniſſe. Ego autem has tibi Romæ redditũ iri, ubi uelim negocia noſtra ita cures, ut & ego ſemper ſperaui, & tu te facturum mihi recæpiſti. Illud uero an epiſtola magnopere dignum ſit, haud equidem ſcio, non mihi tamen prætereundum exiſtimaui, ut cognoſcas quo par ſit animo, tuos abſentiam tuam tuliſſe, cum uel beſtias diſceſſum tuum luxiſſe uideamus. Scito Bembinum delitias tuas deſiderio tui penè extinctum eſſe, certe dolorem, quem ex abſentia tua contraxerat, nobis & bidui inedia, & perpetuo ululatu, diſcurſuq; teſtatus eſt. Nunc & ſi ad cibum, nondum tamẽ ad priſtinam illam ſuam alacritatem redijt, mœſtus ſemper, & ad contrectationes blanditiasq; noſtras ſubringens. Tu cura ut ualeas, id enim & nos facimus, ac ſimul operã dabimus, ut ne fruſtra conſuetudine, conuictu, conſilijs tuis uſi unquam uideri poſſimus. Saluta mihi communes amicos, ſimul & illud quidnam ſit fac intelligam, quod me nonnulli comminiſcuntur de ingenijs Romanorum interrogatum, reſpondiſſe, non crepare montes. Ego enim cum id nunquam dixi, tum uero cuiusmodi ſit, intelligere non poſſum. Venetijs proficiſcens. xiiij. Cal. Maij.

CHR. LONGOLIVS P. BEMBO S.

l Iteras, quas ad me Florentia quinto Cal. Mai. dediſti, accæpi ad ix. Cal. Iun. perbreueis quidem illas, ſed mihi ſanè longe gratiſſimas, ut cui nihil optatius eſſet, quàm de te, ex te ipſo aliquid tandem audire. Nam poſtq̃ Venetijs profectus eras, nihil neque à te, neque de te in eum diem, ad me quidem perlatum fuerat, neq; uero poteram tibi à nauigationis, itinerumq; difficulta-

tibus non magnopere timere, qui te, cum tuapte natura haud ita firmũ tum ex uetere illo & difficillimo morbo nondum planè confirmatum, in uiam dedisses. Leuasti itaq; tu me magna sollicitudine, liberauit autem planè nuper frater tuus, qui te Prid. Non. Mai. Romam saluum incolumemq; uenisse affirmaret, quo planè nuncio tanta sum lætitia affectus, quanta par est eum, qui tecum nascentis laudis suæ fautorem agnoscit, tum speratæ dignitatis authorem fore confidit. Profectò nisi me fidelissimis atq; amantissimis consilijs tuis iuuisses, ut cætera dissimulentur, quæ & maxima & innumerabilia sunt, tua erga me merita, non modo is adhuc essem, qui anno superiore eram, hoc est uiæ, qua ad bene dicedi facultatem iter est, omnino ignarus, sed ne sperare quidem ullum mihi studiorũ meorũ fructũ unq̃ licuisset. Quod eò quidem pertinet, ut intelligas quàm mihi salus tua curæ uel sit, uel esse debeat, si modo is ego sum, ut planè sum, qui officium meum, memoremq; erga benemeritos animũ libenter præstare soleã. Bolducus hic aliquot dies nobiscũ fuit nobiscũ inq̃, quod domum nostrã familiariter uentitarit, horasq; multas suauissimo sermone nobiscum consumere sit solitus. Is cũ me sæpe inuitatum, ad cœnam aliquando tandem perduxisset, lauteq; ac splẽdide accæpisset ad extremum à me etiam contendit, ut opibus suis, perinde atq; tuis uterer, quod quidem utrum ille sua sponte, an commendatione tua adductus fecerit, haud equidem scio. Vtrocunq; modo, siue etiam utraque de causa id fecerit, uelim per literas tuas intelligat, cum humanitatem studium, officiumq; illud suum mihi fuisse gratissimum, tum uero me sibi mirificas apud te gratias egisse. Pari liberalitate nobis & animum & domum suam patefecit Nauagerius noster, qui nos hic etiam Cal. Mai. uisit, atq; ut te suis uerbis salutarem magnopere rogauit. Prosequebatur Lud. Foscarum Vincentiam, eodem itinere Veronam profecturus, atq; si res ferret, illic cum Turrianis fratribus æstatem cõsumpturus. Ego uero cum ad Id. Mai. Venetias nauigassem, & si Octauiani Grimoaldi hospitio sum usus, fui tamen domi tuæ, atque apud te esse, ut uolunt, idest rectissime omnia cognoui, de quo, & si tuorum literis, multorumq; nuncijs crebro sis certior, putaui tamen mearũ esse partium ea de re aliquid ad te scribere. Dedi ad te epistolã Venetijs proficiscẽs, sub id ferè tempus cum tu, Florentiam aut iam aduentaras, aut certe appropinquabas, ea tibi reddita fuerit nec ne, si ad me scripseris, gratissimum mihi quidem feceris. Nos hic interea dabimus operam, ut, quam de nobis prædicatione tua concitasti expectationem, hanc sustinere, ac tueri aliquando possimus. Vale. Patauij iiij. Cal. Iunij.

CHRI. LONG. P. BEMBO. S.

P Er paucis diebus ad eas, quas tu ad me Florentia literas dedisti, rescripseram, cum mihi alteræ abs te Roma sunt redditæ, in quibus me illa mirifice delectarunt, cum quæ in eandem quidem cum superioribus rationem, sed multò mehercule subtilius, luculentiusq; scripta erant, tum quæ de amica Pont. Maximi erga me uolũtate significabas. Illud uero mihi tam gratum fuit, q̃ minime expectatum, quod eum meis uerbis ueneratus esses. Nam cum ad ipsum nihil oĩo literarũ dare sim ausus, ne summas eius occupationes interpellarem, cuperem autẽ me illi & gratum & memorem probare, nec qua id ratione assequerer mihi in mentem uenisset, reperisti tu uiam, immouero confecisti ipse per te, ex sententia mea negocium, cum nihil facile minus sperarem, aut omnino iam cogitarem. Sed hoc planè tuum est mi Bembe, non ita denique amicorũ rationibus cõsulere si admoneare, sed omneis eorũ cogitationes officijs tuis præuenire atq; superare. Nam ut etiã pecunia ex Principis Fisco mihi prærogaretur, curasti, quod quidem ipsum sanè sum admiratus, neq; tamen ex ea, quam tu fortasse suspicaris, parte, quod nihil huiusmodi postularam, uel etiam speraram, sed quia non horũ est neq; temporum neq; morum, æs alienũ ad diem dissoluere, ne dũ gratuitã pensionũ pecuniã repræsentare. Pari te diligentia in ijs usurum esse confido, quæ tibi de me cũ Io. Pino Regis Frãci legato sunt cõmunicãda. Aderit ipse ultro, ita enim pollicitus est. Incũbite (quæso) in eã rẽ, atq; inter uos cõmẽtemini, qua ratione fortunã nostrã subleuare, et pontificijs me beneficijs ornare possitis. Ego. n. ab omni alia cogitatione auersus, curas, studia, sensus deniq; oẽis meos, ad excolendũ ijs literis animũ, te authore traduxi, in qbus, si qcq̃ profecero, potero tua quidẽ sentẽtia, amicorũ meorũ nõ sustinere modo gratiã ac tueri officia, uerũ etiã renumerare atq; illustrare beneficia, ut ego uero suspicor mihi desperãdũ nõ erit, quin eis tũ magno sim aliqñ ornamẽto q̃ ipsi mihi p̃sidio extiterint. Aduẽtu tuo refrigeratos eẽ iniquos leuissimorũ hoĩm de me sermões, ex literis. M. Antonij Michaelis nuper itellexerã, ex tuis hoc amplius cognoui, cuiusmodi id tãdẽ esset, qđ i me ↄtulissent. Res planè ridicula, sed meo tamen nescio quo fato, ex istiusmodi nugis tragœdiæ nobis istic quotidie excitantur. Atqui non tam sum miratus homines suã simillimos ista aduersum me comminisci, quàm uiros quosdã plurimis atq; optimis artibus ornatos huiusmodi rumoribus commoueri atq; in me etiam incitari. Sedasti tu quidem hosce rumores tuo aduentu, sed quid mi Bembe, si tu aut Romam omnino non uenisses, aut mihi parum amicus esses? Iterum opinor, in inuidiam crimenq; ab-

sens uocaret, uel indicta potius causa innocens dãnaret? Scis enim, quod etiam apud te frequenter sum questus, fortunam cum natura mea pugnare, huiusmodi ratione fieri, ne mihi quicquã assumam, quod iure possit, non dico boni, sed omnino maleuolentissimi cuiusq̃ animum offendere. Illius iniquitate mihi usu uenire, ut uitæ meæ cursus aut potius hic noster secessus, quamlibet obscurus, minime certe inuidiosus maleuolorum obtrectationibus facile pateat. Si Italos odissem, nunquam profecto relicta domo, patria, breuiter meis omnibus reclamantibus huc properassem, ut cum Italis in Italia uiuerem. Si de Romanis male sentirem, ciuis Romanus neq; esse neq; numerari sanè uellem. Verum quoniam de his cũ eodem Michaele, eo consilio nuper pluribus egi, ut eos meis uerbis doceret atq; commonefaceret, ne sibi quicquam de me temere persuaderi sinerent, supersedeo ea ad te scribere, quæ mihi nunc in mentem ueniunt, ueniunt autem, mihi crede, q̃plurima. Sed nolo tibi molestus esse. Tantum te rogo, ut tuam in me defendendo consuetudinem, mihi præstes, & istorum criminibus, quod te facturum ostendis facisq́;, resistas. Quod de P. Paccio scribis, id huiusmodi est, ut ea quidem uir ille nostri amantissimus, dixerit, quæ & ipse fortasse cupiat, & ex re mea fore existimet, non autem quid ego statutum habeam. Statui autem (quod quidem inter nos liceat dicere) nisi quid aliud accĩdat, hoc ipso, cuius mihi potestatem Pont. Maximus liberalitate sua facit, ocio perfrui, idq́; uel ut tibi morem geram, q hoc nostrum institutum mihi probare semper es uisus, uel quia ipse ego huius consilij maiorem in dies singulos, nescio an fructum, uoluptatem certe percipio. Hinc porrò in eum sermonem Paccium uenisse opinor, quod Mariano Castellano, ut Florentinorum conditiones acciperem, à me uehementer etiam atq; etiam petenti, per literas respõderim, nihil me tanta de re prius esse constituturũ quàm affines meos consuluissem, ijs autem rem aut non probantibus, aut etiam extrahentibus, me meo consilio esse usurum, atq; in amicorum, quos mihi in Italia comparassem, potestate futurum, fac (amabo te) legas, quam in hanc sententiam ad Marianũ epistolam scripsi, nam ad Paccium ea de re ne uerbum quidem, quando nec ipse ad me quicquam. Videbis me eo cõmento usum, ut si præcise & sine ulla exceptione, quod petebatur negassem, ne illi me aut superbum, aut insanum suspicarentur, qui tanta, eaq́; amicorum opera mihi confecta commoda, premiaq́; insolenter repudiarem. Ad collegam tuum omnino scripsissem, nisi constans fama iam multos dies hic percrebuisset, eũ simul atq; tu Romam uenisses in prouinciam suã esse profectum, cuius rei (si tibi non est molestum) uelim me facias certiorẽ. Vale.

Patauij. iiij. Id. Iun.

CHR. LONGOLIVS P. BEMBO S.

Pistolæ argumentum ad te nullum prorsus haberem, nisi id mihi Flauius noster suis ad me literis præbuisset. Ad hunc enim cum mihi omnino literæ dandæ essent, quæ quidem nisi per te commode ei reddi non possunt, effecit sanè, ut ad te etiam eo nomine scriberem. Leue (inquies) argumentum. At quod ad te scribam aliud planè nô habeo, nisi tu fortasse illud scire uis, ut certe uis, quo modo hic æstatem traducamus. Traducimus autem, mihi crede, summa cum uoluptate. Diem enim ita consumo, ut matutinas horas latinis lectiunculis tribuam, prandium trigonali pila condiam, non quo nostræ eiusce modi sint mensæ, ut hoc condimenti genere magnopere indigeant, nec enim multum uel splendore, uel lautitia uestris cedunt, sed ita ualetudini nostræ libenter consulimus. A cibo tempus uarijs sermonibus ducitur, postea dum se calor frangat, leuiter meridiamur, quietem græcæ, & interiores literæ excipiunt. Sub has eadem pila in cœnam exercemur, sed meo sanè arbitratu, id est usque ad ruborem, citra sudorem. Reliquas diei partes uespertinæ ambulatiunculæ, eæq; aut propter aquarum decursus aliquos, aut spaciosis in campis lentæ sibi uendicant. Quod siquando maiore æstus ui urgemur, admissis equis concursantes urbē obimus. Simulac me in cubiculum abdidi, reputo statim mecum, quid eo die memoria, qd scientia comprehenderim. Noctem à prima statim uigilia somno damus, cum sole ad easdem uices sacris operati redimus. Quid quæris? Vtor literis, quantum semper optaui, fruor ocio, quantum nunquā speraui. An uero tantæ felicitatis fructus mihi constet, nisi forte tam felix ocium ocij est fructus uberrimus, senties aliquando fortasse tu, quem mihi fortuna dedit studiorum meorum adiutorem, tanti ocij authorem, multarū & clarissimarum amicitiarum conciliatorem, deniq; non inimicorum modo meorum ultorem, sed etiam obtrectatorum uindicē, ut alteros tandem stultitiæ suæ puderet, intemperantiæ suæ alteros pœniteret, lasciue nimis. At certe aliter gaudium meum gaudere non possis, nec ego tibi lasciuientis ocij specimen præbere. Quod si tu, ne hac quidē in ratiōe, exultans dicēdi genus admittis, ecce ad illud uestrum me confero. Vellē de me ad Marinū Georgiū diligentissime scriberes, hoc est me de meliore nota ei cōmendares. Nec.n. nescis, cū quanta hic in solitudine uerser, qui cū pedē domo extuli, quē de facie, aut omnino nomine norim, offendo neminē, tū quam mihi propemodū opus sit, nō modo expediat, ut in alicuius principis authoritatis uiri uel fide, uel amicitia esse existimer. Quanq̄.n. ut dixi, à domesticis nemo planè est, quem ego hic cognitū habeā, eorum tū, qui studiosi nu-

tantur, nemo ferè est, qui me non norit, Certe uix unquam prodeo, quin his mihi uocibus passim aures personent. Hiccine Gallus ille, qui in Italiam? Qui Romæ? Quem Po. Romanus? nosti cætera. Dissiparunt enim egregij nostri illi ciues, me ideo Patauij esse, quod mihi Romæ tuto esse non liceat. Eo sanè fit, ut in tanta gladiorum licentia mihi interdum timeam, presertim cum aduersus hominem Gallum, non minor scelum sit facinoris uerecundia, sed in mea iniuria popularis etiam quadam laus præposita esse uideatur. Equidem cum hæc mihi in mentem ueniunt, euolare hinc nonnunquam cupio, atque Lerinum cogito, ubi Sicariorum neque facta uideam, neque nomen audiam, non qui salutem literis unquam sim dicturus, ingrauescit enim in dies studium, sed ut illic ocio non tantum honesto & magno, uerum etiam tuto perfrui nobis liceat. Est mihi quidem Marinus Georgius Venetijs proficiscenti & studium et authoritatem suam pollicitus, uerum rustico nescio quo pudore deterritus, nondum animum inducere potui, ut me ei offerrem. Itaque mihi gratissimum feceris, difficile est loqui, & scis quid uelim, sed dicatur sanè. Vellem is me sua quasi sponte accersiret, atque omnem in partem tuendum susciperet. Quod quidem ille unus omnium maxime potest, uel iure & potestate, quam hic habet maximam, uel consilio, & authoritate, qua ubique ualet plurimum. Collega tuus istic adhuc sit, an uero (quod quidem audio) in prouinciam suam profectus, nondum me certiorem fecisti, cum id tamen, ut faceres, à te superioribus literis petierim, & me scire, mea plurimum intersit. Non enim ignoras, & quanti hominem faciam, & quam de me idem bene sit meritus. Vereor equidem ne à me literarum officium requirat, quod quidem ille pro multis suis in nos beneficijs, studiorumque & causæ coniunctione desiderare non debet. An idem tibi in rationibus nostris cum Io. Pino Regis Franci legato complectendus sit, tui est consilij. Ego enim & si enim omnia mea causa & uelle & cupere exploratum habeo, quid tamen hac in re ualeat, nescio. Sed nec certe quid uos in eo genere præstare possitis, ipse satis intelligo, earum rerum iam planè rudis, & in huiusmodi actionum usu minus quam nunc quidem uelim, olim uersatus. Itaque quid efficere possitis, uestrum est statuere. Meum, quodcunque mea interesse duxeritis, uos ualde rogare, tam & si id forte nec humanitas tua expectat, nec facile amicitia nostra patitur, simul enim atque me in fidem, amicitiamque tuam contuli, me non tuendum modo, sed augendum etiam atque ornandum suscepisti. Atqui illud etiam, atque etiam uidete, ne cum Principem habeatis cum omnium liberalissimum, tum uobis amicissimum, tum enim etiam, qui me beneficijs suis ornatum uelit, ipsi uos mihi defuisse uideamini. Ex-

trenium illud est, ut omnium, quas ad te dedi, epistolarũ exempla mihi cures. Rides? Atqui tam ambitiosus non sum, ut eas in honorem adducere, aut in uolumina referre uelim, sed mehercule scire cupio, cum quid adhuc ad te scripsi, tum ecquid meas ad te literas omneis acceperis. Scripsi autem penè semper non tam quicquid in mentem, q̃ quicquid in buccam uenisset. Quod quidem ipsum usu mihi etiam nunc uenit, nam cum initio nihil omnino haberem, quod ad te scriberem, dum tecum libenter quasi colloquor, iustum penè uolumen meorum ad te sermonem conscripsi. Vale. Patauij Pridie Id. Iul.

CHR. LONGOLIVS P. BEMBO S.

Gratissimæ mihi fuerũt tuæ literæ, quas Patauij paucorum dierum interuallo accæpi eodem exẽplo binas. Vidi enim quantopere laborares, ut epistolæ ad nos perferrentur tuæ, nisi me fortasse schedula illa tua adductum esse putas ut credam, eo te consilio usum, quod superiorum genus tibi non satis probaretur. Mihi uero ita placuerant, ut ex posterioribus nihil nouæ uoluptatis perciperem, nisi quod me quasi repetita ipsarum lectio haud mediocri uoluptate afficiebat, sed hanc ex cæteris quoq; tuis literis communiter capio. Omnes enim per ocium accuratius relegere soleo, ductus nimirum incredibili quadam earum suauitate, atq; elegantia, quibus quàm me afficias non dici potest. Nam quod studiorum meorum rationes, ita probas, ut nos etiam de ijs uehementer laudare uidearis, agnosco humanitatem tuam. Ego enim quod ad te proxime quoque scripsi, ne fundamẽta quidem tanti operis mihi adhuc iecisse uideor, nedum in absoluenda, adornandaq; superficie occupatus adhuc non sum, quamquam in eo potius laboro ut ueteris eloquentiæ speciem aliquam, aut colorem scriptis nostris illinam q̃ ut neruos eius ac uires in lucem reuocem, præsertim hoc tempore, nulla Rep. sublato prorsus latine loquendi usu.
De aduentu tuo quod scribis, est ille quidem in expectatione hic maxima, neque mihi sanè non gratissimus futurus, ut qui me sperem te adiutore id posse consequi, quod te authore uelle cœpi. Sed uide per fortunas, nunquid prius quam istinc te commoueas de nobis confici possit. Nam cum profectione tua omnem spem meam debilitari, uel potius concidere uideo, nisi quid in Io. Pino & collega tuo præsidij fore speras, quod ego planè desperaui. Nam ad alterum

ea de re nunquam ne uerbum quidem. Alter q̄ parum efficax sit, uides. Quod mihi de Nicolai Leonici familiaritate gratularis, potes id tu quidem iure optimo, quippe qui suauissima hominis doctissimi, & mehercule optimi consuetudine perfruar. Is tibi salutem per me referri uoluit plurimam. Tu contra uelim meis uerbis saluere iubeas Alexandrum Capellam, quem non modo ex tuis literis, uerum etiam ex Leonici nostri collocutionibus cum nostri esse studiosum cognoui, tum etiam uirum bonum et eruditum, et multo tractandæ Reip. usu Senatui Veneto apprime gratum. atque hoc ipsum à me tibi scriptum esse, in sermone, siquando res feret, ei significabis. Quid etiam? Quid? apud te est ut uolumus, & migrationem hanc tibi, tuisq; bene & feliciter euenire optamus. Erogauit Flauius noster in puerum meum octingentos, puto, sestertios nūmos, eos si à te petierit, cures ei quamprimum meo nomine. Nec enim ignoras unde eos. ad Cal. Mai. possis auferre. Vale Venetijs. Cal. Apr.

CHR. LONG. FLAVIO S.

PErgratum mihi fecisti, quod puerum meum uiatico prosecutus es, neque id uero ipsum tam pueri causa, quem planè perditū uideo, & istic adhuc esse audio, ad me quidem nondū uenit, quàm quod in eo quanti me faceres re ostendisti. Verum ne impensam cum opera perdidisse rideamur, age, amabo te, cum Fr. Beraldo, ut pecuniam, qua puerum ab eo spoliatum scribis, tibi restituat. Sin erit in eo durior, scis unde tibi ad Cal. Maias octingentos sestertios nummos auferre possis. Tum enim decreta nobis à Pont. Maximo in annuū sumptū pecuniæ dies cedit, in qua exigenda, quod adhuc fecisti, uelim mihi operam naues tuam. Quod si longius tibi interuallum uidebitur, interim per me quidem uersuram facias licet, nisi quis modo istic est, ut certe Bembus noster est, à quo mea fide gratuito possis sumere, numeraturum confido, spero quidem certe. Extremum illud est, ut has literas non epistolæ, sed nominis cautionisq; uim habere existimes. Nam quo sit erga nos animo puer, non ualde laboro. Multum quidem in eo tuendo diligentiæ positum uolui, non quo is de me ita esset meritus, scis enim in istam uel ætatem uel fortunam nihil huiusmodi cadere, sed ne cum à Io. Pino, cui illum diligētissime commendatum tradideram, me insciente discessisset, perditissimorum hominum consuetudine exceptus istic corrumperetur. Id enim ad fidem existimationemq; meam pertinere sum arbitratus. Sed quando officio nostro perfuncti sumus, operaq; à nobis ut ne quid ei deesset, data est, abijciamus iam omnem de eo curam atque sollicitudinem, quicquid pec-

cauit sibi peccarit, me quidem neque laudatore, neque adiutore posthac utetur. Vale. Venetijs Cal. Apr.

CHR. LONG. HIERONYMO FONDVLO S.

Legi epistolam tuam stomachi & querelarum plenam, in qua multis mecum uerbis expostulas, quod ita cessatiōem meam pusilla quadam epistola apud te purgarim, ut scriptorum meorum rationi interea non pepercerim. In extremo autem me ad literas tuas reijcis, iubesq; ut pro ingenio meo iudicem, ecquid in illas præter inaneis uoces, & ieiuna quædam uerba coniecisses. Ego uero mi Fondule, nihil unquam huiusmodi me neq; ad te scribere, neque in epistolis tuis notare memini, genus earum semper probaui, pure enim loquebantur, officij, diligentiæ, humanitatis plenæ, ut mihi nunc quidem mirum sit, tibi homini non inepto, in mentem uenisse suspicari, idcirco me tibi rarius scribere, quod literas tuas quibus respondeam indignas existimem. Ipse de te quàm tu bene sentias, nescio, me quidem parum nosti, qui te à me contemptum putes. At enim dixi, literas tuas nullam mihi scribendi materiam attulisse, hoc ipsum illud est scilicet, quod tibi stomachum fecit, quod tantum bilis commouit. Equidem cum ad singulas tuas epistolas cuperem, sed uel necesse non esset, uel quid responderem non satis occurreret, desideraui nonnunquam in eis pleniorem rescribendi sententiam, sed quæ tandem tua in eo culpa? non ulla profecto magis quàm mea, qui me argumenti penuria excusarim, præsertim cum tu me negligentiæ tam grauiter accusares. Non audeo equidem tibi homini occupatissimo oneris quicquam imponere, sed si quid pusillæ illi meæ & ueteri epistolæ commisi diligentius attendes, uidebis nihil causæ fuisse, cur tu uerba mea durius quàm uel animi mei simplicitas, uel naturæ tuæ moderatio postularet, interpretarere. Quod si eorum quæ tum tibi misi, non sum planè oblitus, culpam profectò omnem literarum mearum silentij in me unum contuli, tantumà te petij, ut si crebriores à me uel uberiores etiam uelles elicere, ipse tu mihi istinc aliquod scribendi argumentum suppeditares. In quo si te tam grauiter, quàm quidem literæ tuæ ostendunt, offendi, quid iam mihi faciundum sit, non sanè habeo. Taceam? at eo tu me nomine accusas. Excusem? at tu non modo excusationem meam non accipis, sed de eo ipso peracute quereris, quod me purgem. Expostulationi tuæ respondeam? at uereor, ne satisfactione mea offendare, qui tam facile indigneris morem tibi statim non esse gestum. Omnino ignosci mihi abs te, uel in aliena culpa, peterem, nisi id superio

ribus literis frustra tentassem. Sic igitur puto faciam, obiurgabo ipse te, qui prudentiæ, humanitatisq; tuæ oblitus, hominis tibi amicissimi animum sine causa abs te alienes. Sed profecto non alienabis. Qua enim sum in tuendis amicitijs constantia, querelas istas, uel delitias potius tuas omneis humaniter feram, nec si tu iniquior in me esse perges, ego te amare ea re desinam, tantum uicem meam dolebo, qui cum te tanti faciam quanti haud scio an neminem, iniustiorem te tamen quàm mea erga te beneuolentia mereatur, experiar.

Dolenter hæc ad te magis (mihi crede) q̃ iracunde scribebam, cum ecce tibi à P. Bembo literæ, quibus ille me de tuis in nos studijs & officijs certiorem faceret, simul & iuberet, ut gratias tibi per literas agerem, quod Io. Pinum, currentem quidem sua sponte illum, sed tuo etiam iudicio tribuentem plurimum, ad complectendam causam nostram incitasses. Itaq; mihi gratissimum fuisse officium tuum scito, idq; ut ipse tu aliquando intelligas operam me daturum tibi uelim persuadeas. Sed non faciam, ut tibi gratias ambitiosius egisse hic uidear, q̃ uel tua expectet humanitas, uel nostra patiatur amicitia. Tantum habeto, præstaturum me tibi re melius quàm uerbis memoriam, beneuolentiamq; quam debeo. Impertire meis uerbis multum salutis & Quint. Lælio Maximo, & Fur. Mario Molsæ nostro. Vale,

Patauij xij. Cal. Mai.

Obsignata iam diu epistola, atq; propter repentinum Bembi nostri ab urbe discessum, multos à me dies in manibus habita, accepi literas tuas, ad iiij Cal. Mai. Romæ datas, in quibus quod scribis de P. Brissoo nostro eiusque aduentu mirifice delectatum esse, equidem ualde gaudeo. Quod autem eum communibus etiam amicis notum commendatumq; esse uoluisti, in eo uero mihi tam gratum fecisti, q̃ quod est gratissimum. Spero enim & mihi tanti uiri amicitiam istic amplam fore & illi ipsi ueteres nostras necessitudines, quæ à nobis tantopere celebrarentur uisum iri non indignas. Tu quas ad eum Hier.q; Alexandrinum do literas, statim reddendas curabis, simul & Pino nostro de ista fortunæ dignitatisq; accessione meis uerbis gratulabere.

Iterum Vale.

CHR. LONG. PETRO BRISSOO S.

Q Vanta me lætitia affecerint, Fonduli nostri literæ, quibus ille te Romam saluum uenisse scriberet, tu pro ueteri nostra & arctissima studiorum, animorumq; coniunctione existimare potes. Ego certe quicquid ex iucundissima alterius consuetudine fructus percipi possit, id omne ex humanitate tua & olim percepi, & me posthac etiã laturum confido. Sed tu tamen mi Brissoe, huic tanto meo gaudio nonnihil molestiæ aspersisti, qui ut aliorum prius literis q̃ tuis de aduentu tuo fierem certior, commiseris: Sed hoc ipsum tu facillime apud me purgaris, si quid ad nos statim scripseris, aut ipse potius ueneris. Venies enim, mihi crede, expectatus. Exponerem hic tibi omnem status nostri rationem, nisi te ex Fonduli, Bembiq; nostri sermone ea iam omnia cognoscere existimarem. De tuis autem rebus, quando nihil nisi ex tuis literis certo scire possum, uelim tu de ijs ad me diligenter, accurateq; perscribas. Vale. Patauij Cal. Mai.

CHRI. LONG. P. BEMBO. S.

C Vm ante diem tertium Id. Apr. Patauium uenissem, redditæ mihi sunt à te literæ, & cum ijs etiam exempla tum codicillorum, quibus nos Pont. Max. Francorum Regi commendasset, tum epistolæ quam tu de me ad Gul. Budæum scripsisses. Quid quæris? non potuit amicius quidem agi, nec studiosius q̃ actum est à te de commodis nostris, sed quo me tamen in genere Pont. Maximi liberalitate cumulatum potius q̃ ipsius commendatione ab alio quouis auctum iri sperabam. Nam in gallicis rebus, quas ego non tam benignas nobis, q̃ copiosas esse perspexeram, nihil unquam sanè spei ponendum existimaui. Noui eius gentis principum ingenia, cum literis nostris sua sponte parum tribuentia, tum uero mihi, quod relicta Gallia, in Italiam me contulerim, parum amica, ut multo scilicet maiorem ex tuis erga me officijs uoluptatem capiam, q̃ ex illius Regis liberalitate fructum expectem, presertim cum ad eam, quam tu mihi ostendis spem, parati nihil omnino uideam. Equidem cum de complectendo in causa nostra Io. Pino tecum commẽtabar, id uidelicet agebã, ut ab utroq; uestrũ res nostræ Pont. Max. nõ Regi Gallorũ commendarentur. Neq;.n. nesciebã q̃ stultum esset, me quicq̃ ab eo petere, cui operam ipse denegassem meam. Quid enim nobis ab ipso Rege, quid ab eius tandem matre, ad quã

etiam de me Pont. Maximum scripsisse ais. Quid ab ijs ipsis inquam no bis spei iniectum non est, quo nos uel apud se uel etiã in Gallia retinerẽt? Atqui pluris apud me fuit, & est mehercule etiam nunc, earum ad quas tu me uocabas literarum conscientia quàm omnis Regia illa fortuna. Hoc tibi (credo) notum non erat mi Bembe, cum pontificios codicillos in eam sententiam conscribendos curares. Sed ea quidem mea certe culpa est, qui rem tibi non planè aperuerim. Tu uero nimio quodam nostri stu dio atq; amore prolapsus es, qui me, saltem de ratione codicillorum, non consulueris. Potuisses enim, in mea presertim causa, nonnihil à me commoneri, quo artificio, neq; enim satis erat pugnare consilio, ea in re nobis utendum esset. Nunc commissum est, non modo ut tu in eo frustra elabo rasse, sed ut ego ijs, ad quos missi sunt, & ridiculus, & impudens uideri possim. Equidem mihi eorum sermones audire iam uideor, qui me hoc biennio nihil nisi Pont. Maximi beneficentiam, nihil nisi P. Bembi in me studia magnifi ce iactantem audissent. Sed quando nihil nobis in eo iam integrum est. Mutari enim res non potest. Da (quæso) operam, ut quod est, quodq; tuis ad Budæum literis uerissime commisisti, hæc me in sciente omnia à nobis confecta esse intelligant, sic enim profecto, & illustriorem industriæ tuæ laudem retuleris, quasi quæ tu ad me pertinere arbitrarere, ea tua sponte feceris, & me magna sanè molestia liberaris, qui non mediocriter uereor, ne illi me iam consiliorum meorum turpiter pœnitere existiment, cum ego me in hac instituta uitæ ratione magis magisq; in dies singulos confirmem, uel etiam oblectem. Atque in his cum mihi sint omnia mi Bembe carissime, ea tu & pro tua prudentia sa pienter considerabis, & in eam partem, quam summa uel mea in te obseruantia, uel tua erga me beneuolentia postulat, accipies. Scripsi ex tuis literis ad Hieronymum Fondulum, idem facturus ad Io. Pinum, & Albertum Carporum principem, cum tibi maturum uidebitur, iubes enim nequid festinemus. Nam quod etiã ad Antoniũ Pratianũ dãdas nobis esse censes literas, posset ille quidẽ, magno rebus nostris esse adiumento, & est, ut quidem audio, non alieno à nobis animo, probasse enim illi consilium nostrum aliquando tandem uidemur, sed uide num ex dignitate nostra sit, me supplicem ad eum nunc accedere, cuius ego neque uoluntati, neq; promissis resserim, cum ipse mihi de se prolixe polliceretur omnia, si deposito profectionis consilio mallem apud meos in Galliã q̃ in Italia uobiscum uiuere, sed nihil certe mihi consuetudine uestra, literisq; nostris fuit antiquius, quibus omne meum ita do studium, ut mihi in mentem nihil ueniat minus quàm cuiquam horum inuidere. Sed quid est, quod in extrema tua epistola iacis obscure? ad eã, quæ nobis à Pont

Maximo in annuum sumptum decreta est, pecuniam, accessurum quid dam. Id cuiusmodi sit, aueo scire, siquidem res est in manibus. Sin minus incumbe tamen in eam curam, ut à te non studiorum modo meorū sed etiam fortunarum omnium ornamenta profecta esse omnes intelligāt. Nec enim est quod te primus iste conatus deterreat, quasi non ex sententia nostra processerit. Nam & ego falli possum, est enim fortasse tam diligens commendatio maximi apud Regem ponderis futura, hoc presertim tempore, cum is maiorem Pont. Maximi q̄ nostri rationem habeat necesse est, & tu aliam facile nobis uiam munieris qui apud Principem istū, pontificiamq; cohortem omnem tanta uel gratia uel authoritate polleas, q̄tū te ista doctrina, uirtute, splēdore uitę posse atq; ualere par est. Vale. Patauij. xij. Cal. Maij.

CHR. LONG. P. BEMBO, S.

Adem mihi nunc ad te scribendi causa est, quæ proxime fuit hoc est ut literas, quas istic do, illis, quibus ascriptæ sunt, statim reddendas cures. Neq; uero est, quod me in eo uel patiētia tua, uel facilitate abuti existimes, quando id certe non facio, ut aut oneris aliquid tibi imponam, qui id nutu conficere potes, aut ea in re opera tua libenter utar, quæ parum ex dignitate tua esse uideatur, sed ut omni tempore tecum quoquomodo sim, quando aliter consuetudine tua frui non possum. Equidem tum deniq; erga te cum meo amori satisfacere, tum etiam officio fungi mihi uideor, cum ad te, quocunq; dato uel etiam quæsito argumento, scribo, quod quidem in eam te partem accepturum esse confido, quam & summa tua humanitas, & iam planè confirmata amicitia nostra postulat. In rebus nostris nihil est sane noui, nisi quod me ceruicis rigor (τέτανον appellāt) aliquot dies exercuit, idq; cum pauloante ex pleniore intestino laborassem, sed non tam grauiter, ut à literis omnino abducerer. Sic enim me tuis monitis atq; præceptis, illarum spe, ad laudem uocasti, uel inflammasti potius, ut si in illis uita mihi ponenda sit, præclare mecum actum putem. Omnino in hoc uno sum totus, ut neq; tu, neq; collega tuus quicquam de me cæteris uel temere pollicitī, uel frustra recæpisse uideamini. Quod si fidem in eo uestram planè liberare non potuero, studio quidem certe, opera, assiduitate singulari perficiam, ut nobis fortunam potius inuidisse q̄ meum laborē authoritati uestræ defuisse æqui & iniqui aliquando intelligant. Mense proximo sum partim Veronæ, partim Vincentiæ animi causa quidem sed non sine libellis nostris futurus. Quare si forte longius interuallum

literarũ meatum fuerit, id ne sis admiratus. Nauagerium nostrum unà nobiscum uenturum spero. Sed si res feret, faciam te anteq̃ hinc proficiscar de tota itineris nostri ratione certiorẽ. Vale. Patauij Cal. Aug.

CHR. LONG. IO. AVRELIO AVGVRELLO. S.

Iucundissimæ mihi fuerunt tuæ literæ, idq; ipsum sanè multis de causis. Primum quod tuæ, hoc est uiri omnium sententia optimi atq; doctissimi, deinde quod elegãtissimis numeris, uersibusq; contextæ essent, postremo quod mirificam quãdam tuæ erga me uoluntatis significationem habebant. Addo etiã, quod defensionum nostrarum librum in ijs ita laudaʀes, ut me eo plurimum assecutum putarem, qui te sola illius lectione, ad causam adiunctũ esse perspicerẽ. Neq; uero adhuc constitutum habeo, quid mihi inter hæc amplissimum fuisse putem. Nam quod tu, qui in hac summa uirtutis, doctrinæq; fama uiuas, ad me prior scripseris, est id omnino magnum, sed non eo sanè maius, quod singulare quoddam literarũ genus, in constituenda amicitia nostra tibi usurpandum duxeris. Illud autẽ, in mea præsertim causa, quanti? quod nihil reueritus iniquorum sermones, & uictoriam nobis tam amice gratulari, & res nostras graui tuo testimonio, iudicioq; adornare es ausus? Ego uero mi Aureli, & si te ea esse intelligo cũ natura, ut dissimulare quicquam nolis, tum fortuna, ut tibi simulare necesse non sit, cum tamen ipse me ab eo longe abesse sentiam, ut tuis etiam nunc laudibus respondeam, facile in eam sententiam adducor, ut me nõ tam illis tuis uersibus laudare uolueris q̃ ad sustinendam illam, quam de me excitatam uides, expectationem amanter fideliterq; cohortari. Id si ita est, quod quidem ex ætate tua, meaq; mihi facile persuadeo, bene uelim de me speres. Dabitur enim à nobis opera, ut neq; tu quicquam de me falsò prædicasse, neq; ego tantam uidear opinionẽ frustra concitasse. De mutuo meo erga te amore, nihil est quod hic ad te pluribus uerbis scribam. Essem enim ijs literis studijsq;, quibus me à pueritia dedi, omnino indignus, & planè inhumanus, nisi tibi in eo non responderem modo, sed etiam cumulate satisfacerem, quod & si quàm difficile sit, uideo id me tamen exitu tibi præstaturum confido. Tu me, ut instituisti fac diligas, ac ualeas. Patauij. xiiij. Cal. Septemb.

CHRIST. LONGOLIVS HIERONYMO ALEXANDRINO S.

Literæ, quas te ante xvi diem Cal. Ian. ad me dedisse scribis, redditæ mihi sunt Venetijs ad iij. Non. Apr. quod quidem te iccirco in primis scire uolui, cum ne tu longius huius epistolæ interuallum negligentiæ meæ assignares, tum uero ut quibus literæ rectè darentur, post hac uideres. Nam quod cessationem tuā tam religiosè excusas, facis tu quidem humaniter, sed nihil sanè, ut te mihi purgatum uelles, opus fuit, qui mihi negligentiæ nōie suspectus nunq̄ fueras. Nihil enim eiusmodi istic accidisse scio, quod à te mihi perscribi mea interesset, nisi quod de Alexandri fratris tui obitu significas, ex quo quantum doloris traxerim, tu pro mea erga tuos omnes, sed illum in primis beneuolentia iudicare possis. Verum quid agas? recusandum nobis non est, quominus iure suo natura in nos utatur. Dederat illa fratrem tibi singulari quidem & ingenio, & uirtute adolescentem, sed ea profectò lege dederat, ut suo arbitratu eum à nobis repeteret. Repetijt, citius quidem q̄ expectaramus, sed non q̄ illi licitum esset maturius. Feramus igitur, quemadmodū gratos, minimeq; stultos homines decet, placatè, quod neq; accusare, neq; uitare quisquam potest. Equidem de Rubemontio homine de me tam benemerito, mihi tam amico tuli ut debui, idem tibi etiā de Volūnio faciundū censeo, quos uno die ambos nobis ereptos esse scribis. Nā de Gonzaga nostro quod istic auditum est, falsum ē. Philippi enim eiusdā nobilissimi adolescentis Māntuani miserabilis cædes fabulæ locum dedit. Quod de Alcyonio & Stathio scribis, ego uero cum altero nullas unq̄ inimicitias gessi, cū altero, quod ad me quidem attinet, bona fide in gratiā redij. Sciscitatus sum autē per literas de Lælio Maximo, cuias is esset, q̄ se Romanū diceret, multi negarent, ego interrogatus de eo q̄d responderem non haberem. Rescripsit quidē mihi Lælius Calabrū eū esse, quod etiam ipse de te mihi audisse uidebar, sed quoniam non desunt, qui in disceptatiōem id adhuc reuocent, tu me uelim, siquid exploratius habueris, facias certiorem. Turpe enim mihi duco, non posse me alienos à ciuibus meis distinguere. Gratularer hic tibi de noua ista honoris accessiōe, si quàm lautus quoq; splendore sis eques ad me scripsisses. Sic enim huc afferunt, complures istic esse nudos equites, eosq; ipsos prius equestri censu exhaustos q̄ in istum ordinem receptos. Qua quidem certe de causa, Lælio Maximo nondum sum eo nomine gratulatus. Siquando intellexero quæ sit in isto ordine dignitas, quæ uobis in eo tuendo facultas, tum quidem ea de re ad utrunq; accuratius scribam. Sed hoc iocati sumus. Illud serio. Istam uobis emptionem bene ac feliciter euenire uolo, uestrumq; in ea re iudicium uehementer probo. Vale.

Patauij. iiij. Cal. Mai.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Vdio Bapt. Egnatium, quæcunq; ipse loca in scriptis nostris animaduersione digna indicasset, ea tibi cum suis ad me literis notata, descriptaq; iampridem tradidisse, cuius quidē rei authorem habeo Romulum Amazæū, qui id se de eodē Egnatio istic audisse diceret. Quod si ita est, satis mirari non possum, ea ad me nondum esse perlata, presertim cum tuam in me uel fidem uel diligentiam nunquam desiderarim. Equidem cum multa mihi, quæ uerear, in mentem hoc loco ueniunt, tum nihil æque metuo ac ne illa animaduersionum ratio in alienas manus peruenerit, quod non accidisse, q̄ mea intersit, non ignoras. Tota de re si me certiorem q̄primum feceris, & me magna sanè molestia liberaris, & mihi tam gratum q̄ quod gratissimum feceris. Saulius noster Genuam proficiscitur ad fratrē, aqua subter cutem fusa grauiter laborantem. Reditus sui spem nobis facit ad hiemē proximā. Ego reditum non puto. Vale. Patauij Cal. Maij.

CHR. LONG. GVLIELMO BVDAEO S.

Tsi cum Iac. Sadoleti literis, meas quoq; nuper ad te dedi, tamen cum Nicolaus Deius Samarobrinus, istuc proficisceretur, homo tibi quidem minime notus, sed tui tam cupidus q̄ studiosus mei, non potui ei, id etiam atq; etiam à me uehementer petenti, nihil ad te literarum dare, q̄q̄ mehercule quod scribam non satis occurrit, nisi tu hoc mihi permittis, ut te pro incredibili meo erga te amore, ad eam, quam de uirtute tua concitasti, sustinendam tuendamq; expectationem iterum cohorter. Neq; enim uti cesses, iam tibi aut integrum, aut omnino postulandum est, qui causam tua sponte suscæperis, ac te reip. in ueterem dignitatem libertatemq; uindicandæ principē, bonis omnibus professus sis. Neq; uero, eo fides tua liberata est, quod ille ad recuperandam libertatem exercitum comparasse uideatur. Comparauit enim copias, numero quidem magnas illas, sed genere, & usu exiguas, idest tyronum & collectitias, hasq; ipsas leuibus prælijs q̄ statariæ pugnæ aptiores. Iam si, ut nunc quidem est, bellum ducendum fuerit, eum tu sumptui in rem militarem faciendo parem fore putas, qui ne rem quidem familiarem ære suo tueri potest? Quod ut animo ad conferenda signa paratus uenerit, non tamen ignoras, quantum in acie tyroni committendum sit, eo presertim duce, qui neq; scientiæ rei militaris, neq; authoritatis, neq; sanè felicitatis satis attulerit. prorsus ut hoc nomine hominē lau-

dare possimus, quod nec de Rep. desperarit, & ad afflictæ auxilium, magna cũ spe, ac uoluntate optima accesserit, in eo fortasse non nihil reprehendere, quod neque uiribus, neque facultatibus suis, neque rei magnitudine difficultateq; satis explorata, in speciosis quibusdam honorum nominibus, & nudo bonæ mentis animo satis esse præsidij existimarit. Sed non propterea cuiquam stomachũ facere, aut te ab instituto opere abducere debuit. Id enim perinde fit, ac si tu, grauiter ægrotanti amico, ea re opem afferre nolis, quod alius quispiam uel cunctatione tua offensus, uel diutina absentia inuitatus, morbo, quem tu nondum omnino depulisses, mederi frustra tentarit. Possis huic forte succensere, quod eam, in qua non satis scientiæ habeat, artem exerceat misero illi propterea deesse nõ possis, cui etiam hoc te maturius succurrere decet, quod iam perspectum habeas, nisi tu medicinam unus feceris, illi statim pereundum esse, idq; medicorum partim inscitia, partim iracundia, quorum utrum crudelius sit, tibi dijudicandum relinquam. Quod si de prouincia, quam necdum obisti, et in qua tibi summo bonorum omnium consensu, imperium prorogatũ est, homini nobisq; iratus, eo decessurus es, quod eam ille sibi tecum esse communem putarit, nec quæ gessisti omnia comprobarit, uide ne eandem in te animi equitatem desideremus, quam tu anno superiore in Erasmo Rhoterodamo requirebas. Meministi quã tu illum grauiter abs te obiurgatum esse uolueris, quod non satis placatæ Iac. Fabri sententiam (qua ille eum, tãquam de religione male existimantẽ corriperet) tulisse uideretur, cum tu nunc tam acerbe feras, ausum eẽ aliquem, non de summa rei quidem illum, sed de belli gerendi ratione à te paulum dissentire? An tibi in causam ingredienti, illud in mentem non ueniebat, nequaquam defuturos homines, qui partim maleuolentia partim imperitia res tuas inique æstimarent? ac te in eo potissimum damnarent, in quo industriam tuam nemo satis neque laudare, neque sanè admirari possit? hoc si nesciebas, et tuam profecto, & imperatorum omnium causam ignorabas. Verum quod ad rem pertinet, tantum abest, ut ille de laude tua quicquam delibarit, ut eo quidem facto, & stultitiam ipse suam prodiderit, & uirtutem tuam, claram illam omnino & sua sponte nobilem, sed illustriorem tamen reddiderit. Sic enim omnibus persuasum est, illa tua proxima uictoria, immo uero gloriosissimo triũpho, in Po. Romani ærariũ, iam planè tot seculis exhaustum, illatas esse abs te omnes omniũ ferè gentium opes, idq; nulla cuiusquam iniuria aut omnino querela, quo quid uel admirabilius, uel certius dici possit, non sanè uideo. Restat bellum aliud, quod si ex sententia, ut spero & opto, confeceris, est enim abs te iampridem incohatum, & ut uere dicam affectum, debebit tibi Po. Romanus ciuitatẽ

suam, non maximis modo opibus beatam, sed optimis etiam legibus & institutis fundatã, atque stabilitam hic tu mihi delitias facis, quasi ea exceptione, operam tuam reip. sis pollicitus, ut ne alius quisquam manus operi admoliretur. Id si ita est, & (ut inuersionibus tuis tecum agam) te initio unum huiusce ædificationis redemptorem, uel dominum potius fuisse contendis, cur non aut illi nouum opus statim nunciasti? aut interdicto, quod ui aut clàm, cum eo ad restituendum opus experiris? potius quam ipse nunc boni uiri officio non fungaris? Planè si profiducia formula, inter bonos bene agier oportet, ac tu id nobis bona, nec aliena fide recæpisti, sarctum etiam tectum opus nobis præstes oportet. Nec enim, ut ille se expromissiorem ultro obtulerit, illud certe planum feceris, populũ illius fidem sequi maluisse quàm tuam. Nam quæ tu mihi narras prædia, ea optimo esse iure omnes negant, sed nec prædes omnino locupletes esse cæsares ipsi contendunt. Equidem neminem conueni, conuenio autem quotidie plurimos, qui non & illi hanc operam libenter remittat, & te unũ esse fateatur, qui possis extrema cum primis contexere, addo etiam, qui non te, hac dere multum accuset, mecumq́; quasi tecum expostulet, qđ hominum expectatiõem tam diu suspensam teneas, in eo presertim exoluendo nomine, cuius cum optima iam pars sit abs te expuncta, tum reliqua tibi expeditu est facillima. Quid multa? iustas eorum querelas sustinere iam non possum, qui te non dico appellant, sed planè flagitant, idq́; suo iure, quando fidem ipsis tuam priore expeditione obstrinxisti, posterio re etiam confirmasti, te ad assem exoluturum esse, quicquid unquam Populo spopondisses. Et re uera satius esset nihil initio mouisse, quàm tanta excitata expectatione, non modo hominum opinioni non respondere, sed etiam sui dissimilem euadere, fidemq́; suam nulla de causa labefactare, ne quid hic dicam, quàm superbum sit, tot hominum desideria aspernari quàm stultum, cum id nullo possis negocio, nolle de Rep. summa cũ tua laude optime mereri, in cuius quidem administratione, si te ille non nihil interpellasset, atque adeo offendisset, esset tamen tuæ cum prudentiæ, tũ etiam modestiæ, atque humanitatis, maiorem omnino Reip. quam priuatarũ simultatum rationem ducere. O mi Budæe, si uera sunt, quæ decessatione illa tua scripsisti, et in ea, quam mihi significasti, sententia permansurus es, parum te scilicet nosti, qui de alijs tam sapienter iudices. Tu istam igitur spem, immouero hanc, quam in manibus habes, gloriam tibi uel turpiter eripi, uel turpius etiam perire sines? Nõ sines opinor, si tuos sensus bene cognitos omneis habeo. Scio enim & quàm officio constãtiæq́; tuæ deesse nolis, & quibus nomen tuum uirtutibus atque ornamentis immortalitati commendare uelis. Noui animi tui grauitatem, noui altitudinẽ,

quæ nec ad inferendam iniuriam ullo modo possit adduci, neque ad referendam facile impelli. Quod si illius odio in nos durior esse perges, uide ne probabilem nacti sermonis materiam homines, ut cuique commodum fuerit, dicant, aut tibi bonam mentem, iracūdiæ tumore ablatam esse, aut te non quidem iudicio uigiliam tuam alij tradidisse, sed metu territum relicta statione fugisse, aut (ut optime tecum decidat) socium laudis ferre nō potuisse. Cupio enim te, pro ea quam mihi tecum intercedere uoluisti necessitudine, non omni modo culpa, sed omni etiam iniquorum crimine carere. Quod si causa, suadendoq; parum proficimus, iam uero precibus & gratia contendimus, ut uel nostra, uel tua, uel ipsius reip. causa, exitus principijs consentire uelis, idest, ut cuius magna ex parte salutem per te recuperauimus, eiusdem per te quoque & ornamenta, & iura aliquando recepta conspiciamus. Sic enim certe fiet, ut Po. Romanus intelligat, Gallos olim nunquam tam hostili animo urbem diripuisse, q̃ ijdem nunc studio ad eam ipsam, quam alij euerterunt, instaurandam restituendamq; incumbūt. Tu modo caue ut quod tāta tua, tanta patriæ tuæ laude opus facere cœpisti, id incohatum & rude ijs perficiendum expoliendumq; relinquas, quos forte ut fabros aliquis, nemo certe ut architectos ad istiusmodi ædificationem adhibeat, Tuum est hoc munus, tuæ partes à te hoc omnes, qui uel remp. saluam esse uolūt, uel dignitati tuæ fauent, uel ocio suo consulunt, non expectant solum, sed etiam postulant, q̃quam enim tantas rebus suis tum fortunæ tum dignitatis accessiones consilio, uirtuteq; tua factas esse fatentur, quantas in mentem uenerat optare nemini, tamen contenti non sunt, atque cum pro illa, qua quōdam florebant, gloria rerum omnium maxima, tum pro opum, animiq; & beneficij tui magnitudine incredibili, abs te maiora desiderant, nec quicquam esse tantū sibi persuadent, quod non à te perfici atq; facillime præstari possit, Quod uero in Gallia natus es, non tam eo iam quidem uulgo mouentur, quàm bonis omnibus persuasissimum est, Romanos eos esse & numerari debere omneis, qui nec sermone, nec animo, nec religione, nec legibus à Po. Romano dissideant. Extremum illud erit, ut si nobis in eo morem gerere non possis, uelle enim te certo scio, officium meum arrogantiæ ne condēnes, quod ijsdem de rebus, & uerbosius fortasse quàm par fuisset, & uehementius quàm tua, meaq; patiatur ætas tecum agere sim ausus. Verum alterius causam, meus erga te amor substinebit, cuius testificādi gratia, magis quàm ut prudentiā tibi ostentarē meā sæpius in eandē sententiam ad te scribo. Alterius cupiditatem, rerum abs te gestarum præstantia tuebitur, quarum equidem studio incensus, facere non possum quin ut de reliquo optime spero, sic tibi interdum succenseam, quod cum nobis tan-

tam felicitatem tam diu inuideas, tum nonnullis hanc li gurientibus laudem tam facile concedas, quam tibi mehercule totam uni et deberi, & reseruari integram summopere cupio, ut idem tu nobis remp. in pristinum statum restituas, qui primus in spem libertatis ingressus sis, unusq; tanti operis & fundamenta ieceris & princeps eius authorq; extiteris. Qui sit rerum mearũ status, & si ex proximis meis ad te literis cognoscere potuisti, ex hoc ipso tamen qui tibi has reddidit, planius omnia & uberius intelliges, in primisq; illud, cur uicena illa quina in annos singulos sestertiorum nummum millia, quibus me Po. Florẽtinus inuitat, non tanti faciam quanti multorum opinione fiunt. Cur cõmentationes nostras de animalium, plantarum, mundiq; & cœli natura, quas superiore hieme in apertum proferre constitueram, in aliud tempus reposuerim, quibus me literis tum Pont. Maximus, tum. S.P.Q. Romanus in ciuitatem accersierint, tum uero quodnam secutus consilium huc me contulerim. Quid quæris? in tota uitæ nostræ ratione nihil sanè est, cuius te is certiorem facere non possit, ita est homo & prudens & rerum nostrarum curiosus, ea porrò doctrina atque animi magnitudine, ut cum ipsum iureconsulti, principatu studiosæ iuuentutis abeuntẽ, omnibus sui ordinis insignibus ornandum, ob rem in eo magistratu præclare gestam, decreuissent, non ante illo sibi honore utendum duxerit, quàm tyrocinio, suæ in iure & scientiæ authoritatem constituisset, & memoriæ fidem apud omnes fecisset, ut iam non possis hominem multis nominibus commendatum non habere, sed illo maxime, quod tum tui, tum scriptorum tuorum tanto teneatur studio, ut in eo quidem uix mihi cõcedat, qui me huiusce rei principatum obtinere arbitrabar. Sic tamẽ uelim ut eum honoris mei causa omni tua humanitate beneuolentiaq; complectare, atque ad id quod ipsius causa uelle debes, cumulum meæ commẽdationis adijcias. Hoc si feceris, erit mihi tam gratum quàm quod gratissimum. Salutẽ Ludouico Ruzæo, & Fr. Deloino, quorum alterum citerioris Galliæ prætorem expectabamus, alterum offensiore in nos animo esse audiebamus, quæ res planè fecit, ut ei literis obstrepere non sim ausus. Placa mihi, quæso, hominem, quẽ minime omnium uelim habere iratum. Ita est de me meritus, ut nihil ei meo nomine abs te pollicendum nõ censeam, quo quidem uoluntatẽ eius recuperemus. Quicquid promiseris, bona id ego fide præstabo, modo ne me istò reuocetis. Vale. Ex urbe Patauio pridie Cal. Septembr.

Obsignaturo epistolam, mihi uenit in mentem, te admonere, quanto meo periculo, huiusmodi literæ, nisi abs te diligenter reconderentur, in alienas manus peruenturæ essent. Quare tum has, tum eas, quas ad te proxime dedi, si modo salus mea tibi curæ est, statim conscindes, aut ita certe,

nequando emanent, comprimes. Vix credas quàm hic omnia mea scri-
pta, dicta, facta in suspicionem ueniant, tanquam id unum mihi sit ope-
ris, ut de Italiæ dignitate, quàm possum plurimum detraham, cum si-
quis unquam de nostris hominibus, huic nationi fauit, ego & faueam
multũ, & tribuam meherculè plurimũ. Non temere hoc scribo, qui singu-
lari quodã hac in re sum fato. Nec enim nescis, quas mihi Romæ turbas
concitarit, illa nostra de Gallorum laudibus declamatio. Quàm item à me
abalienarit Erasmũ Rhoterodamũ, epistola quædã, de uobis ad Iac. Lu-
cã conscripta, quã etiam (si deo placet) idẽ Erasmus, cũ nec ab ipso, nec
ad ipsum missa esset, in uolumina referendam & unà cum suis edendã
curauit. Pari temeritate prolatus est in Italia, ab amicis quidem nostris
illis, sed me non consulto tamen, defensionum mearum libellus. Valentiæ
autem quædam mea in iuris prudentiæ laudem Oratio, cum quicquid
huiusmodi nugarum commentor, id non ad ingenij doctrinæ'ue famam
cuius quidem illæ capaces non sunt, sed uel ad præsentem modo usum, uel
ad comparandam aliquam dicendi facultatem mihi perscribam. Equi-
dem non facile dixerim, ista ne me scripsisse pœniteat iam magis an pude-
at, tametsi non tam mea infantia quàm istorum, qui & contra uolunta-
tem & præter opinionem meam nugas illas in apertum protulerunt,
culpa traducitur. Atqui facilis sit huiusce existimationis iactura, illud om-
nino non ferendum, quod me uulgo hominum opinio ex scriptis meis in
crimen inuidiamq; adhuc uocat. Itaque, nisi me styli pœnas hic dare uis,
neque enim obscurum esse possit, ad quem ἀλληγορίαι illæ nostræ perti-
neant, inscindes utranque epistolam, aut sic eas asseruabis, ut nunqam
exeant, quanquam enim nulla equidem maleuolentia in hominem suffu-
sus hæc ad te scripsi, qui sanè ab ingenio eius nec studio nec uoluntate ab-
horreo, & egregium illum ac præclarum ad ius ciuile nobis restituen-
dum animum cum laudo magnopere, tum meherculè etiam exosculor,
ea tamen mea hic est causa, ut mihi uel de cuius uis ingenio libere pronũ-
ciare solutum non sit, neque adeo interrogato tacere, integrum. Si laudo
blandiri, si uitupero, odisse, si taceo, inuidere me suspicantur. Cur te igitur
inquies ad nos nõ recipis? apud quos tibi uel planè tacere, uel etiam aper-
te quæ sentias, dicere liceat? Primum, quia & si imperitam multitudi-
nem partim obscurius iniquam, partim non dissimulanter infestam expe-
rior, tamen omnes omnium ferè ordinum principes ad causam adiũctos
habeo. Deinde eorum hic mihi & iam facta est, & ut spero fiet, græco-
rum librorum potestas, sine quibus instituta à nobis opera nunq̃ neq; ex sen-
tentia neque ex dignitate nostra absolui potuissent. Postremo, ne quid hic
de P. Bembi & Iac. Sadoleti erga me uoluntate dicam, qui sibi nullum

mei ornandi finem faciunt, à Pont. Max. honeste discedere qui possum? cũ me is non solum in illa temporum meorum nouitate, sua authoritate saluum & urbis compotem praestiterit, sed etiam nunc ocium meum liberalissime tueatur, pollicitus se fortunam meam suis quoq; beneficijs honestissime ornaturum, si in eas toto pectore literas incumberem, quarũ spe ad summam laudem, omnium expectatione, me uocari ipse sibi persuasisset. Sed haec subtilius cum magis uacabit. Illud te uehementer etiam atque etiam rogo, ut Ruzae nostri animum mihi recolligas atq; restituas, simul & ut in omnibus tuis epistolis, quas ad Bembum, aut ad Sadoletum mittes, legitima quaedam neq; ea uulgaris nostri commendatio accedat, quanquam enim mea causa nihil non ultro facturi uideantur, tamen rebus meis multum conducere arbitror, ut per literas tuas me meaq; omnia tibi curae esse intelligant. Id si feceris, & ex intima tua arte mirificum quoddã cõmendationis genus deprompseris, faciã ut aliqñ intelligas, te officiũ tuũ apud hominẽ memorẽ minimeq; ingratũ posuisse. Iterũ Vale.

CHR. LONG. P. BEMBO S.

Pollicitus sum tibi superioribus literis, quod commendatione tua profectum esset, id primo quoq; tempore ad te scribere. Nihil igitur, ut nunc quidem est, adhuc profecimus, neq; id ipsius tamen culpa, qui se nihil tua causa non facturum Bolducco recaepit, sed mea quodammodo ignauia, qui nondum hominem conueni, ueritus primum, non accersitus ad eũ, qui occupatissimus esset, accedere, deinde ne si literis tuis fretus, quas ille à me nõ accepisset, ultro accederem, contra atq; inter nos conuenerat, idq; ipsum neq; loco neq; tempore facerem. Postremo metui, ne me multam graecis literis operã aliqñ dedisse, alicunde rescisset. Est enim eo in graecos animo, quo ille, qui ad uillam suã graeca uia ut iret, animum inducere nunq̃ potuit. Iocari me putas? serio tecum ago, siquidẽ uera sunt quae audio. Audio autem hominẽ sibi psuasisse, ut quisq; optime graece sciat, ita eẽ nequissimum, neqssimũ aũt? immo uero etiã indoctissimum. Itaq; si cõmendationẽ tuam renouãdam esse mea causa putabis uelim eum cõmonefacias, nihil me minus q̃ optime graece scire. Quod si diligenter feceris, & uerũ mehercule scripseris, et me magna inuidia liberaris. Atqui nec te itẽ illud lateat uelim, quod mihi hoc ipso in genere perquam ridiculum accidit. Postridie eius diei quàm Bolducus literas tuas illi reddiderat, descendebam in forum & spei & animi plenus, cum ecce tibi incurro in praetorem ipsum & urbis praefectum, purpuratos ambos, ac magno comitatu ad eam quam

Incolimus urbis regionem proficiscentes. Ego qui me cum mea sponte illis antea satis esse commendatum arbitrabar, tum uero commendatione tua gratiosissimum iã esse iudicabam, statim suspicatus sum eos ad me, quo uel beneuolentiam suam ergo nos testatiorem, uel commendationem tuã illustriorem facerent, officiose uenire, tamen cum neq; pudor meus ferret, ut cum tantis uiris temere congrederer, & mihi etiam honorificentissimum fore ducerem, ut ij domum meam uentitasse dicerẽtur, de uia paululum ad laeuam deflecto M. Antonium Flaminium, qui mihi unus comes haerebat, identidem num quonam illi? rogitans quo negante. Quin igitur, dum hi cum toto absunt comitatu curiam spectatum imus nondũ à me per ocium uisam? Id eo consilio commentabar, ut ibi fabulae exitum expectarem. Redeunt illi tandem, ego me in litigantium turbam cõijciẽs abdo, iam enim me & meae ambitionis pudebat, & quod eis domi praesto non affuissem, poenitebat. Quo ad aedes nostras accedebam propius, eo magis tacitus mirari, neminem nobis occurrere, qui rem tantam nunciaret. Ingredior, silentium ubiq; silentium, percunctor, nullum de praetore uerbum. Quid multa? coepi ipse aliquando mecum & stultitiam meam ridere, & quod erat statim coijcere nihil illi minus q̃ res meas esse curae, quod quidem pro animi nostri facilitate aequi, boniq; fecimus, & si res coget, posthac etiam facturi uidemur. Paucis ante q̃ has ad te darem diebus, rumor hic erat, te rem tuam bene gessisse, sed is etiam raucus factus est, & ad me non satis constanter perlatus. Tu siquid erit, quod amicis tuis iucundum fore iudicabis, aut scribes ipse, aut aliorum certe literis id nobis quoq; significandum curabis & ualebis. Nos enim ita ut cum maxime & ualemus & studemus. Cum has ad te scriberem, cogitabã Venetias animi causa, unde ad te literarum aliquid fortasse dabimus.
Ex urbe Patauio Idib. Octobr.

CR. LONG. FVRNIO MARIO MOLSAE S.

Exercebar trigorali pila domi cum M. Antonio Flaminio, cum Nicolaus Machaelus salutem utriq; nostrum tuis uerbis attulit. Quem cum rogassem, ecquid à te aliud? Nihil sane, inquit. Aderit enim propediem ipse. Sic tamen literarum aliquid à uobis interim expectat. Quid ita? inq̃, siquidem continuo congressuri sumus? nec ille, praeter salutẽ quicq̃. Hic cũ ille ɔticuisset, ego ad M. Antoniũ. Tu Flamini qd tibi sit licitũ uideris. Ego ad istũ scripturus nõ sũ, qui neq; me literis suis dignum unq̃ iudicauit, et accusatoris nostri nomẽ imortalitati ɔmẽdauit. Scripsi has tamen statim cũ paulũ à lusio respirassem mi Furni, ne uel tu id à me serio dictum existimares, uel

ego te in eo imitarer, de quo te potissimum subaccusare soleo, quanquam mehercule, quod scriberem nihil planè erat, nisi nobis aduentum tuum in summa esse expectatione, cuius quidem rei me primum suis literis certiorem fecit Fl. Chrysolinus, deinde Q. Lælius Maximus, quem Quinti prænomen secutum esse arbitror quod Quintiæ alicuius, ut tu Furniæ, cõsuetudine istic teneatur. Sed hæc & nostro more iocati sumus, & coràm liberius ridebimus. Tu modo fac uenias, uenies enim expectatus, non mihi modo, qui quàm libenter multas horas tecum ponã atque suauiter traducam, ipse meminisse potes, sed familiaribus etiam nostris omnibus, in primisq; St. Saulio & M. Ant. Flaminio, quorum alter per me salutem tibi ascribi, alter referri uoluit. Tu si ante quintumdecimum cal. Nouẽbr. diem ad nos exieris, fac omnino Venetijs iter facias. Nos enim ibi offendes qui cras, ad summum perendie, illò animi causa cogitabamus. Vale. Ex urbe Patauio prid. Cal. Octobr.

CHR. LONG. DIONYSIO MONACHO LERINENSI S.

Utinam eius essent generis meæ literæ, ut te, quemadmodum scribis, delectare possent, crebras omnino, nec eas sanè minus longas quàm optare uideris, à me acciperes. Verum cũ nec ipse tu, quanta ex sermonis latini paupertate laborem, ignores, & egomet mihi planè sim conscius quanta difficultate, præsertim ad homines doctos tuiq; similes scribã, ne mirere si uel rariores uel breuiores q̃ expectas à me tibi reddantur. Nam etiam cum nihil unquam ferè est quod tibi mittam, nisi te à me fieri plurimi, sed de quo ipse non dubites, tum uero si quid aliquando est, deest penè semper, cui id recte dari possit. Sodales igitur tui, quoties istuc proficiscentur, eius me rei certiorem faciant necesse est, & ipse tu scribendi argumentum aliquod nobis præbeas oportet, si modo meas elicere uoles. His enim ad tuas beneuolentia magis erga te mea adductus respondi q̃ quid responderem occurreret, nisi forte in eo epistolæ materiam à nobis quæsitam esse putas, ut me tibi tum de præterito, tũ ẽt de futuro silẽtio excusarẽ. Vale Patauio. iiij Cal. Iun.

CHR. LONGOLIVS GRÆGORIO CORTESIO S.

Quod posteaq̃ in Italiã redij, nihil ad te literarum dedi, id profecto neq; obliuione tui factum est, qui etiã si uelim, tui tñ obliuisci non possim, ita frequens & iucundus nobis hic est de te quotidie sermo, neq; sanè quin esset quod per literas tecum agere uellem, sed

quod ea erant in manibus, quæ nec literis, nec cuiuis recte cõmitti possent. Rem tenes, genus tabellariorum nosti. Nunc autem cum rationem ad te tuto scribendi inierim, scito mihi magis magisq; quotidie de rationibus tuis cogitanti, non iam placere ad rem, ea, quam tibi istic ostenderam, uia aggredi, ne si quid offendatur, iniquorum sermonibus detur locus, quos uel minima re ad deridendum contentos fore uideo. Sin ut uolo & opto cadat, ne rem mali exempli instituisse, nec tam doctrinæ studio, q̃ religionis odio eò confugisse existimemur. Quin etiam non possint multorum sustineri causæ, si tibi quod postulas à Pont. Max. uni concedatur, nec tu nõ temere de iudicio principum tuorum aut iudicasse aut desperasse, qui rẽ tam honestam ab eis non petendam esse duxisses. Huc accedit grauis illa inter uos & Pont. Maximum controuersia, ut ne si exploratum quidem sit illius nos compotes fieri posse, tamen uelim hoc tempore, ne ordinem deseruisse, uel etiam data occasione turpiter transfugisse potius q̃ studijs nostris præsidium quæsiuisse ullum uideamur. Equidem cum nostra plurimum interesse arbitror, grauitatem ut tueamur, neq; tam docti q̃ boni uiri hominum opinione habeamur, tum uero te non omni solum cupiditate, sed omni etiam cupiditatis suspiciõe carere uelim. Nec enim nescis, tametsi uoluntatem ea in re tuam quasi ambitiosam & inanem bonus nemo reprehendere possit, quàm tamen difficile sit his presertim moribus consiliorum nostrorũ rationes uulgo probare. Atq; si Romæ nunc essem, ipse tibi negocium nullo maiore negocio per me conficerem, operam quidem profecto studium, consilium, fidem, rem deniq; meam in eo tibi diligenter nauarem. Absens rem tantam per interpretes moliri sine periculo q possum? Itaq; ne per Sadoletum quidem nostrum quicquam mihi conandum arbitror, presertim cum crebris amicorum & ipsius maxime Sadoleti literis Romã uocer, quo si me aliquando contulero, omnes uias persequar, quibus ad id quod cupis peruenire posse putem. Sed audi casum planè diuinum, scribente me hac ipsa anxie, repente nuncius. Rem in cõuentu uestro ex sententia nostra confectam esse, habere iam te omnium munerum uacationem, tantum sodalitatis tuæ studiosis omnibus ocij publico patrum decreto impertitum, q̃tum tu uix uel per nos, uel à Pont. maximo consequi potuisses: Quid quæris? Sustuli manus, meq; à consilio & deliberatione ad gratulationem totum conuerti, presertim qui eam rẽ non modo facultatem apud tuos habuisse, quod uel ipsum planè desperabam, sed summo etiam totius conuentus assensu comprobatamq; fuisse perspicerẽ. Quapropter fruere isto mi Cortesi ocio, quo nihil neq; tibi accommodatius, neq; sodalitati tuæ ornatius, neq; nobis amicis tuis iucundius contingere potuisse iudico. Vale. Ex urbe Patauio quart. Cal. Iun.

CHR. LONG. AVG. GRIMOALDO PONTIFICI. S.

Vod magnum, cum tuæ in Christianam religionem pietatis, tum in optimarum artium studia animi, Lerina tua prisca dignitati restituta, idest doctissimis atq; sanctissimis uiris dicata, fructum caperis, nec ipse quidē dubito, & pro mea erga te obseruantia ualde etiam lætor & gaudeo. Nunc enim demūq;, nō fortunam quidem ipsam, quæ nihil hisce in rebus iuris haberet, sed Iesum optimum maximum optatis tuis respondisse uideo. Quod quidē tu, quasi ita futurum præuidisses, cœperas etiam (uti audio) ad amœnissimas illas fontium scaturigines magnificum opus facere, loco, mea quidem sententia, studiosorum hominum habitationi perq̄ accommodato, hanc quoq; ædificationem bene tibi ac feliciter euenire cupio, sed non mea minus q̄ tua causa, qui mihi illic nonnihil loci atq; ocij ad recolenda studia nostra abs te assignatum iri sperem. Literæ, quas ad Gr. Cortesium do, eius sunt generis, ut eas in alienas manus peruenire nolim, qua planè de causa cū tuis complicatas, & in tuarum fasciculum coniectas obsignaui, ueritus, ut si illi nominatim descriptæ essent, ne quem sodalium eius ad lectionem sui inuitarent. Itaq; mihi gratissimum feceris, si eas ipse tu illi reddideris, quod ut facias te uehementer rogo. Mitto ad te defensionum nostrarum librum, non quo hæ mihi magis probentur illis quas tibi istic legendas tradidi, sed ut intelligas quid acerbæ illi aduersariorum meorum accusationi responderim, qua me absentem & iam Roma profectum in crimen inuidiamq; apud Pont. Maximum uocassent. Vale.
Ex urbe Patauio quarto Cal. Iun.

CHR. LONG. STATHIO S.

Arie sum hodie tuis literis affectus, quæ enim officia in me tua commemorabas, fuerunt mihi non insuaues, quæ uero ad te esse allatum significabas, mihi epistolam nescio quā tuam non satis probari, haud mediocrem molestiam mihi attulerunt. Illud autem in eis odiosissimum, neq; medius fidius uel pudore uel ætate tua dignum fuit, quod propè minitabundus me ad inimicitias uocare sis ausus. Ego Stathi, quod scribis te, tum istic tum in Gallia probitatem, doctrinamq; nostram prædicare solitum, q̄q̄ id nunc primū audio, tamen facile credo, atq; de eo tibi gratiam etiā habeo. Quod aūt iniqui cuiusdam mihi hominis, eiusq;, quem tu uel indignatione tua indignum profiteris, sermonibus adductus, inimicitias mecum gerere non

recusas, in hoc planè modestiam tuã requiro. Nã prudentiam qdẽ aut cõstantiam dicere non ausim, quando nihil huiusmodi in hanc ætatem cadit, fuerat tamen tuæ istius præclaræ indolis, primum, hominis, qui illa in me conferret, æstimare ingeniũ, deinde naturæ nostræ moderationem, deinde ecquid de te in eo quidem genere detrahi poterat, postremo non statim tibi in animum inducere, te mihi displicere, si epistola quædã tua mihi non ita placuisset. At cognosce expostulationis tuæ æquitatem, fac me dixisse illud unum, de quo quereris, illam tuam in Salmonium Macrinum epistolam uisam esse mihi satis neq; elegantem neq; copiosam. An hæc tibi tandem iusta suscipiendarum inimicitiarum ratio uidetur? At erat (inquis) tui officij me admonere. Quasi uero tu eam mihi legendam tradideris, aut ut ea in re operam tibi nauarem me iam unquam postularis. Vide quàm inania sint, & quàm tu temere ea, quæ ad te delata sunt, credideris. Ego enim, neq; elegantiam neq; copiam in ijs literis me desiderare tum dixi, quanquam utrunq; desiderabã, sed humanitatem tuã, qui nulla iniuria lacessitus simultates tibi uel usq; trans alpeis cum homine utriq; nostrum amico gerendas putares. Quod quidem si à me ne communis concordiæ quidem causa dictum oportuit, tibi in communem amicum gratis scribere qui licuit? Sed nolo tecum accuratius agere, neq; sanè quæ mihi in mentem aduersus te ueniunt, ea hic perscribere, multo uero minus illa tibi commemorare, quæ te non modo in literas sed in mores etiam meos istic in dies singulos euomere audio, purgare me tibi tantum hoc tempore uolui, non te accusare, quod de me temere crediderìs, atque tam nulla prorsus de causa, non Romano quidem (ut tu arbitraris) sed planè gladiatorio more, inimicitiæ ac amicitiæ tesseram contemptim mihi proposueris, adiectis quoque insolentissimis illis uerbis, quibus te mihi acerbissimum infestissimumq; hostem fore pronuncias, nisi te mihi amicum deligerem. Quid si nolim? Atqui ea sanè tua est cũ ætas, cui facile ignosci possit, tum rerum humanarum imperitia, ut multa potius misericordia, quàm ullo insigni odio dignus uideare, ea autem nostra humanitas, ut istiusmodi ineptias facile concoquamus, is animus, ut minas fortiter contemnamus, ea religio, ut inimicitias fugiamus, & iniuriarum facillime obliuiscamur. Quare amicitiæ tesseram libens accipio, atque te interim pro instituta inter nos amicitia moneo, ut neq; in lacessendo posthac sis tam procax, & cæcum hunc animi impetum, si omnino tollere non potes, certe refrenes atq; cohibeas. Nec enim tibi mecum semper erit negocium, qui cum meæ facilitatis rationem libenter habeo, tum etiam indoli tuæ plurimum faueo, cuius si ardorem non ad suscipiendas uel gerendas inimicitias, quod planè

barbarum est, & homine christiano indignum, sed ad bonarum artium studium traduxeris, spero te non tibi modo, sed ciuibus etiã tuis magno aliquando ornamento futurum. Hæc ad te paulo quidem tristius atque seuerius q̃ mea natura ferat, sed fideliter mehercule & amanter scripsi, non qui amicorum meorum iudicio, literæ tuæ tam contumeliosæ tam minaces dignæ essent, ad quas tam humaniter rescriberem, aut omnino responderem, sed ne me tu tibi iratum existimares, si in eo, quo me ad re scribendum inuitaras morem tibi non gessissem. Quod quidem etiam mea sponte facturus fueram, tum ut animum tibi aperirem meum, tum ut te monerem, uideres etiam atq; etiam diligenter, quid tibi expediat, quid te deceat, aut si per te ipse id perspicere non possis, adhiberes in consilium uiros probos & homines amantes tui, quorum ex sententia nihil tibi facile minus licebit, quàm ut cum ætate, dignitate, fortuna, nostra deniq; erga te beneuolentia depugnes. Quod si aliter tibi faciendum ipse statueris, non tamen perficies, ut te omnino oderim. Illud fortasse assequeris, ut cum operam dederim, ne mihi quicquã consilia tua noceant, in utrã partem nostrum de te iudicium accipias, non magnopere laborẽ. Vale.

CHRI. LONG. P. BEMBO. S.

Moris erga me tui uestigia, nullis opinor literis uel plura uel illustriora imprimi potuerunt, q̃ ijs quas abs te proxime accæpi. Sic enim quocunq; me uerti lenissimis atq; amantissimis uerbis expressa apparent, ut etiam cum me obiurgas, magnam quandam tuæ erga me uoluntatis significationem perspiciam. Illud uero q̃ non iam significat, sed me meaq; omnia tibi curæ esse planè declarat, quod tot ac tantis, quas tu copiose quidem & eleganter collegisti, scribendi difficultatibus affectus, tamen tibi ad me scribendum duxeris. At quas literas? q̃ uberes? q̃ suaueis? q̃ subtiliter luculenterq; omnia, quæ ad nos pertinerent, explicantes? ut facillime animaduerterem, quantum in eo mea causa laborasses, qui maiorem meæ omnino q̃ tuæ quietis rationem habuisses. Atqui nolim uir optime mihiq; charissime Bẽbe, tantum mihi posthac tribuas, aut omnino quicquã meo nomine in scribendo industriæ ponas, siquidem interim tibi cum huiusmodi literarum facietate, uel etiam (quod minime omnium uelim) cum ualetudine tua pugnandum esse cognosces. Mihi quidem certe satisfactum putabo, si ex literis tuis, meas tibi redditas eẽ, intellexero. Neq;.n. dubiũ mihi eẽ põt, qn si eas legeris, pro ea quã mihi tecũ eẽ uoluisti necessitudine, mãdata ẽt nostra diligẽter curaris. Itaq; te oĩ ista accuratius scribendi molestia libero,

quanquam mehercule in litterarum tuarum lectione, quasi in aurea illius ætatis specula quadam libenter acquiesco. Verum non id mihi sumo, ut uoluptatem meã commodo tuo anteponi uelim. Quod autem te negocia nostra cum Io. Pino, Regis Francĩ legato procuraturum scribis, de eo sic uelim ipse statuas, ut omnia tibi putes ex re & tempore constituenda, neq; uerbum à me in posterum hac de re expectandum esse. Primũ quia nihil certi, ad quod literas meas accomodem, habeo. Deinde quia siquid in his prouideri potest, uos id melius. Quare uelim quidem à uobis factũ egregium aliquod prius audire q̃ id futurum sperarim, sed quãdo id nõ tam in uestra q̃ fortunæ ipsius manu positum uideo, non equidem ipse uos ne mihi desitis rogabo, sed Deũ potius immortalẽ ne studio diligentiæq; uestræ desit, comprecabor. Illa porrò mea, tuorum in me beneficiorum commemoratio, non eò quidem spectabat, ut uel auribus tuis aliquid darem, qui sum unus omnium (ut nosti) minime blandus, uel locum mihi apud te quærerem, qui me fratris habes loco, uel te in me amando confirmarem, qui de constantia tua nunquam dubitaui, sed quo me tibi memorem atq; gratum probarẽ, tam & si istuc mihi modice, uel intra modũ potius & raro uideor fecisse, qui nullum eiusce rei locum sine nefario scelere potuerim prætermittere. Sed quando ea es animi moderatione, ut tibi ne gratias quidem ab amicis agi uelis, erit mihi posthac tua uoluntas officio meo antiquior, presertim cum ineptum sit, me, qui tibi uix re satisfacere possum, uerbis gratiam referre conari. Quod autem me ad omnem abijciendum timorem, graui illa tua disputatiõe cohortaris, atq; interea etiam amanter subaccusas, quasi saluti meæ diffidere hic demiq; incipiam, qui Romæ tam fortiter atq; intrepide imperitæ multitudinis impetum sustinuissem. Ego uero mi Bembe non tam magno animi motu perturbatus sum, quàm aut tu quidem existimas, aut pars etiam quædam mearum ad te litterarum significare uidebatur. Sic autem tecum egi, ut mecum interdum soleo, cum illa mihi propono, quæ homini, cuius ea sit, quæ mea est causa, accidere & possunt & solent. Equidem ad neminem, præter te, in eam rationem scripsi, cum domesticis ne uerbum quidem feci. Neq; tamen magna iusti metus causa non fuit. Nam si ad uos undiq; proferuntur omnia, audistis scilicet aliquid de indigna illa, quorundam ex Gallia procerum, nonnullorum item & studiosa iuuentute adolescentium cæde, quos hic per eos, quibus illa ad te scripsi dies, crudeliter trucidatos esse constabat. Accedebat eodem, quod ex nequissimis illius Sinonis nostri gregalibus emissarij quidam, partim me literis minacissimis contumeliosissimisq; ad inimicitias uocarent, partim non bellos de me rumores dissiparent, alij Lazarum nostrum iniquis sermo-

nibus in me incitare conarentur. Quibus equidem rebus commotus, non ego quidem, ut meæ firmitudinis eſſem oblitus, ſed certe ut te improbitatis iſtorum facerem certiorem, ſcribendum ad te putaui, idq; magis ut me tuis conſilijs aduerſus impendentia mala munirem q̃ præſentibus, quæ caueo magis quàm timeo, perterrefierem. Solutus enim ab omni grauiore cura tum eram, cui quidẽ rei argumento uel epiſtola illa mea eſſe poſſit, quam ſummam animi mei lætitiam, non modo tranquillitatem, optima ſui parte præ ſe tuliſſe non ignoras, & ſi meherculè non eadem hic eſt tẽporum meorum ratio, quæ anno ſuperiore iſtic erat. Tum enim conſilio & authoritate de iure publico diſcæptabatur, eoq; mihi forte parcebatur, quod aduerſarij noſtri uictoriam ſibi deſpondiſſent. Nunc uero non ea ſolum ſpe deturbati, ſed etiam turpiſſime uicti, ad extrema conſilia deſcendunt, nec ex iure manu conſertum, ſed pilis & gladijs rem repetitum ueniunt. Iam mihi iſtic cum Po. Romano erat negocium, qui me iudicio et legibus, q̃ ui atq; oppreſſione uincì maluiſſet. Hic mihi res eſt cum portentis neſcio quibus, quos neq; S. P. Q. ipſius Romani iudicium, neq; pudor ullus, neq; ius aliquod ad æquitatem animi traducat, ſed ſuus furor, ſua immanitas ad latronum gladiatorumq; conſilia præcipites agat. Eo ſanè factum eſt, ut non ad te modo & M. Antonium Michaelem pluribus uerbis ſcripſerim, ſed Venetias etiam ipſis obtrectatoribus meis in eandẽ ſententiam reſcripſerim. Nec enim aliam profecto, quemadmodum me ab iſtorum calumnia uindicarem, rationem inire potui, niſi tu forte à me nullum meæ in nomen Italum beneuolentiæ ſignum datum uelles, ne tum quidem, cum me iſti in crimen inuidiamq; iterum uocarent. Atq ocium tuum huiuſmodi cogitationibus perturbari nollem. Sapienter hoc tu quidem & amiciſſime præcipis, uerum non me tam ſolicitum ea res habuit, q̃ tu tibi perſuades. Ita enim uitam meam iam pridem inſtitui, ut mihi nihil magnopere metuendum, neq; adeo in malis numerandum, quod quidem à culpa abſit, exiſtimem. A qua culpa, cum abſim, hac certe in re, q̃ qui longiſſime, non tam moleſte iſtorum calumnias accipio, q̃ tibi nonnunquã uideor ferre. Omnino eo ſum animo, quo tu eſſes, ſi te in eum fortuna caſum demiſiſſet, ut aut iniuriam ferendo impius, aut crimen diluendo timidus querulusq; haberere. Quæ ſanè cauſa fuit, ut iſtos de me impune concionari nollem. Equidem in cæteris cauſis facile tacere poſſum, ſimulac uero quis uoluntatem meam, tanq̃ à uobis alienã, atq; (ut iſtorum uerba ponam) Italiæ infeſt m, populari odio ſubijcere conabitur, non diſſimulabo contumeli m, neq; ſanè committam, ut taciturnitatem meã iniquus interpres conſciẽtiæ aſſignet. Quid. n. ſiquis me, quaſi de religione male ſentientem, publicæ inuidiæ obijciat, tacendum mihi

putabis? Non putabis opinor, quare nec isti, cum me contra Italiæ digni-
tatem omnia non facere tum dicere calumnientur, id quidem tacitum tu-
lerint. Scitum est .n. illud iureconsultorum. Qui tacet, fatetur, confessus pro
iudicato habetur. Purgatum me tibi quidem, immo uero ne in suspitionē
omnino neq; apud te, neq; apud tui similes unq̃ uenisse certo scio. Sed nō
aliter tamen exulceratis cæterorum animis mederi possum, q̃ si aut falsa
ea esse ostendam, quæ in me conferuntur, aut istos, qui se Italiæ dignita-
tem atq; Po. Ro. maiestatem aduersum me tueri gloriantur omni cura
diuturnaq; solicitudine liberaturus Lerinam commigrem. Quo circa à te
peto, ut te meo uel dolori, uel si mauis timori, æquum iudicem præbeas, si
& me olim Romæ temeritatis damnare solebas, quod imperitæ multitu-
dinis minas insidiasq; fortiter contemnerē, & ea nostra est causa, ut piū
meū silentium in contrariam partem facillime rapi possit. Neq; tamē est,
ut supra scripsi, quod studia mea his contentionibus interpellari metuas,
quando nullam in eo iacturam, nonnihil etiam forte lucri, in exercendo
stylo, fecimus, cuius ego te rei testem laudare possum, si modo uera sunt,
quæ de accessionibus in scribendo nostris, epistolæ tuæ consignasti. Quod
si me non tam præsenti iudicio, q̃ reliqui temporis expectatione adductus,
ad summā cohortari uoluisti, tū mihi bene sperandū est, ut .n. illa literarū
tuarū particula, qua te mihi fortitudinis præceptorē præberes, omnē ani-
mi mei metum, si timidus essem abstergere potuisset, ita admonitio & ad
hortatio illa tua τοιῶτην τὴν γραμμὴν urge, rem non habere modo fa-
cultatem, de quo quidem dubiū mihi diu fuit, sed nobis etiā ut uolumus
& optamus aliqn̄ processurā ostendit atq; pollicetur. De Mariano Castel-
lano quod fecisti, est id mihi tam gratum q̃ quod gratissimū. Sed maximo
me certe gaudio cumularis, si hominē mea causa, omni humanitate comi-
tateq; tua q̃ honorificentissime complectendū susceperis, id est re, uerbis,
uultu deniq; expresseris, & quanto tibi studio dignitatem eius coràm cō-
mendarim, & q̃ tu illū meis etiā literis habeas cōmendatū. Pari uelim li-
beralitate Lælium Maximū cōprehēdas, uirū mihi et familiarissimū, et illa
meorū temporū nouitate probatissimū, de quo tecum hoc breuius ago, cum
quod de homine tibi non prorsus ignoto scribo, tum quod, si quosum in ho-
minibus amicisq; deligendis iudicio, cōfido eū se tibi sua sponte satis esse cō-
mendatum, uel iā potius esse cōmendatissimū. Quod si ita est, peto à te, ut
ad id quod ipsius causa iam uis, addas cumulum commendatiōis meæ,
sin autem tibi aut propter uerecundiam suam, aut propter occupationes
tuas, nondum satis est cognitus, sic eum tibi commendo, ut uirum opti-
mum, hominem honestissimum, eundemq; neq; à studijs nostris abhorrē-
tem, neq; amicitia tua indignum, ab homine pernecessario commendari

par sit. Cum has ad te dabam & consilium peregrinationis, de qua ad te antea scripsi, deposueram, neq; Marinum Georgium adhuc conuenerам, quem tamen ex Bolduci oratione, nihil non tua causa in rem meam facturum intelligo, sed id erit alterius epistolæ argumentum. Flauio nostro & Fondulo literas, quas in eundem cum tuis fasciculum conieci, reddendas curabis, & meis uerbis saluere communeis amicos iubebis. Vale. Ex urbe Patauio xvi. Cal. Octobr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Crebras aduentus tui expectationes Lazarus Bonamicus nobis commouit, qui te, quotiescunq; istinc redisset, redibat autem septimo quoq; ferè die, huc animi causa propediem exiturum nunciabat. Qua quidem opinione, me iustum iam mensem Patauij continuisti, Venetias statim cogitantem. Nunc uero cum tu minus ad nos, nos scilicet accurremus ad te calendis, aut postridie. Tu fac sint omnia ad eum diem parata, sed non ut antea, cum te morbi magistro, atq; etiā medico utebar. Iā enim, si nescis, & morbū olim depulimus, et in aduersarij nostri Epicuri castra trāsiuimus, explorator, an trāsfuga? nondum habeo dicere. Sed tamen hospitem expecta, qui tibi domi tuæ nihilo minore indulgentia tractandus sit, q̄ Vibius Pacciacus M. Crassum Cirmanis temporibus in spelunca delitescentem accepit. Rides? Atqui certe spero hospitium tibi nostrum non minus gloriosum aliquando fore, quàm illi, quod exulem suscepisset Crassum, fructuosum fuisse suspicamur. Hoc asperfi, ut me Epicuri epistolas quoq; perfidenter imitatum intelligeres, qui ad Idomenæum Regis Persarum præfectum græce quidem, sed in hanc sententiam scripsit. Si gloria tangeris, nobiliorem te epistolæ meæ reddent, quàm omnia ista quæ admiraris, et propter quæ te uulgus suspicit. Sed ut ad id, quod institui redeam. Decreui paucis istis, quibus tecum futurus sum, diebus, omni prorsus abiecta literarum cura, animiq; sollicitudine deposita, cum natura in gratiam redire, idest genio, quem quinq; ipsos menseis misere defraudaui, aliquando tandem indulgere, quod me ita demum ex animi mei sententia facturum confido, si tu nobis quàm libenter cœnas facere soles, tam diligenter etiam, lauteq; cubile instruas. Sed hæc coràm liberius, liceat mō istò uenire. Vale. Ex urbe Patauio v. Cal. Octobr.

CHR. LONG. HIERONYMO FONDVLO S.

Quod nihil ad te iamdiu scribo, caue id aut obliuione tui fie ri putes, qui mihi hæres in medullis, aut contemptu, quem tu tum esse bonum & doctum semper iudicaui, sed uel certa mea pigritia, quã in hoc ocio contraxi, uel nimia inter nos familiaritate, qua me, plusq̃ mihi per te quidẽ liceret, usum perspicio, uel certe quod eius generis tuæ sint literæ, ut nullum mihi epistolæ argumen tum suppeditent. Equidem eo sum ingenio, ut non temere literis utar, ni si quid eiusmodi mihi occurrat, quod aut mea, aut ipsius ad quem mitto, scribi intersit. Itaq; cum de pueri mei discessu, certiorem me feciisses, statim quidem rescripsi, ad cæteras tuas non item, quod nullam mihi rescriben di materiam aut sententiam attulissent, neq; uero in rebus meis quicquã esset noui. Atq; tuas equidem lego libentissime, sed me planè pudet, meas ad te inanes remittere præsertim plebeis & quotidianis uerbis contextas. Sic tamen, quod minus amice à me factum quereris, id mihi abs te amice ignosci uelim. Non committam posthac ut in hoc genere officium meũ desideres. Tu modo da operam, ut quod scribam semper à uobis habeã. Hinc enim nihil expectes, quod sit aut scriptione aut lectione magnope re dignum. Vale.

CHR. LONG. GVL. BVDAEO S.

Quàm sis occupatus, & si tu nihil ea de re ad me scripsisses, id tamen profecto uel tuarũ literarũ breuitas, uel locus ipse undè illa mitteres mihi satis significasset. Memini enim q̃ multis mecũ sis agere solitus, siquando ociosus ex Merlia no tuo, aut etiam Parisiorum Lutetia, ad me scriberes. Itaq; uelim ipse qui dem occupationum tuarum rationem habere, sed nondum mihi planè iudicatum est, grauler ne tibi genus istud uitæ, an artium potius nostra tum, studiorumq; uicem doleam. Eodem enim tempore, & tibi præcla rum esse uideo, singularem istam tuam tum uirtutẽ tum doctrinam nõ iam latere in tenebris, sed illustri & excelso loco sitam in luce Galliarũ ac regni clarissimi oculis auribusq; uersari, & literis nostris multum præsidij ornamentiq; detrahi, cum te ab ijs auersum, ad gerendam remp. traduci intelligo. Poteris tu quidem, qua es apud principem tuum uel au thoritate uel gratia, doctos aliquot & literatos homines subornare, stu dia nostra, quæ per te illustratum iri sperabamus, non item certe tueri po teris. Sed quando nec quidnam potissimum secutus regiam fortunam lite rarum conscientiæ prætuleris, nec quid istic muneris sustineas, nec quàm diu in regio comitatu sis futurus adhuc scio, erit hæc nobis alterius episto læ argumentum, disputatio. Facere tamen non possum quin gaudeam, te

talem uirum à tanto Rege in amicorum cohortem esse accersitum. Spero enim uel confido potius te, qui cum natura ipsa sis prudentissimus, tũ etiã doctrina multa atq; optimarum artium scientia egregie eruditus, & libe ris tuis consulturum, & dignitatem tuam apud ipsum obtenturum esse. Nam de animi tranquillitate atq; illo, cui à pueritia assueuisti ocio, nihil facile ausim affirmare, nisi forte per Principem ipsum artem tibi desinere aliquando licebit. Eninuero, si bene te cognitum habeo, non sanè possis etiam ut uelis, sine literis uiuere, quarum cũ nobis uberrimos fructus pro/ ferre cœpisses. Sed tum demum ad te de meo sensu perscribã, cum tu me hoc de genere toto, & istius tui instituti ratione certiorem feceris, nõ equi dem, ut ipse tibi consilium dem, quo tu planè abundas, quodq; tibi sapiẽ tissime captum esse scio, sed quia mihi tum deniq; tecum esse omnino ui/ deor, si aut literas tuas lego, aut aliquid ipse ad te scribo. Interea quod inter nos agi, & ex sententia mea (ut spero) per te confici potest, agam. Fr. Rubrius missus à Rege Francorum ad Venetos legatus, Principi suo concinnandas curauit tabulas, quibus uia istinc Byzantium usq; docte descripta, egregieq; depicta contineretur, id eo fecit, opinor, consilio, ut il le quẽ Græciæ Regem à Pont. Maximo appellatum esse contendit, regio num illarum quasi conspectu admonitus, Græciam sibi prouinciam ali/ quanto maturius, quàm id futurum speretur, decerneret. Res est quidẽ, ut uides, cum ad tantum bellum imperatori in primis necessaria, tum me hercule, ut audio, etiam per se cognitu aspectuq; dignissima, sed multo tamen Principi iucundior futura, si testimoniũ iudicij tui accesserit. Quod quidem ille prospiciens, neq; sanè dubitans quantũ mea causa uelles, egit mecum per literas, ut se tibi eo potissimum nomine commendarem. Nec Venetijs quisquam est Fr. Rubrio mihi amicior mi Budæe, nec sanè ali/ us, qui me æque tueri & authoritate sua, siquid accidat, saluum incolu/ memq; præstare possit. Quare mihi gratissimum feceris, si in eare homi/ ni ita commodaris, ut intelligat hanc commendationem magno sibi usui fuisse. Id autẽ facillime assequeris, si munus eius uerbis tuis ornaris, ipsiq; etiam aliquod uocis tuæ testimonium dederis. Hoc ut facias, non mea tã tum causa sed tua etiam, te uehementer rogo. Summo enim splendore hominem, eundemq; gratissimum, nec à studijs nostris abhorrentem, et necessitudine tua dignissimum tibi non multo tuo labore in perpetuum deuinxeris. Lazarus Baifus, quem in isto comitatu frequentem iam esse scribis. Is est quem tibi olim, græce commendabam. Adolescens nostrarũ artium studio mihi tum quidem coniunctissimus, sed nunc ualde lautus qui grauetur ad me scribere. Parum scilicet diuturno Aulæ usu profecit, qui diligentiæ urbanitatisq; suæ inter eos homines sit oblitus, apud quos

cæteri uel natura tardissimi, non impigri modo & humanissimi redduntur, sed nullo etiam maiore negocio ad assentationem nonnunquam erudiuntur. Atque id in ipso eo magis sum miratus, quod cum una Romæ essemus præclaras illas, quas tu in Asse tuo istiusmodi hominum generi descripsisti leges, ita probabat, ita te de ijs laudabat, ita nunquam de manibus ponere atque conterere, ut ad earum omnino præscriptum istic uicturus uideretur. Ego certe eum præcepta illa tua iam explicare, atque ita exprimere arbitrabar, ut te, quo tum magistro utebatur, discipulum redderet. Extra iocum mi Budæe, aut tu de rationibus eius ad me aliquid mittas oportet, aut facias quidem ut ipse quemadmodum rem suam gerat nobis significet. Cum enim a te discessi, quem istic pluris faciam habeo plane neminem. Ille porro epistolarum tuarum nuper editus liber, quantum me diligis, uel potius quantum te a me scis obseruari, tantum quæso cura, ut ad nos primo quoque tempore perferatur. Caue sumptui eam in rem parcas. Ego enim cum quicquid tabellario dari iusseris numerabo, tum uero etiam magnum abs te beneficium me accepisse iudicabo. Io. Fratris tui filium, atque huius ipsius consobrinum Mauricium Buliodum, non expectabo dum uel tu uel parentes eorum mihi commendent, diliguntur a me propter summam eorum humanitatem, & obseruantiam, Budæus etiam, quod earum literarum studiosus esse cœperit, quas tu maxime probas, hoc est græcarum, nec id ipsum tamen meo hortatu, aut ijs horis, quas iurisprudentiæ studium suo sibi quasi iure uendicat, sed tum sua, mihi crede, sponte, tum eo tempore, cum cæteri feriantur & cessant. Veritus est, credo, maximi & plane ingenui animi adolescens, ne tu unus fuisse diceret, qui nouum hoc decus in familiam tuam intulisses, in familiam autem? immo uero in ciuitatem, atque adeo Galliam uniuersam. Nam quin primas omnium sententia omnem in partem tu feras, nulli iam neque integrum est, neque dubium. Ambos igitur omni ratione hic tueor et si quid opus erit eorum quoque tenuitatem facultatum mearum angustia substentabo, hoc te iccirco latere nolui, ut parentes eorum per te sciant, me beneuolentiam memoriamque quam ipsis debeo liberis eorum præstare. Volo enim mi Budæe, si quis alius & esse & haberi gratissimus. Vale. Ex urbe Patauio Non. Decembr.

CHR. LONG. ANT. MARGILIO S.

Instituerum feralibus ad te scribere, cum mihi in mentem statim uenit, eum diem etiam maioribus nostris religiosum fuisse. quanquam mehercule, ne tum quidem, quod scriberem occurrebat nisi te mihi esse carissimum, quod te, uel tacente me, certo scire non dubito. Scribebam tamen, idque eadem omnino qua etiam nunc

de causa, ut uel in eo, quod tibi istinc proficiscens sum pollicitus, fidem meam liberarem, sum autē pollicitus simulatq; Patauium appulissem, me aliquid literarum ad te daturum. Vel te quoq; ad exolutionem promissorum, quibus te mihi obstrinxisti cohortarer, non quo de constantia tua dubitem, scio enim te hominē esse certissimū, sed quia incredibili cupiditate ardeo eiusce rei, quā tu mihi & tantopere cōmendasti, et te ex animi nostri sententia confecturum affirmasti. Venies igitur ad cōstitutū, neq; prius tamē quàm mandata nostra istic diligenter curaris, immo uero quod agis perfeceris, perficies autem, si cum quanti te faciam memineris, tum uero tantum in eo industriæ quātum mihi coràm recepisti, posueris. quod ut facias, non es tu mihi quidem uehementer rogandus, qui te omnia mea causa & uelle & cupere exploratum habeo. Illud tamen tibi uelim persuadeas, si te mihi in eo morem gessisse intellexero, te inde nihilo minorē q̄ ipsum me uoluptatem esse capturum. Omnino si officia in me tua cumulo isto auxeris, & me planè bearis, & hominē gratissimū tibi deuinxeris. Cura ut ualeas, nos enim ita ut cum maxime & ualemus & in studia nostra incumbimus. Ex urbe Patauio. iiij. No. Nouembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO. S.

ETsi statueram nihil ad te literarum dare, nisi tu mihi epistolæ argumentum aliquod ipse præbuisses, tamē cum ad Ant. Marcilium hominem utriusq; nostrum studiosissimum scriberem, putaui aliquid etiam ad te literarum esse dandū, ne si nihil tibi misissem, pluris à me institutam nuper cum eo amicitiam fieri existimares, quàm tuam, haud ita multis quidem annis illam, sed innumerabilibus certe tuis erga me officijs confirmatam, itaq; breuitati mearum literarum ignosces, & si pleniores elicere uoles, scripto me aliquo lacesses, sum enim eo ingenio, ut ipse multo libentius faciliusq; rescribam, quàm alios appellem, quod quidem & istic & per literas me tibi testari memini. Saluta meis uerbis Ioan. Maclinienſem gemmarium, atque ut signatorium annulum, quē ei faciendum locaui, q̄primum mihi curet, commonefacito. Vale.

CHRI. LONG. P. BEMBO. S.

IAm pridem nihil scribo, quod multo auidius nummorum aliquid istinc expectem, q̄ uos ullas hinc literas, sed quando desiderium tui diutius ferre non possum, quod quidem mihi tum deniq; lenire uideor, cum ad te scribo, nec tu quicquam tam longo interuallo ad me, ego scilicet ad te aliquid mittam. Fui Venetijs dies amplius quindecim, quos ipsos partim cum Octauiano Grimoaldo in urbe, par-

illum cum Andrea Nauagerio nostro Murani summa cum uoluptate tra duxi, huius in suburbano, cum hortus ipse grato nobis spectaculo fuit, ita dimensus & descriptus ut omnes tum pomarij tum seminarij arborꝝ ordines in quincuncem dirigantur, & exquisitissimo ambulationū topiario opere latera eius decumaniq; limitis camera cōuestiantur, tum uero omnē expectationē meā uicerunt mali assyriæ plurimæ, suis quæq; interuallis discretæ, & in certū quoq; ordinē digestæ, quas eundē Nauagerium nostrū paucis ante mensibus seuisse audiebā, atq; incredibili quadam celeritate solertiaq; ad frugem perduxisse, fructu mehercule lætissimo, etenim cuius aspectu nihil sit pulchrius, odore suauius, gustatu iucundius, uarietate autem atq; magnitudine admirabilius. Delectatur enim etiā agricolarū uoluptatibus, sed his honestioribus, & qua diligentia artes nostras colit, eadem profecto, cum horto suo rationem habet. Sed ut ad coniunctiora nobis ueniam. Scito ut primum Patauiū ueni, perspexisse me, quātum uel gratia uel authoritate apud Marinum Georgiū ualeres. Accersiuit enim ille me statim honorificentissime, opesq; suas in tuenda uel salute uel dignitate nostra omneis mihi pollicitus est liberalissime, facturū puto, nam de te mirifice & sentit & loquitur, neq; à studijs institutisq; nostris tam abhorret q̄ uulgo hominum opinione existimatur. Amoris erga me sui argumenta non obscura cum iam dederit, tum certe ab intimis & necessarijs eius ita obseruor, ut & me amari putem, & ipsius merito hic tibi gratias omnino acturus fuerim, nisi omnem ex nostra necessitudine gratiarum actionē sublatam esse uoluisses. Velim tamen illum certiorem facias, cum mihi officium suum fuisse gratissimū, tum me etiā sibi gratias apud te egisse diligentissime. Atq; ne tu quicq̄ rerum meaꝝ ignores, eadem hic nunc est uitæ ocijq; nostri ratio, quæ æstate proxima fuit, nisi quod aliquot noctis horas assumimus, ac per anni quidē tempus id & liberalius exercemur, & in studia nostra acrius incumbimus, quæ quidem studia, quo etiam alacrius tueri possimus, da (quæso) operam ut pecunia nobis curetur, aut certe ut intelligam, quare ad eam Flauius nō dum peruenire potuerit. Iam quartam hanc epistolam ad te do, cum tu adhuc ne schedulam quidem, quinta si te oppresserit, ne mihi longi temporis usurā lōgiore epistola depēdes. Vale. Ex urbe Patauio. Cal. Decēb.

CHR. LONG. BERNAR. SANDRO S.

SI uales bene est, ego quidē ualeo. Pluribus uerbis tecū agam cū plus ocij nactus fuero. Nunc Nicolao tuo satisfacio, qui mihi literas tuas hodie reddidit. Is enim simulatq; nobis opera sua nihil iam esse opus intellexit, istuc se statim recipere uelle ostendit, cum in

ipsum planè studiorum meorum cursum incidisset, quem quidem ut scri bundis literis interpellarem nulla unquam ratione adduci potui. Nam, si nescis, ita ocij mei rationem institui, ut septimo quoq; demum die exarādis, dictandis ue epistolis latinis uacem, reliquum tempus omne, græcis & grauioribus literis consumam. Itaq; epistolæ nostræ breuitatem ne sis admiratus, multo uero minus inelegātiam, quando neq; accurate scripta est, & plebeio sermone tecum agimus. Quare autem Nicolaus cōmendatione tua apud me uti non potuerit, ex ipso cognosces. Reliquum est cum ut salutem meis uerbis referas plurimam & Fr. Bragadeno, et cæteris communibus amicis, tum uero ut has statim ab earum lectione conscindas, aut certe ne committas, ut à quoq; legi possint, qui de ingenio doctrinaq; studiosorum ex unius alicuius epistolæ lectiuncula pronunciare soleant, difficile est loqui, & iam suspicari potes quos significē. Vale. Ex urbe Patauio Non. Nouembr.

Inscribendæ epistolæ, qua tu ad me usus es, mihi quidem non satis probatur ratio, etiam si eā Alcyonium nostrum persæpe usum esse exploratū habeo. Sed hæc coràm.

CHRI. LONG. LÆLIO MAXIMO. S.

FEcerunt P. Bembi literæ, quo minus te mei prorsus oblitum esse existimarem. Salutem enim mihi tuis uerbis attulerunt. Tu ne uero, qui usq; in ultimam Britanniam, anno superiore literas ad me sæpe dabas, iā grauaris aliquid mihi mittere? idq; cum ego Venetijs, iterum diligenterq; ad te scripserim? & nunc in ipsis penè incunabulis tuis uiuam? Equidem postquam in Italiam redij, nihil à te, uel etiam de te præterquam ex P. Bembi, & Hier. Alexandrini literis accepi. Quod si nostri obliuione commissum est, curabo ut prius istuc aduolem q̄ totus tibi excido. Sin te scribēdi argumentum aliud deficit, persequere res urbanas, non illas quidem quæ ad Pont. Maximū, aut pontificij Senatus aliquem pertineant, multarum enim literis, nuncijs, rumore deniq; ipso ea nobis haud obscure nunciantur quotidie, sed planè ciuium Ro. & eorum, qui docti istic numerentur, actiones perscribe. Nec enim nescis q̄ sim curiosus, q̄q; omnibus peregrinantibus iucundum sit, etiam minima, quæ domi gerantur, cognoscere. Ante menses quinque legit mihi quidem binas tuas ad se literas Hier. Alexandrinus, græcas alteras, alteras latinas, in quibus cum alia de rerum tuarum statu diligentissime scriberes, tum tibi duas à me Venetijs redditas esse epistolas significares. Verum id ad me scribi oportuit, cuius maxime interest

de rebus nostris abs te certiorem fieri tum presertim cum Marianus Castellanus mihi diplomata illa, quibus in ciuitatem asciscebar, mitteret. Sed planè ad inimicos olim nostros, nunc meos defecisti, ac prodita causa, quam tanta contentione egeras, ex patrono factus es accusatorum subscriptor, quod cum alijs indicijs multis facile perspicio, tum uero quod et adhuc tam pertinaciter taceas, & delatoris nostri mortem lachrymis et carmineq; tuo adornaris. Sed iam satis iocati sumus. Illud serio uehementer q; à te peto, facias sciam, quid istic rerum agatur, quã tu rationem uitæ tuæ institueris, quod sanè sine summa sollicitudine nescire non possum. Nam de me ex P. Bembo cognosces, qui cum sensus meos tenet omnes, tum à me de rebus meis q̃ sæpissime fit certior, de te uero, quẽ hic rogem, habeo planè neminem. Saluta mihi Corytium, cui quod quidem potui in hac defensionum mearum editione testimoniũ dedi. Vale, & me, ut facis ama.

CHR. LONG. FLAVIO CHRYSOLINO S.

Alutem mihi hodie tuis uerbis Fr. Capolistius dixit, simul & q̃ multi, q̃q; illustres de me sermones summa mea cum laude abs te istic habiti essent, commemorauit. Id ego ei cùm summæ nobis esse uoluptati ostendissem, neq; tamen aut nouum tibi, aut inexpectatum mihi esse significassem, ut tu de me amantissime uel sentires, uel honorificentissime loquerere, egit idem mecum, ut sibi officij sui testimonium aliquod apud te darem. Qua quidem in re q̃n ei morẽ à nobis gestum esse uides, uelim contra illum scire ex te, me id diligenter fecisse. Nam ad existimationem nostram magnopere pertinere arbitror, ut homines me uel minimis in rebus & memorem esse & gratum intelligant. Quod ut facias te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale. Patauij Non. Febr.

CHR. LONG. FL. CHRYSOLINO S.

Ellem atque facile ex meis literis, quanti apud me sis perspicere posses, atque ego ex tuis quàm me ualde amares cognoui, complecterere, quod ipse quidem de te feci, absentem animo, hanc uero epistolam etiam exosculare. Nec enim eo es ingenio, ut aut in amore te uinci uelis, aut quando amicum coràm non potes, animum certe eius cogitatione complecti nolis. Equidem exponere tibi nõ possim, quãtum uoluptatis ex literarum tuarum lectiõe ceperim, neq;

id uero, ea sola de causa, quod supra omnem expectationem meam facete elegantesq; mihi uisæ sint, quanquã tam felix in scribendo industria, tuum ergo me studium uehementius comprobauit, sed quod etiam illam morum tuorum suauitatem ita expresserunt, ut mihi tecum esse, & collocutionum tuarum humanitate præsens ipse frui planè uiderer, simul & quod in mentem eodem tempore ueniebant, innumerabilia tua in me uel præsentem uel absentem officia, quorum quidẽ memoria mihi adhuc tam iocunda est, quàm ea ipsa cum ibidẽ tum Venetijs grata extitissent. Atqui huius neq; est locũ neq; temporis quàm ipse de me bene sis meritus cõmemorare, tantum habeto, nullas mihi istinc redditas esse literas, neq; gratiores tuis, neq; iucundiores, in quibus cum cessationem tuam apud me tam multis excusas, perinde sanè facis ac si te mihi eo religiose purgares, quod mihi gratias tum nõ egisses, cum ego abs te beneficium accipiebam. Equidem nisi mihi perspecta esset animi tui singularis cum simplicitas tum moderatio, putarem me abs te huiusmodi excusatione accusari negligentiæ, quasi ipse officio functus non essem, qui nullum prorsus grati animi argumentum tibi adhuc præbuissem, quod ipsum, quominus adhuc per literas præstiterim, id quidem causæ fuit, quod cum occupationibus tuis libenter fauebam, tum amicitia nostra indignum esse ducebã, ut tu pro opera, à me uerba acciperes, tam & si amicitia nostra, paucis, ut tu quidem scribis, mensibus istic instituta, sed mehercule et multis tuis in me beneficijs & incredibili meo erga te amore confirmata facile pati possit, apud alterum plus officij residere, modo ne alter neq; tuendæ amicitiæ uoluntate, neq; accepti beneficij memoria uincatur, quorum sanè neutrum ut in me desideretur, perficiam. Quod autem mihi de defensionum nostrarum libro gratularis, facis id tu quidem amice, & ego mehercule ipse mihi plurimum eo nomine gaudeo, sed non propter eam facile, quam tu fortasse suspicaris causam, quod doctorum hominum iudicio plurimum oratoriæ tum elegantiæ tum dignitatis præ se ferant, id enim ipse mihi uix persuadeo, quando ne mihi quidem in eis satisfacio, qui tamen scripta mea aspernari nõ soleo, sed quod eius libri editione partim certorũ hominum improbitatem fregimus, partim exulceratos multorum animos sanauimus, partim bonos & doctos omneis ad causam adiunximus, atq; adeo uti ais, nobis deuinximus. Quod si ita est, est quod ipse mihi planè grauler, nec minoris tanta talium uirorum studia q̃ Romanam ipsam ciuitatem faciam, qua quidem quo me non esse indignum demonstrarem, illas ipsas defensiones planè conscripserã. Donati sunt quidem alij ciuitate multi, qui uero tanto bonorum omnium consensu, tanto doctorum hominum iudicio ea dignus habitus sit, alterum non

sanè reperies. Atqui hoc in genere, ea mea causa est, ut quid ipse sentiam, libere exponere non possim. Quare quod ad te attinet, illud tibi persuadeas uelim atq; existimes, habere te fortasse multos aut beneficiorum magnitudine, aut assiduitate, aut uetustate tecum coniunctiores q̃ me, studio, beneuolentia, amore neminem, idq; non tam propter tuas, quas ad me tum humanissime tum honorificentissime scripsisti literas, q̃ quod plane ingratus sim & mei dissimillimus, nisi te mea sponte amē plurimū, qui cum me semper fecisti plurimi, tum nihil ad excolendā ↄfirmandāq; amicitiā nostrā reliqui. Cura ut ualeas. Patauij pridie Id. Iul.

CHR. LONG. IAC. SADOLETO S.

Missurus tibi Gul. Budaei epistolā, facere nō possum quin ipse quoque dem aliquid ad te literarum, quanq̃ quod scribam non satis occurrit, nisi hic tibi fortasse uis, tua in me beneficia ut ↄmemorē. Atqui huius commemorationis te, ut puto, iam cæpit satietas, me quidem iam pudet, in ea toties habenda gratia elaborasse, quā ne cogitatione quidem ulla consequi possum. Simul & illud uereor, ne hoc tibi nomine in assentationis suspicionem ueniā, quasi frequens hæc tuoꝝ erga me meritoꝝ prædicatio non officio sed tempori tribuatur. Non cōmemorē? quid igitur scribam? aut qua me tibi nūc quidem uia memorem gratumq; ostendā? Sic scilicet faciam, postbac tum deniq; scribam, si quid erit, cuius te certiorē per me fieri oporteat. Nam quin tibi studium, beneuolentiam, obseruantiam quam debeo uel absens præstem, te non dubitare certo scio. Scribo equidem ad nonnullos istic, etiam cum nihil est opus, sed ad eos omnino, quibuscū mihi aut domesticū usus, aut familiaritatis aliquid intercedit. Te ista grauitate, dignitate, doctrina uirium, istis occupationū quasi fluctibus obrutum hominem crebrioribus literis interpellare non audeo. Tu modo fac me ames et ualeas, nos enim ita ut cū maxime tum te amamus & obseruamus, tum uero ualemus & literis nostris utimur, eo ēt sanè ↄsilio ut tibi ocij nostri rationem per ocium aliquando reddamus.

CHR. LONG. P. BEMBO S.

Quod superioribus literis futurum prædixeram, id nunc scilicet accidit, quinta te iam epistola oppressit, nec tu literam adhuc, aut omnino nummum. Atqui ad te scribendi nuper mihi in eo prora (ut aiunt) & puppis fuit, ut aliquid uel literarum elicerem, uel pecuniæ exprimerem. Nunc quando utrunq; adhuc desidero, quo hic me tandem animo esse censes? presertim qui neq; utrum literas meas

accaeperis, neq; de pensione Cal. Novembr. quid actum sit sciam. Verũ postremum hoc leuius ferendum, illud mihi nulla ratione dissimulandum, quod hac tua scribendi intermissione de salute tua sollicitius esse coepi, quae quidem salus, qua mihi pecunia non antiquior? Vale & si me amas, curaut me Flauius quemadmodum tecum agatur, primo quoque tempore faciat certiorem. Rescripsit iam tandem Budaeus ad collegae tui literas, eius epistolam ad te mitto, fac ut ea Sadoleto nostro q̃primum reddatur. Salutem Colae nostro. Lazarus Bonamicus, quo Steph. Saulius tum in latinis tum in graecis literis uno utebatur, migrauit Bononiam, studiorum ne causa, quod quidem ipse affirmat, an uero ut Laurentij Campegij liberos instituat, nondum plane exploratum habeo. Hic mihi tu uelim memineris eorum, quae ad te xvi Cal. Octobr. scripsi, non quo quicquam timeam, confirmasti enim tu me, & plane sum cum animo magno tum etiam spe bona, praesertim cum firmissima domesticorum nostrorum beneuolentia muniti simus, sed ut me id non temere tum scripsisse cognoscas. Illud item fac cogites, annum quidem iam fere esse, cum monitis tuis atq; praeceptis adductus, earum literarum studiosus esse coepi, quas tu maxime probas, sed me quid profecerim omnino nescire, hunc laborem alteri delegare nõ possis. Itaq; longiores tuas expectabo, uel exigam potius cum te ualere & uacare intellexero. Iterum Vale.

Obsignabam epistolam hanc, cum mihi à fratre tuo redduntur eodem tempore & literae & sestertiorum nummum circiter duo millia, quae me plane recrearũt, ac rõnes meas istic abs te diligenter explicari ostenderũt.

DECIMO LEONI PONT. MAX. PRINCIPIQVE RO.

ET si apud me dubium nũq̃ fuit Pr. Optime, quin pro tua in omneis quidem mortaleis illa, sed mihi priuatim etiam perspecta humanitate, munus istuc nostrum qualecunq; esset boni consuleres, putaui tamen mearum esse partium, nõ id quidem uerbis exornare, quod si facerem, nihil abre fortasse facerem, sed in eo consilij mei rationes tibi breuiter exponere, nequis me uel facilitate tua ambitiose abusum, uel nullam omnino officij mei ratiõem duxisse existimaret. Ego Pr. optime, ut primũ Gallicos hosce canes duos nactus sum, omnium quos unq̃ mihi uidere contigisset cum eximijs corporis uiribus praestantissimos, tum singulari in dominum amore fideq; admirabileis, tum uero uenandi usu exercitatissimos, rem statim omnino esse existimaui, non priuata modo conditione maiorem, sed quae etiam eum maxime deceret principem, qui tanto caeteris dignitate hominibus praestaret, quanto

bi reliquas sui generis animantes & decora corporis specie, & generosi spiritus uirtute antéirent. Neq; uero illud me deterruit, quod res parum digna tanto principe uideri poterat. Legeram enim Indiam petenti Alexandro, ab Albaniæ Rege canem unum, insitatæ quidem magnitudinis illum, sed unum tamen, & in quo præter uel segnem immanis corporis molem, uel insigne robur nihil facile mirarere, dono missum, nec minus liberaliter, quasi dignum, quod ab Rege ad Regem tā longe mitteretur munus, acceptum, cum in ijs quos ad te mitterem, non corpus tātum ad ualentissimas quasuis prosternendas bestias ualidum spectaretur, sed agilitas etiam ad eas omneis quæ uelocitate censeantur conficiendas egregia. Sed nec certe ineptiarum crimen extimui, tanquam Pontificiæ dignitatis rationem in eo parum haberem. Ego enim cum uenandi artem ab optimo quoq; & doctissimo ueterum in primis probatam, cæterisq; exercitationum generibus omnibus longe prælatam esse exploratum habeo, tū uero te nō tā quasi Pont. Max. quàm ut principem Romanum, idest Regum omnium planē Regem, nobilissimo honestissimæ exercitationis instrumento dignissimum iudicaui; Idq; Christianissimi Francorum Regis, à quo huc ad S. P. Q. Venetum legati missi sumus, exemplo feci, cui quidem etiam hac in re me plurimum gratificatum iri certo scio. Nam is cum nihil tua causa non uult, tum etiam te à suis ubiq; plurimi fieri iubet & cupit. Quo sanè ēt minus iā mirabere, quid mihi in mentē uenerit, ut ego q nec magna familiaritate, nec ulla sanè præclara fortuna apud te commendor, & regio te munere donare, & tā familiariter ad te scribere sim aggressus. Donandi causa ea est, quā supra posui, & quod Rex meus quæcunq; tibi uel grata uel iucunda esse intelliguntur, ea non à se modo præstari omnia, uerum etiam à suis studiosissime diligētissimeq; curari cupiat. Scribendi porrò fiduciam attulit, primum coniunctissima illa, quæ ei tecum intercedit necessitudo, deinde uero etiam, re mihi iam probata incredibilis illa tua humanitas, qua me ab eodem Rege, atq; religiosissima eius uxore ad te olim legatum, istic ita accepisti, ut ex eo tempore te nō solū Pontificatus, quo appellaris, nōmine Maximum, sed etiam singulari & planē quādam diuina bonitate optimum semper iudicarim, nihilq; antiquius duxerim, q̄ ut quoquo itelligeres modo, me tibi memoriam beneuolentiamq;, quam debeo, adhuc præstare.

CHR. LONG. FLAMINIO TOMAROTIO S.

Iucundissimæ mihi tuæ literæ fuerunt, quæ & summam tuæ erga me uoluntatis significatiōem haberent, & perbelle scriptæ, spem mihi afferrent non dubiam, talem te aliquando fore, quā

lē ego te uel ingenio uel diligentia tua fretus, multis futurumq; prædicassem. In ijs quod me rogas, ad quem diem nos expectes, ego uero id, ut nunc quidem est, constituere non queo, ita multis & magnis negociorum fluctibus obruor, de quibus ad te aliquid scriberem, si eius essent generis, ut literis recte committi possent. Siquid tamen coniectura augurari licet, Nonis, aut certe ante diem tertium Id. Apr. uobiscum ero. Tu uero, quod te in uiam des hoc tempore nihil est. Nam neq; religiosis hisce diebus satis honesta fit cuiquam peregrinatio, neq; planè uideo, si ueneris, quos ex cõsuetudine nostra percapturus sis fructus, qui tantis occupationibus distiner, ut uix huic tantulæ conscribendæ epistolæ spacium habuerim, sed nec certe quod tibi mitterem aliud occurrebat. Cum hæc maxime scriberē, ecce tibi altera tua epistola, sed in eandem cum superiore rationem conscripta, nisi quod te uehementer mirari ais, nihil tibi literarum à me adhuc esse redditum. Eius autem rei causam, ex ijs quæ paulo ante proposui facile collegeris. Vale. Venetijs. Palmaribus.

CHR. LONG. STEPH. SAVLIO S.

Q Vod nihil adhuc literarum ad te dedi, non id quidē causæ fuit, quod scribendi argumento destituerer, quo planè abundabā, sed quia eius erant generis res, quæ literis recte committi non possent, & ipse quotidie uel potius in dies singulos me ad uos recipere cogitabam. Nunc uero, cum necdum à regijs negocijs sim planè uacuus, & ea iam dies instet, quam hic omnino traducere constitueram, uolui tibi consiliorum meorum rationem per literas breuiter significare, ne tu me uel cessationis nomine suspectum haberes, uel diutius etiā quàm par esset istic expectares. De re tua nihil adhuc constitutum. Tantum enim negocij regiæ literæ & nobis & Decemuiris exhibuerunt, ut priuatorum postulationibus operam dare per hosce dies neutris uacarit, sed tamen, ut spero, res ex sententia nostra conficietur, non ulla quidē citerioris Galliæ præfecti commendatione, qua ille insulsa et planè gallica est usus, sed & consilijs nostris & ipsius causæ æquitate pugnabimus. Experiemur quidem certe omnia, ut antequàm hinc proficiscamur, tibi factum esse satis intelligas. Cogitabamus autem istuc aut Non. aut circiter quartum diem Id. Apr. interim uide, amabo te, ut quoad in montibus Euganeis commorabere, nequid absentia nostra rebus nostris detrimenti afferat, quod quidem facillime consequere, relicto domi Antonio tuo, cuius & fidem & amorem erga te singularem mihi perspexisse multis in rebus sum uisus. Sed certe γλαῦκας εἰς ἀθήνας, qui tibi consilium dem.

Libellos, quos quasi itineris comites mecũ detuleră, scito nulli nobis adhuc usui fuisse, sed sarcietur tamen ociosis his diebus ocij nostri iactura. Rem nos eo perducturos speramus, quo te iam aduentare suspicamur:, sic fiet, ut cum rediero, pari iugo in eadem studia incumbamus. Vale. Venetijs Viiij Cal. Apr.

CHR. LONGOLIVS P. BEMBO S.

Nũq̃ fore putaui, ut aliorum prius literis de aduentu tuo q̃ abs te ipso fierem certior, quod tamen quando prater opinionẽ meam commissum est, Venetias te saluũ uenisse immortaliter gaudeo, da modo operam, si me amas, ut statim intelligam, Hic ne te, & quando expectemus? an uero nos istuc aduolare, an in Patauino tuo tibi malis occurre. Multa sũt quare tecũ esse uelim hoc tẽpore, sed illud potissimũ rationes nostras conturbat, quod Saulius noster heri Genuã, pertristi, neq; tñ non uero, fraternæ ualetudinis nuncio excitus, accurrit. Reditum se quidem ille ad hiemem proximam affirmauit. Sed hæc coràm. Liceat modo nobis propediem congredi. Vale. Patauij. iij Non. Mai.

CHR. LONGOLIVS FLAMINIO TOMAROTIO. S.

Persuasi tãdem Bembo nostro, ut me uobiscum esse mallet q̃ secũ, cras igitur, ad summum perendie, nos istuc uenturos speramus. Tu interim da operam nobis cubiculum ea, quam tibi istinc discedens ostenderam, ratione instructum ut sit. Interius conclauis uestibulum si nondum illi faciundum curarint, admonebis eos meis uerbis, id primo quoq; tẽpore uel statim potius, extruendum ut locent, Res est nec multi negocij, nec ocio nostro parum idonea. Lectus è regione uestibuli uelim collocetur. Pluteum ad destrum ingredientibus parietem statues. Bibliothecam inter fenestras duas mediam explicabis. Reliquam intestini operis supellectilem q̃ poteris aptissime totam honestissimeq; dispositã uoles, quicquid in eo genere sumptus feceris, id ego tibi omne simulac uenero dissoluam. Saluere uelim à me iubeas hospites meos, quibus etiam puerũ meũ, dũ absum, cõmendatum esse cupio. Vale Venetijs Id. Mai.

CHR. LONG. ANT. MARCILIO. S.

Expectabam auidissime tuas multis de rebus literas, cum mihi epistola tua reddita est, festiuitatis plena quidem illa & urbanitatis, sed multo mihi iucundissima sanè futura, si quod sperabã

ad me scripsisses, quemadmodũ factum Martino diem, quo ueteres etiam dolia relinebant traduxissetis. Scis enim condictum uobis fuisse, constitutumq; ut eo ipso die apud Egnatium nostrum, iniuriarum indices sederetis dicam an accumberetis? Equidem & si non dubito, quin aurificem nostrum ociosum omnino reddideris, iudiciũq; & conuiuiũ ipsum facetiarum tuarum lepore, docte exhilararis, uelim ad me tamen de tota cœna illius ratione diligenter perscribas, ut quo me, haud scio quàm laudabile, pertinax certe artium nostrarum studium, spectaculo abduxit, id mihi suauissimæ tuæ literæ exhibeant. Scio quam tu unus omnium huic rei cõscribendæ sis aptus, ego certe tantum me scire arbitrabor, quantũ ex tuis literis intellexero. Nam quod te huc nostra causa uenturum scribis, est id mihi quidem in optatis, sed quando te expectemus fac planè sciam; quanquam mi Marcili charissime cum hoc in genere toto, tum in cæteris huiusmodi quidem rebus, ita mihi commodes uelim, si tibi ut id libenter facias prius in animum induxeris. Sic enim amicis uti soleo, ut tantũ ab eis contendam, quantum eorum uel fert dignitas, uel etiam patiũtur rationes. Quare si, quod te facturum ostendis, ueneris, nobis gratissimũ feceris, qui suauitate tua perfrui cupimus. Si non ueneris, æquo id animo feremus, etenim qui tibi in primis consultum uolumus, & alterũ quidem te, amori erga me tuo tribuisse, alterum rebus tuis negare non potuisse iudicabo. Itaq; nec te pluribus, ad eam istic conficiendam rem, quàm literæ tuæ abs te iam affectam esse significant, ipse cohortabor. Scio enim eam tibi esse curæ, sed tamen urgebis opus, mihiq; ad diem promissa repræsentabis. Quod si ut spero & opto feceris, omnia me per te consicutum putabo. Quod de Elephanto ascripsisti, planè non probo. Indicum quidem aut Afrum inedia & uerberibus domueris, iste nobis cum multo tuæ succo mitificandus est, tum etiam gloria potissimum alendus, sed ita ne studium illi uestrum in ludibrij suspiciõem ueniat. Nec enim ignoras, tametsi omnium terrestrium animalium sit longe maximum & gloriæ cupidissimum elephas, quàm tamen suspiciosus idem sit, quamq; hominis animaduerso uestigio, statim subsistat, circunspectet, iras proflet, nosti cætera. Vale. Ex urbe Patauio oct. Cal. Decembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

m Aius atq; omnino aliud q̃ sperabam nactus es ex literis meis epistolæ argumentum, qui cum uel tuo more, breui respondere, uel me etiã authore tacere potuisses. Scis enim ita tibi mecũ cõuenire, ut tũ deniq; si res coget, tamen uberrimas mihi literas remiseris.

sed nō eius generis, quales abs te quidem expectassem. Voluisti scilicet mihi morē gerere, & me scripto aliquo tuo lacessere. Id si ita est, non tu quidem expectatione tua frustratus es, prouocasti enim me, sed ita meherculē quēadmodum crabrones irritari solent. Equidem nisi maiorem facilitatis meæ quàm calumniarum tuarum rationem ducerem, facerem intelligeres quo cum tibi sit negocium, qui me accusandi ansam inde tibi sumpseris, unde te nobis gratias egisse maxime oportuit. At uide quàm planè & latine, minimeq; astute tecum ago, ni quæ tu copiòse quidem et eleganter in me collegisti, ea ipse duobus uersiculis refuto omnia, causam haud dico, quare mihi hospitiū statim non renuncies, accusationis tuæ summa hæc est. Vituperandum esse me in amicitia tua, quod non aliter ad te scripturus fuisse uidear, atq; si quid ad Ant. Marcilium scripsissem. Hic igitur primum mihi memineris, quidnam de scribendarum inter nos literarum ratiōe constitutum habeamus, deinde illud tibi succurrat uelim, cum mihi opus omnino non fuisse tum ad te scribere, tum uero me, etiam cum nihil esset quod darem, tamen ad te scripsisse. Ad Marcilium autem eò potissimum misisse, & quia id me facturum ei fueram pollicitus, & quia omnino habebā, quod illum scire mea plurimum interesset, his tibi causam meam si non probaui, æquis certe iudicibus approbabo. Tu uero, qui te excuses, qui me, quod officiosus erga te gratis fuerim, accusare es ausus? Extra iocum mi Octauiane, cum literas tuas legi libenter, tum ingenio tuo sum delectatus mirifice. Tu, quanquā admonitione nō eges, qui me hortaris & eodem ipse uocas, tamen fac stilum exerceas, & crebris me literis appelles. Ego enim cum ex ea re maximā uoluptatem capero, tum te, quantum studiorum nostrorum rationes ferent, hac in exercitatione continuero. Saluta meis uerbis communes amicos, nominatim Bapt. Egnatium, quē cum scriptorum meorum κριτὴν esse uoluerim, auidissime iudicium eius expecto, hortare hominem ut me aliquādo hac solicitudine liberet, & per me quidem, opus totum, unà litura emendet. Vix enim credas, q̄ mihi iam parum in eo placeam. Assem tuum Saturnalibus ad assem tibi præstabo. Vale. Ex urbe Patauio viij. Cal. Deceb.

CHR. LONG. ROGERIO BARMAE S.

Nihil unq̄ minus futurū existimaui, q̄ ut tibi aliquem hinc cōmendare necesse haberem, qui cum istic essem, & tu oīa mea causa uelle uiderere, tamen id ut facerem, nunquam adduci potui. Nūc et si me præter spē, de uetere illa mea sententia, depulsum esse uideo, facile tamen patior, nactum esse me tempus, in quo & de beneuolentia ei

ipsum plane studiorum meorum cursum incidisset, quem quidem ut scri bundis literis interpellarem nulla unquam ratione adduci potui. Nam, si nescis, ita ocij mei rationem institui, ut septimo quoq; demum die exarandis, dictandis ue epistolis latinis uacem, reliquum tempus omne, graecis & grauioribus literis consumam. Itaq; epistolae nostrae breuitatem ne sis admiratus, multo uero minus inelegantiam, quando neq; accurate scripta est, & plebeio sermone tecum agimus. Quare autem Nicolaus commendatione tua apud me uti non potuerit, ex ipso cognosces. Reliquum est cum ut salutem meis uerbis referas plurimam & Fr. Bragadeno, et caeteris communibus amicis, tum uero ut has statim ab earum lectione conscindas, aut certe ne committas, ut à quoq; legi possint, qui de ingenio doctrinaq; studiosorum ex unius alicuius epistolae lectiuncula pronunciare soleant, difficile est loqui, etiam suspicari potes quos significē. Vale. Ex urbe Patauio Non. Nouembr.

Inscribendae epistolae, qua tu ad me usus es, mihi quidem non satis probatur ratio, etiam si ea Alcyonium nostrum persaepe usum esse exploratū habeo. Sed haec coràm.

CHRI. LONG. LAELIO MAXIMO. S.

Fecerunt P. Bembi literae, quo minus te mei prorsus oblitum esse existimarem. Salutem enim mihi tuis uerbis attulerunt. Tu ne uero, qui usq; in ultimam Britanniam, anno superiore literas ad me saepe dabas, iā grauaris aliquid mihi mittere? idq; cum ego Venetijs, iterum diligenterq; ad te scripserim? & nunc in ipsis penè incunabulis tuis uiuam? Equidem postquam in Italiam redij, nihil à te, uel etiam de te praeterquam ex P. Bembi, & Hier. Alexandrini literis accepi. Quod si nostri obliuione commissum est, curabo ut prius istuc aduolem q̄ totus tibi excido. Sin te scribēdi argumentum aliud deficit, persequere res urbanas, non illas quidem quae ad Pont. Maximū, aut pontificij Senatus aliquem pertineant, multorum enim literis, nuncijs, rumore deniq; ipso ea nobis haud obscure nunciantur quotidie, sed planè ciuium Ro. & eorum, qui docti istic numerentur, actiones perscribe. Nec enim nescis q̄ sim curiosus, q̄q; omnibus peregrinantibus iucundum sit, etiam minima, quae domi gerantur, cognoscere. Ante menses quinque legit mihi quidem binas tuas ad se literas Hier. Alexandrinus, graecas alteras, alteras latinas, in quibus cum alia de rerum tuarum statu diligentissime scriberes, tum tibi duas à me Venetijs redditas esse epistolas significares. Verum id ad me scribi oportuit, cuius maxime intererat

de rebus nostris abs te certiorem fieri tum praesertim cum Marianus Castellanus mihi diplomata illa, quibus in ciuitatem asciscebar, mitteret. Sed planè ad inimicos olim nostros, nunc meos defecisti, ac prodita causa, quam tanta contentione egeras, ex patrono factus es accusatorum subscriptor, quod cum alijs indicijs multis facile perspicio, tum uero quod et adhuc tam pertinaciter taceas, & delatoris nostri mortem lachrymis carmineq; tuo adornaris. Sed iam satis iocati sumus. Illud serio uehementer q; à te peto, facias sciam, quid istic rerum agatur, quã tu rationem uitae tuae institueris, quod sanè sine summa sollicitudine nescire non possum. Nam de me ex P. Bembo cognosces, qui cum sensus meos tenet omnes, tum à me de rebus meis q̃ saepissime fit certior, de te uero, quẽ hic rogem, habeo planè neminem. Saluta mihi Corytium, cui quod quidem potui in hac defensionum mearum editione testimoniũ dedi. Vale, & me, ut facis ama.

CHR. LONG. FLAVIO CHRYSOLINO S.

Alutem mihi hodie tuis uerbis Fr. Capolistius dixit, simul & q̃ multi, q̃q; illustres de me sermones summa mea cum laude abs te istic habiti essent, commemorauit. Id ego ei cum summae nobis esse uoluptati ostendissem, neq; tamen aut nouum tibi, aut inexpectatum mihi esse significassem, ut tu de me amantissime uel sentires, uel honorificentissime loquerere, egit idem mecum, ut sibi officij sui testimonium aliquod apud te darem. Qua quidem in re q̃ ei morẽ à nobis gestum esse uides, uelim contra illum scire ex te, me id diligenter fecisse. Nam ad existimationem nostram magnopere pertinere arbitror, ut homines me uel minimis in rebus & memorem esse & gratum intelligant. Quod ut facias te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale. Patauij Non. Febr.

CHR. LONG. FL. CHRYSOLINO S.

Ellem aeque facile ex meis literis, quanti apud me sis perspicere posses, atque ego ex tuis quàm me ualde amares cognoui, complecterere, quod ipse quidem de te feci, absentem animo, hanc uero epistolam etiam exoscularere. Nec enim eo es ingenio, ut aut in amore te uinci uelis, aut quando amicum coràm non potes, animum certe eius cogitatione complecti nolis. Equidem exponere tibi nõ possim, quãtum uoluptatis ex literarũ tuarũ lectiõe caperim, neq;

sanè reperies. Atqui hoc in genere, ea mea causa est, ut quid ipse sentiam, libere exponere non possim. Quare quod ad te atinet, illud tibi persuadeas uelim atq; existimes, habere te fortasse multos aut beneficiorum magnitudine, aut assiduitate, aut uetustate tecum coniunctiores q̃ me, studio, beneuolentia, amore neminem, idq; non tam propter tuas, quas ad me tum humanissime tum honorificentissime scripsisti litteras, q̃ quod planè ingratus sim & mei dissimillimus, nisi te mea sponte amē plurimū, qui cum me semper feceris plurimi, tum nihil ad excolendā ꝯfirmandāq; amicitiā nostrā reliqui. Cura ut ualeas. Patauij pridie Id. Iul.

CHR. LONG. IAC. SADOLETO S.

M Issurus tibi Gul. Budæi epistolā, facere nō possum q̄n ipse quoq; dem aliquid ad te litterarum, quanq̃ quod scribam non satis occurrit, nisi hic tibi fortasse uis, tua in me beneficia ut ꝯmemorē. Atqui huius commemorationis te, ut puto, iam cœpit satietas, me quidem iam pudet, in ea toties habenda gratia elaborasse, quā ne cogitatione quidem ulla consequi possum. Simul & illud uereor, ne hoc tibi nomine in assentationis suspicionem ueniā, quasi frequens hæc tuoꝝ erga me meritoꝝ prædicatio non officio sed tempori tribuatur. Non cōmemorē? quid igitur scribam? aut qua me tibi nūc quidem uia memorem gratumq; ostendā? Sic scilicet faciam, postbac tum deniq; scribam, si quid erit, cuius te certiorē per me fieri oporteat. Nam quin tibi studium, beneuolentiam, obseruantiam quam debeo uel absens præstem, te non dubitare certo scio. Scribo equidem ad nonnullos istic, etiam cum nihil est opus, sed ad eos omnino, quibuscū mihi aut domestici usus, aut familiaritatis aliquid intercedit. Te ista grauitate, dignitate, doctrina uirium, istis occupationū quasi fluctibus obrutum hominem crebrioribus litteris interpellare non audeo. Tu modo fac me ames et ualeas, nos enim ita ut cū maxime tum te amamus & obseruamus, tum uero ualemus & literis nostris uiuimur, eo ēt sanè ꝯsilio ut tibi ocij nostri rationem per ocium aliquando reddamus.

CHR. LONG. P. BEMBO S.

Q Vod superioribus literis futurum prædixeram, id nunc scilicet accidit, quinta te iam epistola oppressit, nec tu litteram adhuc, aut omnino nummum. Atqui ad te scribendi nuper mihi in eo prora (ut aiunt) & puppis fuit, ut aliquid uel literarum elicerem, uel pecuniæ exprimerem. Nunc quando utrunq; adhuc desidero, quo hic me tandem animo esse censes? præsertim qui neq; utrum literas meas

accaeperis, neq; de pensione Cal. Nouembr. quid actum sit sciam. Verū postremum hoc lenius ferendum, illud mihi nulla ratione dissimulandum, quod hac tua scribendi intermissione de salute tua sollicitus esse coepi, quae quidem salus, qua mihi pecunia non antiquior? Vale & si me amas, cura ut me Flauius quemadmodum tecum agatur, primo quoque tempore faciat certiorem. Rescripsit iam tandem Budaeus ad collegae tui literas, eius epistolam ad te mitto, fac ut ea Sadoleto nostro q̃primum reddatur. Salutem Colae nostro. Lazarus Bonamicus, quo Steph. Saulius tum in latinis tum in graecis literis uno utebatur, migrauit Bononiam, studiorum'ne causa, quod quidem ipse affirmat, an uero ut Laurentij Campegij liberos instituat, nondum planè exploratum habeo. Hic mihi tu uelim memineris eorum, quae ad te xvi Cal. Octobr. scripsi, non quo quicquam timeam, confirmasti enim tu me, & planè sum cum animo magno tum etiam spe bona, presertim cum firmissima domesticorum nostrorum beneuolentia muniti simus, sed ut me id non temere tum scripsisse cognoscas. Illud item fac cogites, annum quidem iam ferè esse, cum monitis tuis atq; praeceptis adductus, earum literarum studiosus esse coepi, quas tu maxime probas, sed me quid profecerim omnino nescire, hūc laborem alteri delegare nō possis. Itaq; longiores tuas expectabo, uel exigam potius cum te ualere & uacare intellexero. Iterum Vale.

Obsignabam epistolam hanc, cum mihi à fratre tuo redduntur eodem tempore & literae & sestertiorum nummum circiter duo millia, quae me planè recrearūt, ac rōnes meas istic abs te diligenter explicari ostenderūt.

DECIMO LEONI PONT. MAX. PRINCIPI'QVE RO.

e T si apud me dubium nūq̃ fuit Pr. Optime, quin pro tua in omneis quidem mortaleis illa, sed mihi priuatim etiam perspecta humanitate, munus istuc nostrum qualecunq; esset boni consuleres, putaui tamen mearum esse partium, nō id quidem uerbis exornare, quod si facerem, nihil ab re fortasse facerem, sed in eo consilij mei rationes tibi breuiter exponere, ne quis me uel facilitate tua ambitiose abusum, uel nullam omnino officij mei ratiōem duxisse existimaret. Ego Pr. optime, ut primū Gallicos hosce canes duos nactus sum, omnium quos unq̃ mihi uidere contigisset cum eximijs corporis uiribus praestantissimos, tum singulari in dominum amore fideq; admirabileis, tum uero uenandi usu exercitatissimos, rem statim omnino esse existimaui, non priuata modo conditione maiorem, sed quae etiam eum maxime deceret principem, qui tanto caeteris dignitate hominibus praestaret, quanto

bi reliquas sui generis animantes & decora corporis specie, & generosi spiritus uirtute anteirent. Neq; uero illud me deterruit, quod res parum digna tanto principe uideri poterat. Legeram enim Indiam petenti Alexandro, ab Albaniæ Rege canem unum, inusitatæ quidem magnitudinis illum, sed unum tamen, & in quo præter uel segnem immanis corporis molem, uel insigne robur nihil facile mirarere, dono missum, nec minus liberaliter, quasi dignum, quod ab Rege ad Regem tã longe mitteretur munus, acceptum, cum in ijs quos ad te mitterem, non corpus tantum ad ualentissimas quasuis prosternendas bestias ualidum spectaretur, sed agilitas etiam ad eas omneis quæ uelocitate censeantur conficiendas egregia. Sed nec certe ineptiarum crimen extimui, tanquam Pontificiæ dignitatis rationem in eo parum haberem. Ego enim cum uenandi artem ab optimo quoq; & doctissimo ueterum in primis probatam, cæterisq; exercitationum generibus omnibus longe prælatam esse exploratum habeo, tũ uero te nõ tã quasi Pont. Max. quàm ut principem Romanum, id est Regum omnium plane Regem, nobilissimo honestissimæ exercitationis instrumento dignissimum iudicaui. Idq; Christianissimi Francorum Regis, à quo huc ad S. P. Q. Venetum legati missi sumus, exemplo feci, cui quidem etiam hac in re me plurimum gratificatum iri certo scio. Nam is cum nihil tua causa non uult, tum etiam te à suis ubiq; plurimi fieri iubet & cupit. Quo sanè et minus iã mirabere, quid mihi in mentẽ uenerit, ut ego q nec magna familiaritate, nec ulla sanè præclara fortuna apud te commendor, & regio te munere donare, & tã familiariter ad te scribere sim aggressus. Donandi causa ea est, quã supra posui, & quod Rex meus quæcunq; tibi uel grata uel iucunda esse intelliguntur, ea non à se modo præstari omnia, uerum etiam à suis studiosissime diligẽtissimeq; curari cupiat. Scribendi porrò fiduciam attulit, primum coniunctissima illa, quæ ei tecum intercedit necessitudo, deinde uero etiam, re mihi iam probata incredibilis illa tua humanitas, qua me ab eodem Rege, atq; religiosissima eius uxore ad te olim legatum, issic ita accepisti, ut ex eo tempore te nõ solũ Pontificatus, quo appellaris, nomine Maximum, sed etiam singulari & planè quadam diuina bonitate optimum semper iudicarim, nihilq; antiquius duxerim, q̃ ut quoquo itelligeres modo, me tibi memoriam beneuolentiamq;, quam debeo, adhuc præstare.

CHR. LONG. FLAMINIO TOMAROTIO S.

Iucundissimæ mihi tuæ literæ fuerunt, quæ & summam tuæ erga me uoluntatis significatiõem haberent, & perbelle scriptæ, spem mihi afferrent non dubiam, talem te aliquando fore, quã

le ego te uel ingenio uel diligentia tua fretus, multis futurum praedicassem. In ijs quod me rogas, ad quem diem nos expectes, ego uero id, ut nunc quidem est, constituere non queo, ita multis & magnis negociorum fluctibus obruor, de quibus ad te aliquid scriberem, si eius essent generis, ut litteris recte committi possent. Siquid tamen coniectura augurari licet, Nonis, aut certe ante diem tertium Id. Apr. uobiscum ero. Tu uero, quod te in uiam des hoc tempore nihil est. Nam neq; religiosis hisce diebus satis honesta fit cuiquam peregrinatio, neq; planè uideo, si ueneris, quos ex cõsuetudine nostra percapturus sis fructus, qui tantis occupationibus distinear, ut uix huic tantulae conscribendae epistolae spacium habuerim, sed nec certe quod tibi mitterem aliud occurrebat. Cum haec maxime scriberẽ, ecce tibi altera tua epistola, sed in eandem cum superiore rationem conscripta, nisi quod te uehementer mirari ais, nihil tibi literarum à me adhuc esse redditum. Eius autem rei causam, ex ijs quae paulo ante proposui facile collegeris. Vale. Venetijs. Palmaribus.

CHR. LONG. STEPH. SAVLIO S.

Q Vod nihil adhuc literarum ad te dedi, non id quidẽ causae fuit, quod scribendi argumento destituerer, quo planè abundabã, sed quia eius erant generis res, quae literis recte committi non possent, & ipse quotidie uel potius in dies singulos me ad uos recipere cogitabam. Nunc uero, cum necdum à regijs negocijs sim planè uacuus, & ea iam dies instet, quam hic omnino traducere constitueram, uolui tibi consiliorum meorum rationem per literas breuiter significare, ne tu me uel cessationis nomine suspectum haberes, uel diutius etiã quàm par esset istic expectares. De re tua nihil adhuc constitutum. Tantum enim negocij regiae literae & nobis & Decemuiris exhibuerunt, ut priuatorum postulationibus operam dare per hosce dies neutris uacarit, sed tamen, ut spero, res ex sententia nostra conficietur, non ulla quidẽ citerioris Galliae praefecti commendatione, qua ille insulsa et planè gallica est usus, sed & consilijs nostris & ipsius causae aequitate pugnabimus. Experiemur quidem certe omnia, ut antequàm hinc proficiscamur, tibi factum esse satis intelligas. Cogitabamus autem istuc aut Non. aut circiter quartum diem Id. Apr. interim uide, amabo te, ut quoad in montibus Euganeis commorabere, nequid absentia nostra rebus nostris detrimenti afferat, quod quidem facillime consequere, relicto domi Antonio tuo, cuius & fidem & amorem erga te singularem mihi perspexisse multis in rebus sum uisus. Sed certe γλαῦκας εἰς ἀθήνας, qui tibi consilium dem.

Libellos, quos quasi itineris comites mecũ detuleram, scito nulli nobis adhuc usui fuisse, sed sarcietur tamen ociosis his diebus ocij nostri iactura. Rem nos eo perducturos speramus, quo te iam aduentare suspicamur:, sic fiet, ut cum rediero, pari iugo in eadem studia incumbamus. Vale. Venetijs VIIIj Cal. Apr.

CHR. LONGOLIVS P. BEMBO S.

NVnq̃ fore putaui, ut aliorum prius litteris de aduentu tuo q̃ abs te ipso fierem certior, quod tamen quando praeter opinionẽ meam commissum est, Venetias te saluũ uenisse immortaliter gaudeo, da modo operam, si me amas, ut statim intelligam, Hic ne te, & quando expectemus? an uero nos istuc aduolare, an in Patauino tuo tibi malis occurre. Multa sũt quare tecũ esse uelim hoc tẽpore, sed illud potissimũ rationes nostras conturbat, quod Saulius noster heri Genuã, pertristi, neq; tñ non uero, fraternae ualetudinis nuncio excitus, accurrit. Reditum se quidem ille ad hiemem proximam affirmauit. Sed haec coram. Liceat modo nobis propediem congredi. Vale. Patauij. iij Non. Mai.

CHR. LONGOLIVS FLAMINIO TOMAROTIO. S.

PErsuasi tãdem Bembo nostro, ut me uobiscum esse mallet q̃ secũ, cras igitur, ad summum perendie, nos istuc uenturos speramus. Tu interim da operam nobis cubiculum ea, quam tibi istinc discedens ostenderam, ratione instructum ut sit. Interius conclauis uestibulum si nondum illi faciundum curarint, admonebis eos meis uerbis, id primo quoq; tẽpore uel statim potius, extruendum ut locent, Res est nec multi negocij, nec ocio nostro parum idonea. Lectus e regione uestibuli uelim collocetur. Pluteum ad destrum ingredientibus parietem statues. Bibliothecam inter fenestras duas mediam explicabis. Reliquam intestini operis supellectilem q̃ poteris aptissime totam honestissimeq; dispositã uoles, quicquid in eo genere sumptus feceris, id ego tibi omne simul ac uenero dissoluam. Saluere uelim à me iubeas hospites meos, quibus etiam puerũ meũ, dũ absum, cõmendatum esse cupio. Vale Venetijs Id. Mai.

CHR. LONG. ANT. MARCILIO. S.

EXpectabam auidissime tuas multis de rebus literas, cum mihi epistola tua reddita est, festiuitatis plena quidem illa & urbanitatis, sed multo mihi iucundissima sanè futura, si quod sperabã

ad me scripsisses, quemadmodũ factum Martino diem, quo ueteres etiam dolia relinebant traduxissetis. Scis enim condictum uobis fuisse, constitutumq; ut eo ipso die apud Egnatium nostrum, iniuriarũ iudices sederetis dicam an accumberetis? Equidem & si non dubito, quin aurificem nostrum ociosum omnino reddideris, iudiciũq; & conuiuiũ ipsum facetiarum tuarum lepore, docte exhilararis, uelim ad me tamen de tota cœna illius ratione diligenter perscribas, ut quo me, haud scio quàm laudabile, pertinax certe artium nostrarum studium, spectaculo abduxit, id mihi suauissimæ tuæ literæ exhibeant. Scio quam tu unus omnium huic rei cõscribendæ sis aptus, ego certe tantum me scire arbitrabor, quantũ ex tuis literis intellexero. Nam quod te huc nostra causa uenturum scribis, est id mihi quidem in optatis, sed quando te expectemus fac planè sciam, quanquam mi Marcili charissime cum hoc in genere toto, tum in cæteris huiusmodi quidem rebus, ita mihi commodes uelim, si tibi ut id libenter facias prius in animum induxeris. Sic enim amicis uti soleo, ut tantũ ab eis contendam, quantum eorum uel fert dignitas, uel etiam patiũtur rationes. Quare si, quod te facturum ostendis, ueneris, nobis gratissimũ feceris, qui suauitate tua perfrui cupimus. Si non ueneris, æquo id animo feremus, etenim qui tibi in primis consultum uolumus, & alterũ quidem te, amori erga me tuo tribuisse, alterum rebus tuis negare non potuisse iudicabo. Itaq; nec te pluribus, ad eam istic conficiendam rem, quàm literæ tuæ abs te iam affectam esse significant, ipse cohortabor. Scio enim eam tibi esse curæ, sed tamen urgebis opus, mihiq; ad diem promissa re præsentabis. Quod si ut spero & opto feceris, omnia me per te consecutum putabo. Quod de Elephanto ascripsisti, planè non probo. Indicum quidem aut Afrum inedia & uerberibus domueris, iste uobis cum multo uuæ succo mitificandus est, tum etiam gloria potissimum alendus, sed ita ne studium illi uestrum in ludibrij suspiciõem ueniat. Nec enim ignoras, tametsi omnium terrestrium animalium sit longe maximum & gloriæ cupidissimum elephas, quàm tamen suspiciosus idem sit, quamq; hominis animaduerso uestigio, statim subsistat, circunspectet, iras proflet, nosti cætera. Vale. Ex urbe Patauio oct. Cal. Decembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

m Aius atq; omnino aliud q̃ sperabam nactus es ex literis meis epistolæ argumentum, qui cum uel tuo more, breui respondere, uel me etiã authore tacere potuisses. Scis enim ita tibi mecũ cõuenire, ut tũ deniq; si res coget, tamen uberrimas mihi literas remiseris,

sed nō eius generis, quales abs te quidem expectassem. Voluisti scilicet mihi morē gerere, & me scripto aliquo tuo lacessere. Id si ita est, non tu quidem expectatione tua frustratus es, prouocasti enim me, sed ita mehercule quēadmodum crabrones irritari solent. Equidem nisi maiorem facilitatis meæ quàm calumniarum tuarum rationem ducerem, facerem intelligeres quo cum tibi sit negocium, qui me accusandi ansam inde tibi sumpseris, unde te nobis gratias egisse maxime oportuit. At uide quàm planè & latine, minimeq; astute tecum ago, ni quæ tu copiosè quidem et eleganter in me collegisti, ea ipse duobus uersiculis refuto omnia, causam haud dico, quare mihi hospitiū statim non renuncies, accusationis tuæ summa hæc est. Vituperandum esse me in amicitia tua, quod non aliter ad te scripturus fuisse uidear, atq; si quid ad Ant. Marcilium scripsissem. Hic igitur primum mihi memineris, quidnam de scribendarum inter nos literarum ratiōe constitutum habeamus, deinde illud tibi succurrat uelim, cum mihi opus omnino non fuisse tum ad te scribere, tum uero me, etiam cum nihil esset quod darem, tamē ad te scripsisse. Ad Marcilium autem eo potissimum misisse, & quia id me facturum ei fueram pollicitus, & quia omnino habebā, quod illum scire mea plurimum interesset, his tibi causam meam si non probaui, æquis certe iudicibus approbabo. Tu uero, qui te excuses, qui me, quod officiosus erga te gratis fuerim, accusare es ausus? Extra iocum mi Octauiane, cum literas tuas legi libenter, tum ingenio tuo sum delectatus mirifice. Tu, quanquā admonitione nō eges, qui me hortaris & eodem ipse uocas, tamen fac stilum exerceas, & crebris me literis appelles. Ego enim cum ex ea re maximā uoluptatem cæpero, tum te, quantum studiorum nostrorum rationes ferent, hac in exercitatione continuero. Saluta meis uerbis communes amicos, nominatim Bapt. Egnatium, quē cum scriptorum meorum κανόνα esse uoluerim, auidissime iudicium eius expecto, hortare hominem ut me aliquādo hac solicitudine liberet, & per me quidem, opus totum, unà litura emendet. Vix enim credas, q̃ mihi iam parum in eo placeam. Assem tuum Saturnalibus ad assem tibi præstabo. Vale. Ex urbe Patauio viij. Cal. Decēb.

CHR. LONG. ROGERIO BARMAE S.

n Ihil unq̃ minus futurū existimaui, q̃ ut tibi aliquem hinc cōmendare necesse haberem, qui cum istic essem, & tu oīa mea causa uelle uiderere, tamen id ut facerem, nunquam adduci potui. Nūc et si me præter spē, de uetere illa mea sententia, depulsum esse uideo, facile tamen patior, nactum esse me tempus, in quo & de beneuolentia e(

qu me tua periculum tam longe gentium facerem, & quantum studijs nostris ingenijsq; adhuc faueres, experirer. Vidum Brelaum optimum & summæ spei adolescentem uehementer diligo. Nam me & Lutetiæ Parisiorum, cum primum forum attigi, obseruare cœpit, et hic tam constanter semper coluit q̃ qui maxime. Is cum patris literis, quasi ex summo studiorum suorum cursu, domum reuocetur, intelligatq; se nondum eos percæpisse ex legitimis literis fructus, quos si ad metam peruenisset, sese inde laturum sperarat, uellet sibi studiorum tempus inuenientem quoq; annũ prorogari. Id uero cum se suis literis consequi posse diffideret, neq; de patris sui in te, atq; tua in me uoluntate dubitaret, egit mecum, ut ea de re ad te q̃ diligentissime perscriberem. Nec ego honestius quicq̃ à te petere mi Barma, nec tu illi hoc tempore gratius possis facere. Conficiendi negocij spem nobis afferunt, cũ rei ipsius æquitas, tum uero summa tua apud adolescentis parentem uel gratia uel authoritas, quibus illum facile cessurum esse confidimus. Neq; uero patri metuendum est, ut icirco tarda filium decessio delectet, quod adolescentibus omnia peregre solutiora sint q̃ domi. Noscis enim hominis ingenium, ego studium & disciplinam, quæ mihi sanè eum eiusmodi uirum fore pollicentur, qui uestris paucorũ laudibus aliquando respondeat. Non soleo temere quicquam de altero affirmare, presertim adolescente, qui qualis futurus sit præstari non potest, sed si quo tamen sum in dignoscẽdis hominibus deligendisq; amicis iudicio, spondeo uobis annum item unum additum patris desiderio, si ij studio, alteri multorum annorum lætitiam, alteri sempiternam laudem esse allaturum. Quare quantum me amas, uel te potius ipse scis à me obseruari, tantum emitere, & contende, ut à patre eius tertij quoque anni accessionem impetremus. Hoc te uehementer etiam, atq; etiam rogo. Vale. Ex urbe Patauio Idib. Ianuar.

CHR. LONG. P. BEMBO S.

Cœpi tuas literas ad quar. Non. Ianuar. in quibus occupationum tuarum signum mihi fuit uel maximum, quod tum aliena manu, tum patria etiã lingua, ad me scriberes. Sic tamen cum mihi iucũdissimæ fuissent, hoc certe asperserunt molestiæ, quod unam quinque mearum ad te epistolarum perijsse significabant. Nam ad quatuor duntaxat posteriores rescripsisti. In illa & si nihil planè esse uideo, quod uel te scire alterutrius nostrum iam Intersit, uel te magnopere delectare possit, faciũdum mihi tamen putaui, ut eam ad te eodem exemplo mitterem, nõ quo mea mihi maximè placeant, scis enim ut me tu, calumniatorem mei fis appellare solitus, sed ne me quicquam de quinta illa epistola mẽtitum esse existimares. Quod scribis posteriores quasq; meas ad te literas, tibi prioribus magis probari quidem, & insequentis quodq; epistolæ genus, propius omnino antecedente ad illius, cuius nos imitatione erudimus, scripta accedere, sed me nõdum eos ex studijs nostris percæpisse fructus, quos me aliquando laturum esse tibi persuasisses. In hoc tibi equidem assentior mi Bembe charissime. Neq; uero ego sententiam ea de re exquirebam tuam, quasi patauinenses hosce dies, ad ea quæ te authore molimur, satis esse arbitrarer, qui ne fundamenta quidem tanti operis mihi adhuc iecisse uiderer, aut ut aliquod tuarum literarum testimonium elicerem, qui me scilicet una studiorum meorum conscientia sustentare soleam. Sed eo illa, mihi crede, scripsi, ut de te intelligerem, tantum ne me superiore anno studijs nostris operæ nauasse iudicares, quantum initio speraras, an uero expectationi tuæ non respondissem. Id autem ipsum eo potissimum rogabã, ut si me eius temporis operam bene posuisse iudicares, pergerem ut cœpi. sin minus, ut uel commutata itineris ratione, uel correcta cursu tarditate, eò aliquando peruenirem quo tu me & corãm uerbis & absens literis uocare nunquam destitisti. Sic igitur facies, & si quidem id, quo nos adhuc usi sumus, instituendi genus probaris. (Non enim ignoras in quamnam disciplinæ uiam sim ingressus) authoritate nos tua confirmabis, sin aliquod eruditius & ad discendum expeditius habueris, consilio tuo nos adiuuabis. Io. Pinum, quem à Pontifice Max. sacra Apameæ præfectura ornatum esse audio, & mehercule etiam gaudeo, facile patior sua commoda nostris anteponere. Neq; uero ab ijs, quæ mihi Venetijs ostẽdebat pro-

missis, unquam pependi, quod uel ea ob possis colligere, quod ad eum ui scriberem, animum inducere adhuc nō potui. Hominis dignitatem atq; doctrinā semper suspexi, in iuuandis amicis studium aut diligentiam ab eo nunquam uehementer expectaui. Tu, & si fortunæ nostræ ratio nihilo etiam nunc informatior est, q̄ cum Venetijs essemus, prænsabis tamē, si tibi uidebitur, hominem, idest eum meis uerbis & crebro saluere iubebis, & appellare non desistes. Nihil minus uelim q̄ ut se in amicitia nostra uituperandum esse existimet, idq; ni si officium suum à nobis desiderari intelligat, animum ad nos oppugnandum aliquando traducat. Sed hoc deus aliquis uiderit. Ego enim ad cæteras meas curas, hanc quoq; ex istius negligentia sollicitudinem accessisse uideo, ut me iā abs te uno tuendum ornandumq; existimares. Adolescentem qui has tibi reddidit literas, mea causa commendatum habeas uelim. Nam & Germanus est, et honesto apud suos loco natus, nec à literis nostris abhorrens, & quod caput est, nos hic etiā in primis & colit & obseruat. Excurrit autem Romam, non quo ei quicquam istic sit negocij, sed ut, dum cæteri, ociosis hisce Saturnalium diebus, à literis feriantur & cessant, ipse urbem, & eodem itinere Ethruriam agrumq; Picenum uisat; quicquid eo in genere ei commodaueris erit mihi gratissimū, nec apud adolescentem ipsum non optime collocatum. Vale. Ex urbe Patauio Idib. Ianuar.

CHR. LONG. ANDREAE NAVAGERIO S.

Accepi literas tuas heri post meridiem, qui dies Id. Ianuar. fuit. Ad eas rescripsissem, illa statim ipsa, quemadmodum postulabas, qua mihi sunt hora redditæ, nisi scripta tua eius esse generis iudicassem, ut mihi non festinanter, et in transcursu, sed diligenter & per ocium accurate legenda essent, præsertim cum tu me eorum Aristarchum constitueres, qua quidem in re irrideri me abs te professo putassem, nisi animum tuum plane perspectum habuissem, quem cum mihi studiorum nostrorum societate coniunctissimum, tum uero ab omni illiberali simulatione alienissimū esse certo scio. Faciam igitur quod iubes, neq; id uero ipsum tam libenter q̄ necessario, etenim qui mihi conscius sum nullo esse me prorsus ea in re uel ingenio uel iudicio. Veruntamen ut me maiorem uoluntatis tuæ q̄ pudoris mei rationem habuisse intelligas, pauca quædā hic notabo, quæ sane cum tu legeris, iudicabis eā esse lucubrationum tuarum rationem, ut monimenta tua calumniam potius à quouis pati q̄ à me limari perpolirique possint. Atq; ut supra crepidam aliquid statim audias, scito in ipso protinus principio desiderari ā.

nue Sadoleti prænomen, idq; cum quod ea res dignitati quiddam habere, tum etiam quod ipsa epistola iustæ orationis instar mihi quidem esse uideatur. Eadem adiectionis formula uellem abs te & Bembi, & meum etiam ubiq; nomē subornari. Nā quod ais latinam linguam, florentibus imperij Ro. opibus, intra Italiæ limites constitisse, ego uero eam cum alijs gentibus communem fuisse arbitrabar, tum uero in Gallia maxime, Hispania, & Tingitana prouincia uiguisse existimabā. Adduxerat me autem in eam opinionē non leue argumentum, quod earum gentium quotidianus sermo haud ita multum ab Italico uel hodie dissideret. Sed non is ego sum, qui in hoc sententiam meam anteponi uelim tuæ. In eo quidē certe admoneri te patiere, ut cum aut totum quiddam, aut generatim omnia complecti uoles, aut etiam mentis tuæ sensus aientibus uerbis confirmare, duplicatis negatiōibus aliquātō parcius utare, cuius quidē generis sunt illa. Nemo nō, nullus nō, nihil nō, quæ ut orationi modice aspersa iucūditatis afferunt plurimū, sic crebrius repetita & frequentata satietatem pariunt atq; fastidium. Nam quin totidem uerbis ex M. T. Cicerone tibi tam multa impune sumere non liceat, ne tu quidem ipse, puto, negas. Sed non animaduertis scilicet, qui assidua summi illius oratoris librorū & accurata lectione hoc consecutus es, ut etiam imprudenti tibi & inuito integræ ipsius non modo sententiæ, sed multi simul interdū uersus excidant atq; effluāt. Quod ipsum ut mihi summæ est admirationi, sic haud scio an illis probaturus sis, qui Aesopi Graculum nobis obijcere non desinunt, nec Pub. Vergilij authoritatem atq; iudicium hac in re accipiunt. Equidem quod ad me attinet, ita statuo. Dirigendam quidem esse nobis et formandam scribendi rationem putaui, ad illius dicendi genus, sed ita, ut uirtutes eius oratione nostra exprimere conemur, non item ut passim omnia ab eo mutuemur, aut quod multos facere iam uideas, quasi centones quosdam ex Ciceronis uerbis consuamus. Sed hoc toto de genere alias. Nunc tantum habeto, dandam tibi esse in primis operam, ut quæ in manus hominum à te peruenient, planè tua esse, non aliena, & aliunde corrogata uideantur. Quod quidem hoc tibi magis faciendum censeo, quod tu hodie unus ex omnibus commentationes tuas literis commendare potes optime atq; elegantissime. Habes frē mi Andræa, quæ studio tuo obsequutus in eo libello animaduersione digna existimaui, cætera sunt eiusmodi, ut mihi quidem magnopere probentur. Quæ porrò de mea erga Iac. Sadoletum uoluntatis significatione ascripsi, ita denique proferri ea uelim, si id ut libenter facias animum induxeris. Sin autem à te sententia quidem probabitur mea, locus autem ipse, aut eloquendi ratio non item placuerit, tu ea de re quod tibi uidebitur constitues, & ita spero con-

ſtimes, ut me tamen ille gratum memoremq; ex tuis literis ſit cogniturus. Tantum hæc ad te perſcripſeram, ecce ab eodem Sadoleto literæ, quibus ut te ſuis uerbis ſalutarem, atq; tibi etiam ſuo nomine gratias agerem, rogaret, quod ſibi tam præclarum, opinor in illa uel ad Pont. Maximum, uel ad P. Bembum epiſtola, id enim cuiuſmodi ſit non explicat, teſtimonium dediſſes, quod me feciſſe ſi per literas tuas ei ſignificaris, erit id mihi tã gratũ q̃ qđ maxime. Vale. Ex urbe Patauio.

GHR. LONG. FLAVIO CHRYSOLINO. S.

P Er breueis quidem ſed iucundas tamen abs te literas accepi in quibus illud mihi fuit gratiſſimum, quod Iac. Sadoletum & eſſe in urbe adhuc, neq; hoc tempore quoquam exiturũ ſignificabas. Sic enim iniecta mihi ſpes eſt non dubia fore ut ille toties à me inuitatus aliquando reſcribat. Equidem non facile cãm reperio, cur cum ego & Bembus iſtinc abeſſemus longius ille crebras ad me daret literas, ſimul ut collega eius Romam aduentarit, ſtatim ſcribere intermiſerit, uel deſtiterit potius, preſertim cum eũ multis literis non prouocarim modo, ſed etiam epiſtolæ argumentum, ei de induſtria perſæpe dederim. Venit mihi interdum in mentem ſubuereri, ne plus apud eũ quotidianæ inuidorum meorum, qui & multi & callidi ſunt, calumniæ potuerint, q̃ ualuerit mea in ipſum obſeruantia. Longe enim gentiũ abſũ neq; iniquorum ſermonibus abſens reſpondere poſſum, contra cum mihi hominis grauitatem atq; prudentiam propono, nihil eum huiuſmodi potuiſſe aut fallere aut de ſentẽtia depellere mihi perſuadeo. Omnino male me habet tam diutina hominis ceſſatio, minime omnium ceſſatoris, et (quod ſæpe ſum expertus) uel in ſummis occupationibus officioſiſſimi. Tu ſi me amas, inueſtigabis huiuſce rei cauſam, ut ſiqua offenſiuncula, nõnullorum peruerſitate in illius animo facta ſit, huic malo ſtatim medeamur. Sin iccirco taceat, quia ei non uacet deſinamus quandoq; & de immutato illius erga nos animo temere ſuſpicari, & hominem occupatiſſimum literas improbe flagitare. Quod uero te, ſi qđ unq̃, factus eris ocij, ſuperioribus meis literis abunde ſatisfacturum polliceris, nihil eſt mi Flaui, quod in eo, mea quidem cauſa, labores. Satis enim uel etiam omnia à te habuero, ſi, ut es, res meas iſtic procuraris. Quod ne me ſine cauſa nũc ſcripſiſſe putes, ſcito mihi decretæ à Pont. Maximo, in annuum ſumptum pecuniæ diem, ad Cal. Nouembr. cedere, atq; magna ex parte in diligentia tua eſſe poſitum, ut eo tempore ad nummos perueniamus. Quod ne mihi fruſtra perſuaſerim, te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale. Ex urbe Patauio xvi Cal. Octobr.

Scripta epistola superiore, reddita mihi sunt abs te literæ, quas ad yi. Id. Septembr. te dedisse scribis. Ad eas, ut nunc quidem est, nihil rescribo, per ocium responsurus, siquid huiusmodi occurrat, quod tibi non iniucundū fore iudicaro. Ex literis Hier. Fonduli, quas unà cum tuis accepi, cognoui puerum meum, quem Io. Pino Regis Franci legato Romam proficiscenti commendatum tradideram, nuper discessisse, quod scilicet ut debui, multis de causis moleste tuli, sed quando adolescenti uel puero potius deesse non possum, qui me relicta patria non in Britanniam modo, Germaniam & Italiam durissimo anni tempore est secutus, sed fidem etiam suam mihi & operam & obseruantiam magis omnino q̄ ab ista ætate postulandum erat, præstitit, si ad remanendum nullis conditionibus adduci potest, numera, quæso, illi tantum pecuniæ, quātum ad sumptum itineris huc usq; satis esse uideatur. Quicquid mihi eo nomine expensum tuleris, id ego tibi omne bona fide uel permutandum istic curabo, uel si ex pensione nostra deducere malis, acceptum statim feram. De tota hac re, uelim me q̄ celerrime facias certiorem. Iterum Vale.

CHR. LONG. HIER. FONDVLO S.

Complicaram meas ad P. Bembum, & Fl. Chrysolinum literas, cum mihi tuæ, quas te prid. id. Septembr. dedisse significabas, sunt redditæ, & cum ijs item eodem exemplo alteræ, quibus dies ascripta erat, yi. Id. Iun. Ad utrasq; plus pro pediem nactus ocij respondebo. Nunc quod me in posterioribus commouit, accipe. Doleo equidem Io. Balleuium commendatione nostra diutius uti aut noluisse aut non potuisse, sed me illud magis excruciat, quod eum à se leuiter hominem abalienarit, cuius ei beneuolentiam meis & uerbis & literis conciliaueram. Verum ea est adolescentuli tum ætas tum ingenium, cui nemo non facile ignoscat, itaq; si eo cōsilio se subduxit, ut tantisper abesset dum Pini nostri iracundia defrueresceret, quæso te ut puero communē amicum placatum reddas. Sin nunquam rediturus discessit, nec spes melioris uitæ ulla ei istic ostenditur, cura ut ad nos quacunq; ratione remittatur. Nam ad officium, dignitatemq; nostram pertinere arbitror, ut is qualiscunq; nunc est, in Italia ne egeat, qui domo & fortunis relictis, est enim honesto apud suos loco natus, me authoritatemq; meam per tot maria per tot terrarum tractus huc usq; libenter sit secutus. Quare hominem conquires, uiaticoq;, quod à Flauio nostro accipies, prosequere. Ego autem & quancunq; tu ei fidē dederis, præstabo, & ut ad suos honeste liberaliterq; à nobis tractatus redeat, diligēter curabo. Vale Ex urbe Patauio xyi. Cal. Octobr.

CHR. LONG. IAC. SADOLETO.

Etsi sanè non habeo, neq; quod ad te scribam, scis enim mihi iam literas tuas expectandas potius esse, quàm meas tibi, neq; omnino quo literas mittam, audio enim te iá diu transalpeis profectum, cum tamen ad P. Bembum collegam tuum scripsissem, facere non potui, quin ad te quoq; literarum aliquid darem, quod ille tibi ubiuis gentium esses reddendum curaret. Itaq; si forte adhuc in Italia es, hoc tibi planè nomine gratulor, nec enim nescis quanti apud me sit Italiæ genius. Sin Carpentoracti, gaudeo equidem, sed nõ tam mehercule tibi, qui in prouincia sis cum imperio, quàm ciuitati ipsi atq; prouincialibus tuis omnibus, quos quidem te præside sacrorumq; antistite beatos semper quidem iudicaui, sed anno potissimum superiore, cum non solum ex eorum oratione, uerum etiam ex uultu & oculis & fronte cognoui, cum q̃ tu illis charus esses, tum ut omnem felicitatis suæ spem in te contulissent unum. Optima enim, mea quidem sententia felicitatis pars hæc est, ut quis se felicem esse putet, aut certe futurum speret. Equidem cum illac iter Lutetiam Parisiorum facerem; tanta erat in expectatione aduentus tuus, ut pro eo ab omnibus certatim ordinibus uota fierent, comitumq; meorum nonnulli, qui te planè non nossent, interdum subuererentur, ut tu tantam expectationem sustinere ac tueri posses, quoad à me plenius edocti, qui ipse tandem esses, quod erat, sentire cœperunt, te non modo insigni ad laudem uirtute tua hominum opinioni responsurum, sed prædicationem etiam meam facillime superaturum. Atq; ego mediusfidius non dubito, quin & integritatis tuæ famam, & doctrinæ gloriam, & sanctitatis opinionem aduentu tuo confirmaris, eosq; uirtutum tuarum admiratione omneis ita in te conuerteris, ut se non ab urbe Roma missum aliquem, sed hominem planè diuinum atq; de cœlo lapsum intueri existiment. Quod autem ad me attinet, illud tibi persuadeas uelim, neminem esse mortalium, quem ego pluris faciam quàm te, neminem quem magis amem, neminem cui uel plus uel libentius debeam, de quo, & si te, nihil etiam scribente me, non dubitare certo scio, scribendum tamen ad te putaui, atq; omnino in eam partem peccare malui, ut in eo inaneis potius q̃ nullas à me literas acciperes. Quod tibi ante quintum mensem scripsi, me simulatq; necessarios meos de Florentino negocio consuluissem, ex illorum ad te sententia atq; authoritate statim scripturũ, scito illos postq̃ in Italiam redij nihil ad me neq; literarum neq; omnino pecuniarum misisse, ut equidem accusatores meos mihi infestiores esse nõ putem, quod in ciuitatem tanto bonorũ consensu sim receptus q̃ illos quod

contra uoluntatem suam in Italiam reuerti. Sed facile spero ut cum istorum improbitas tuis cæterorumq; amicorum meorum consilijs infringatur, tum uero illorum cogitationes uel officijs nostris uel ipsa die debilitentur. Siquid tamen aliquando tandẽ rescripserint, ad id meas accommodãs literas, ex illorum sermone ad te scribam. Neq; tamen si iniquiores in me esse pergent consilijs eorum steterim, sed ipse mihi planè consulam, modo res nobis integra ad reditum tuum reseruari possit. Quod si nihil omnino scripserint, non multam quidem ipsis & Galliæ uniuersæ salutem dicam, sed faciam profecto ut intelligant me & nouarum amicitiarum cõiunctione aduersus ueterum iniquitatem munitum esse, & quam in partem meum in Italiam reditum accipiant non magnopere laborare. Interea curabo, ut mihi fructus ocij mei constet, eiusq; tibi ratio aliquando de me reddi possit. Vale. Patauij Prid. Id. Iul.

CHRI. LONG. LÆLIO MAXIMO. S.

b Inas hic à te, haud ita lõgo interuallo, literas accæpi. Vnas Paulus frater tuus mihi reddidit, alteras idem cum Venetias iam migrasset, ad me perferendas illinc curauit. Prioribus excusationem intermissionis literarum tuarum affers, quam quidem ita accæpi, ut magno interim dolore afficerer, cum quod P. Paulus Castellanus immatura morte nobis ereptus esset, tum quod ea res & Iuliano nostro & tibi tantum negocij molestiarumq; attulisset quãtum tu uix literis complecterere tuis. Verum cum ea lege atq; conditione nati simus, ut nobis hæc atq; alia istiusmodi innumerabilia uelimus nolimus subeunda sint, meminerimus nos esse homines, feramusq; si non libenter, at toleranter certe, quod nullo consilio neq; uitare neq; mutare possumus. Sed γλαῦκας εἰς ἀθήνας, qui hæc ad te. Itaque quod de Perusina illa tua peregrinatione addidisti (cur enim mihi non liceat te authore iucunda tristibus miscere?) est id quidem mihi nõ iniucundum, sed fuisset omnino multo iucundissimum, siquid de delitijs illis tuis nominatim ascripsisses. Vix enim credas q̃ scire cupiã, ut tui tibi amores illic processerint. Nam tecum Romæ q̃ diu fui, fuisti tu certe semper εἰς τὰ ἐρωτικὰ ἀφρόδιτος. Quod autem tibi per rei familiaris occupationes, nihil ad doctrinæ studiũ ocij relictum esse doles, ego quoq; tua causa doleo, sed si me audies, aut ista studia nõ tanti facies, aut facile desiderio tuo satisfacies; si & noctibus abuti, & matutinas horas, cũ neq; tibi quisquam molestus est, neq; tu cuiq̃ negotium exhibes, lectiunculis dare uoles. Defensionum nostrarum librum istic tantopere probari, magis equidẽ gauderẽ,

ſi uel aduerſariorum noſtrorum iudicio talis eſſet, qualem tu eum eſſe prædicas, uel optima laudum illarum pars ad te cæteroſq; amicos noſtros non trasfunderetur. Explicaui quidem in eo, quicquid tum habebam cũ artis tum consilij, ſed non eo ſanè conſilio, ut dicendi peritus, à quo quidẽ etiam nunc q̃ longiſſime abſum, ſed ut uir bonus ueſtraq; aduocatione nõ indignus, haberer. Vni epiſtolæ reſpondi, uenio ad alteram, in qua qđ ſcribis prælia te mea cauſa ſuſtinere, facile oſtendis, amorem erga me tuũ, ſine cauſa in ſuſpcionẽ ueniſſe. Atqui nunq̃ id mihi ſubuereri in mentẽ uenit, ſed cũ intermiſiſſes literas ad me dare, nec eiuſce rei cauſam ullã omnino reperirẽ, uolui ſcilicet leuiter te pungere, ut tuas quoquomodo elicerem, quod eo ſanè commento me conſecutum eſſe & uideo & planè triumpho. Eſt igitur mihi pergratum obtrectatores meos à te refutari, ſed ita mehercule, ſi id ea facis moderatione, quã me tibi anno ſuperiore Lugduno præſcribere memini, ideſt ſi eorum improbitatem, non regerendis conuicijs, nec enim digni ſunt quibus tu quidẽ maledicas, ſed animo forti & graui, quaſi fluctum ſaxo infringas. Contẽptu mi Læli, contemptu opus eſt, ne ſe homines leuiſſimi aliquid eſſe putent, ſi te de conſtantia tua depulerint, aut omnino commouerint. Sed hac de ratione ulciſcendi inimicos tota, quid ſentiam, nihil attinet pluribus dicere, cum appareat, quodnam ipſe in defenſionibus meis ſim ſecutus conſilium, qui eos mihi nunquam appellandos cenſui, neq; id tam propter illas quas ibi tum attuli cauſas, q̃ ut ſe, mea quidem ſententia, prorſus indignos eſſe intelligerent, quos uel cum honoris præfatione quiſquam appellaret. Pari uelim animi æquitate feras, ſimiolum illum in ciuitatem irrepſiſſe. Nam in eo aut nullum graue uulnus Reſp. accæpit, aut ſi quid omnino admiſſum eſt, inimici quidem noſtri, eiuſce flagitij culpam ſuſtinebunt. Neq; tamen eſt cur ſe ille nobis eo nomine tam arroganter conferat. Ego enim tametſi homo tranſalpinus, ac idem multa flagrans inuidia, tamen inuitis omnibus ipſius amicis, & multo q̃ ipſe prius, ſumma bonorum omnium doctorumq; hominum ſuffragatione, uel potius ſingulari S.P.Q. Romani iudicio in ciuitatem ſum aſcitus. Ornamenta enim uirtutis & doctrinæ indocti complures ſceleratiq; homines adepti ſunt, tanta bonorum ſtudia, talia doctorum uirorum iudicia ſine literis & probitate aſſecutus eſt nemo. Equidem ipſe tam graue omnium ordinum de me iudicium, pluris facio quàm uel omnia ampliſſimorum honorum nomina, nedum ciuitatẽ ipſam, in quam utinam hic unus, ea indigniſſimus immiſſus eſſet. Sed tu quem Ro. ciuem appelles, neſcio. Mihi quidem ciuis è Rep. is deniq; aut etiam is ſolus eſt, nõ qui ciuitatis ius oſtentet, ſed qui tanti nominis dignitatem uirtute animiq; magnitudine tueatur &,

sustineat. Eadem est hirci illius causa, quem quidē ab ijs tāti conductum
esse non magnopere miror, siquidem tales sunt, quales abs te depingun-
tur, id scilicet miseri tanta mercede consequentur, non modo ut nihil sape-
re, sed uti doctis etiam insanire uideātur. quanquam aliud omnino, quo
me ducat coniectura, habeo. Vlciscentur enim sui mores, atq; ijsdem illis
flagitiorum suorum pœnas dabit, qui cum nunc in honorem adducere
uidentur τὰ ἐκ τρίποδος *Premia porrò illa, quæ tu mihi haud paulo*
plus q̃ par sit, admirari uidere, uir autem sapiens in minimis posuerit,
nostris non modo non æquanda sed ne comparanda quidem sunt cōmo-
dis, siue illa æstimare libeat, quæ ex Pont. Maximi liberalitate ad nos p-
ueniunt, siue illa quibus à Po. Fluentino inuitamur, quæ quidem cur à
me nō magni p utentur, scribam ad te alias, nunc tātum habeto, me mul-
to plus ex hoc ocio uoluptatis capere quàm ex quinis illis uicenis sester-
tiorum nūmum milibus utilitatis consequi potuerim. Omnino, ut nunc
quidem est, malo dignitatis meæ q̃ commodi rationem ducere, tametsi
maiorem aliquem fortasse fructum tāta contempta pecunia nobis aliquā-
do attulerit, quàm accepta, in præsens afferre potuisset. Graculum illū,
quem laudibus nostris confici scribis, contemnas censeo. Neq; enim disrū-
peretur alienis, nisi & diffideret suis, & se planè ῥαψῳδὸν *esse intelli-*
geret. Equidem (quanquam tu aliter suspcari uideris) tamen hominem
esse poetam nūquam putaui, uersificatorē quendam et μουσοπάταγον
semper iudicaui, minimi iudicij, nullius ingenij, græcarum literarū pror-
sus expertem, latinarum planè rudem, ingenuarum artiū omnino im-
peritum, ambitiosum adhæc, &, supra quam dici possit, gloriæ cupidū,
atq; eo laudis alienæ simul & furem improbissimum, & obtrectatorē
assiduum. Quæ de Hier. Fondulo, fuerunt ea mihi omnino gratissima
sed minime noua. Iam enim olim penitus hominem cognitum habeo,
tum pluribus atq; optimis artibus ornatum, tum uero nulla in cæteros
inuidia suffusum, contraq; singulari quadam & eximia tum probitate,
tum etiam, quam in multis hodie studiosis desideres, urbanitate prædi-
tum. Petri Zancæi suauitatem, ex bucolico illo carmine, quo accusatoris
nostri mortem deplorauit pridem facile cognoram, hominis autem per-
adolescentis poema esse nesciebā. Gratulaberis igitur ei meis uerbis uel
de tam generoso spiritu, uel de tam præclara indole, simul & hortabe-
ris, ut qua cœpit ire uia, pergat, fore enim nisi & ipse sibi desit, hoc est si
extrema cum primis contexet, & ego præsensione multum fallar, ut &
suum & eorum quos celebrarit omnium nomen immortalitati aliquan-
do commendet. Literas quas te istinc ad me scripsisse commemoras, om-
neis accæpi. Tu uero meas non omneis, hoc est illas, quas Iccio portu &

Lutetia Parisiorum ad te dedi. Neq; sanè tã moueor, quod in alienas manus inciderint aut ẽt interierint, q̃ quod iã oĩo nesciã, q̃d illinc ad te Marianũq; scripserim, quæ quidẽ causa fuit, ut mihi omniũ mearũ ad uos epistolarum exempla mitti postularem. Quod eas autem Marianus in uolumina referendas curauit, est id quidem magnum illius erga me amoris argumentum, sed ad eam sustinendam quam tu cæteriq; amici nostri de me prædicatione uestra opinionem excitastis, ualde periculosum. Nam criticis istis epistolas meas probari posse, qui sperẽ? si ne mihi quidem probantur ipsi? quod eas non solum non accurate sed quotidianis etiã uerbis & plebeio sermone contexere soleam? Equidem mallem eas omnes conscidisset ὡς μή τινα τοῖς αὐτόθι ἀριστάρχοις τοῦ διαβάλλεσθαι, μᾶλλον δὲ τοῦ ὀβελίζειν ἀφορμὴν παρέχοιμεν. Audio enim istic quoq; multos esse, qui de ingenio & doctrina studiosorum, ex alicuius unius epistolæ lectione statim pronuncient, quasi uero ea nostra sit ratio, ut tantundem fortunæ debeamus quantum consilio, aut ij qui epistolas suas ediderunt, eas nõ prius per ocium diligenter recognouerint, q̃ in apertum protulerint. Multum quidem nobis in scribendo industriæ ponendũ esset, si aut res serias grauiter tractaremus, aut omnibus scriberemus, aut ad ingenij commendationem aliquid commentaremur. Nunc autem cũ amicos familiariter doceamus, siquid sit, quod illos statim scire aut nostra aut ipsorum intersit, maiorẽ profecto officij q̃ in scribendo diligentiæ rationem nobis habendam existimo, ne uel quid epistolam deceat nesciuisse uel amicitiæ libertatem ignorasse uideamur. Sed hac de re satis, uel etiam nimium multa, presertim cum mihi in hanc rationem alias uidear nonnihil ad te scripsisse. Proinde ad literas tuas redeo, quarum quidem extrema pagella, tantam gladiorum licentiam, tot indignas nuuiasq; ciuiũ Ro. cædes continebat, ut facillime animaduerterem, nihil istic esse præter te ac paucos item amicos, quod me delectare possit. Quis enim tantã immanitatem spectare sustineat, quam etiam ij qui longissime absunt, sine horrore audire non possunt? Non ita certe maiores nostri, non ita Romani. Verum ea, mea est causa, ut quid sentiam nolim aperte scribere. Tantum dico, ista me audire malle quàm uidere, sanè quidem illud multo libentius legi, quo Io. Corytio, homini gratissimo, officium meum gratum fuisse significares. Equidem dabo operam, ut neq; ipsum, neq; aliũ quenquam suscæpti negocij unquam pœniteat. De eodem Corytio, illud mihi uelim diligenter perscribas, ecquid sacrum Annæ diem, anniuersario illo studiosorũ hominum conuẽtu epulisq; celebrarit? an uero propter anni superioris dissidium, cœnas facere omnino desierit? an sodalitatem

potius illam, scis quam dico, non uocarit? reliquis cœnam dederit? Neq; uero quàm eos laute splendideq; acceperit, quæro, noui hominis magnificentiam, sed quid dictum, quid actum, quamq; frequens conuiuium eo hominum genere fuerit, qui se academicos & esse & numerari existimant. Subuereor interdum, ut cum illis in gratiam redierit. Contra cū mihi in mentem uenit, istis & cœnas & hortos Epicuri mirum in modum probari, hunc autem mensas non sumptuose minus quàm libenter instruere, iam nihil inimicitiarum reliquum esse suspicor. Tu me uelim de tota diei illius ratione certiorem facias. Nam quod ad me attinet, uiuo hic in studijs nostris cum St. Saulio, uiro ea erga me liberalitate & beneuolentia, ut in re familiari sua, nihil suum esse malit quàm meum, ea animi moderatione, ut cum me hospitio receperit, inde magnam se arbitretur, atque etiam præ se ferat existimationem accipere, ea porro in literis uel industria, ut non multum ingenio, quo tamen ualet plurimū, debere uideatur, uel felicitate, ut incredibile sit, quo iam processerit, & paucis annis peruenturus existimetur.

Stathius Simioli nostri discipulus quidam, Hier. Alexandrino non ignotus, homo Romanus sit an Calaber, fac planè sciam.

De Flaminio nostro uelim ad me aliquid scribas, eundemq; meis uerbis salutes ac etiam roges, cur nihil adhuc ad me literarum? Ego enim nihil ad eum scripsi, quod neque scirem ut cum ipso ageretur, neque certi quicquam haberem, ad quod literas meas accommodarem. Quod ingenio, industria, uirtute æqualeis suos omneis longe superarit, planè nō dubito, ne fortuna tantæ indoli maligne responderit, etiam atque etiam timeo. Sed tamen uelim ut animo maximo sit, optetq; semper secunda, cogitet aduersa, ferat qualiacunque acciderint, neque sibi præstandum quicquam præter culpam existimet, à qua sanè tam longe abest q̄ ab ea ætate quæ uel culpam adhuc præstare debeat.

Tu uero mi Læli, te P. Bembo dabis, & Iac. Sadoleto, quos quidem uel mea, uel tua, uel suæ etiam humanitatis causa te complexuros esse certo scio. Sed iam modum, uel finem potius scribendi facio. Modum enim epistolæ iam diu multumq; excessi. Vale & me ama. Patauij Cal. Aug.

CHR. LONG. M. ANT. MICHAELI. S.

Antium epistolam tuam legeram, cū me Nicolaus Delphinus per literas certiorem fecit, nihil esse, quod iam laborarem. Curasse enim se tibi orationes illas, quas ad te Romam ut mitterē,

tu à me tantopere contendisses. Egit tamen idem mecum, ut tibi omnino re scriberem, quod quidem mea sanè sponte facturus, non solum in eo, quod de me petebas, tibi morem libenter gesturus eram. Quanquam illæ huiuscemodi sunt, ut ne mihi quidem nisi lente ac fastidiose probentur. Edendas autem putaui, non quo dicendi facultatem aliquam, quæ quidem in nobis uel nulla uel certe perquam exigua est, ostentarem, sed ut de innocentia mea toti Italiæ liqueret, apud quam me perpetua illa & planè hostilis inimicorum meorum accusatio in summam inuidiam adduxisset. Iam cum in ea oratione, quam amici quidam mei, & contra uoluntatem & præter opinionem meam, Romæ emiserant, ea tantummodo diluerentur crimina, quæ nobis illi partim in Senatu, partim uulgo obiecissent, nihil autem fere eorum dissolueretur, quæ coràm Pont. Maximo in absentem dixerant, faciendum mihi putaui, ut eorum calumnijs maledictisq; absens quoquomodo responderem, & nouo quodam defensionis genere causam meam apud omneis Italos agerem. Quæ quidem consiliorũ ratio, quàm nobis istic commode ceciderit, haud dum planè exploratum habeo, hic certe & Venetijs, atq; adeo in tota citeriore Gallia multorum uoluntates partim recuperauimus, partim etiã ad causam adiunximus. Verum de his ad te scribere, nihil initio constitueram, sed tecum potius expostulare, quod amicitiæ nostræ nihil tribuisses, qui me cum tuis literis tam religiose rogandum, tum uero per Nicolaum Delphinum adeundum putasses, quasi uero aliqd omnino sit, quod tu à me per te ipse impetrare non debeas, aut ego tam immemor sim tuorum erga me meritorum ut sine summo meo dolore à te rogari possim. Ego enim si nescis, ex quo primum tempore inter nos salutauimus, te semper dilexi, & me à te diligi statim indicaui. Accessit eodem tempore tuum erga nos nec obscurũ nec uulgare studium, paulo etiam post beneficium, cum salutem dignitatemq; nostram, uel aduersus ueteres quosdam tuos amicos, tuendam suscepisti, idq; nullo meo merito prouocatus, neq; adeo à nobis inuitatus fecisti, putabã enim tibi propè necesse esse, eas parteis agere, sed tua sponte, quod alienum ab hac ingenua animi tui probitate duceres, ut te sedente homo innocens, à necessarijs tuis nefarie opprimeretur. Secutum illud tempus est, cum me rationes meæ in Galliam Germaniamq; domum reuocarunt, & ijdem illi quos nutu significationeq; semper appellaui, absentem tam aspere & acerbe insectati sunt. An mihi ignotum esse putas, quàm multos & illustres cũ summa mea laude sermones tũ de me habueris? Veni tandem Venetias, an me oblitum existimas? ut Bembum nostrum confestim monueris, quos illi de me rumores dissiparent, quibus ab

sentem calumnijs premerent, qua tu ipse denique uia ijs occurrendum censeres, quorsum hæc quod miratus sum, cum hæc nosses, tibi in mentem uenisse, ut ad me, tanquam ad hominem prorsus alienum & natura difficilem minus libere scriberes, cui quidem tuo quasi iure imperare possis, præsertim ea in re, quæ non tam ad fidem tuam liberandam, quàm ad expectationem nostri tuendam pertineret. Sic mihi tamen literæ tuæ iucundissimæ fuerunt, tum quia probitatem, humanitatem ac elegantiam tuam præ se ferebant, tum quia ipse mihi tacitus gratulabar, cum de P. Bembi nostri cōfirmata ualetudine atque ipsius erga nos beneuolētia per te fierē certior, non quo nouum mihi sit aliquid audire de eo, quod pro nostra dignitate amanter atque honorifice dixerit aut fecerit, id enim illi usitatū est & prope quotidianum, sed quia intelligebam maturo eius aduētu atque sermone, iniquorum improbitatem infringi, irritatos certorum hominum animos leniri, quos in me non meum quidem ullum aut dictum aut factum, sed inimicorum meorum calumniæ incitassent. Equidem facere nō possum mi Michael, quin cum ista ad me deferuntur, eos interdum accusem, nō qui ista comminiscuntur, homines enim sunt sui simillimi, id est animo semper pusilli, & ipsa maleuolentia ieiuni atque inanes, uerum quosdam nō indoctos homines, quorum aures iniquorum sermonibus facilius patere audio, quàm eorum aut dignitas ferat aut ætas omnino postulet. Profecto si se uiros bonos esse meminissent, me quoque ex natura sua fingerent, nec studijs suis indignum, eaque doctrina, cui me ab ætatis initio dedi, propter obscuras quasdam & dubias hominum mihi infestissimorum criminationes iudicarent. Quod si me callidum libeat fingere, quid potest eē stultius quàm si homo transalpinus, atque idem tanta, quanta post homines natos alius nemo inuidia pressus, de Po. Romani dignitate, in media Italia apud Italos ipsos palàm detrahere conetur? hoc certe qui de me credunt, multo stultiores ijs sunt, qui talia disputant. Iam quid minus in hominem ambitiosum (quod unum præcipue isti mihi obiectant) cadere potest, quàm illorum existimationem occultis sermonibus priuatim oppugnare, quorū laudes in publico orbis terræ domicilio, hoc est Romæ celebrarit? Quod cum me minimi neque animi neque consilij esse fateantur, qui minus est, non eius dico, qui & in foro, & Romæ, & multorum Regum comitatu sit uersatus, sed hominis planè qui domo pedem nunquam extulerit, quàm eam rem ad nocendum deligere, quæ ad excitandas inimicitias sit grauissima, ad lædēdum leuissima? Atque ut hic omittam, quàm id mihi neque tutum sit, neque honestum. Quid est tandem, cur de Romanorum ingenijs male, nunc demum sentiam, qui de ijs uel tum optime iudicarem, cū ab imperita multitudine Romæ deposcebar? Quā uero illi ipsi, quos ego me

xime consilijs, capitis reus agebar, nobiscum ad extremum senserint, atque ita ius meum obtinuerim ut dijs hominibusq; probantibus uictor ex inimicorum dolore triumpharim, hoc est secundum me S.P.Q. Romanus litem dederit, miseritq; ad me, etiam Venetias usq;, consignata publice diplomata duo, quorum alterius Senatusco͂sulto, alterius plebiscito in ciuitatem singularibus uerbis asciscebar, cum hæc inq̃ ita essent, ne suspicioni quidem locum relictum arbitrabar. Equidem ciuium Romanorum ingenia damnare iam non possum, quin me, consiliorumq; meorum rationes omnes eodem tempore condemnē, quando nihil planè non feci facturusq; fui, quo ea ciuitate dignus aliquando & essem & haberer, quæ una omnium optimo cuiq; semper patuisset. Quare siquando in eos, qui obtrectatoribus nostris tam libenter fauent, incides, fac eis cum illa quæ paulo ante proposui explices, tum uero P. Paccium, Bapt. Casalium, Camil. Portium, Iac. Sadoletum, P. Bembū imitandos proponas, quos cum mendacijs multis, homines leuissimi quidem natura illi, sed opibus gratiaq; florentissimi, onerarent, tamen ea fuerunt grauitate atq; animi altitudine, ut non modo maleuolorum sermonibus nō crediderint, sed me etiam consilio, authoritate, opibus deniq; suis texerint. Ita est profecto. Nemo sibi quenquam detrahere facile credit, qui uirtutū suæ confidat, sed quo quisq; est à uera laude alienior, hoc est ad temere credendum pronior. Quod si amici illi tui, quos tu uiros doctos & nobiles, in tua ad P. Bēbum epistola uideri uolebas, istiusmodi sermonibus non credūt quidem, sed delectantur, libenterq; hoc genus rumoris admittunt, ut cum aliquos inter se commiserint, contentionibus eorum tanq̃ aliena insania per ociū ipsi fruantur, uide ne uel rem pessimi exempli etiam aduersum se statuant, uel se nomine Ro. prorsus indignos reddant. Sic enim semper accepi, homines planè Romanos neq; nascendi fortuna, neq; ciuitatis honore, sed animo cum multis alijs uirtutibus ornato, tum magno & excelso tum uero simplici & aperto censeri. Sed de his fortasse plura quàm par fuisset. Quod autem ad te pertinet, in eo ero breuior. Sic enim fac existimes, me uel mea sententia hominem non futurū, nisi tua ista erga me studia, iniussimmis in te officijs aliquando æquata sentias. Vale.

CHR. LONG. GVL. BVDAEO. S.

Quod mihi affines hosce tuos uel nostros potius tā diligenter commendas, probe tu q̃dē facis, q propinqui amiciq; hominis officio libenter fungaris, sed si proximas meas ad te literas accepisti, scis te currentē, quod aiunt, incitare. Iā. n. ante in ære meo erant q̃ tu eos huc aduē

tare audisses. Dabitur à nobis opera, ut apud eos semper recte sit, nunc quidem est ut uolumus. Nam cum studiose discunt, & erudiuntur egregie, tum uero ualent, & eam præ se ferunt indolem, ut si nulla neq; me neq; te affinitate, aut etiam studiorum necessitudine attingerent, sim eos tamen omni meo studio atq; beneuolentia complexurus. Epistolæ tuæ non modo recentis, ut ais, editionis, sed ne cuiusquam omnino generis hic etiānū reperiuntur. Cura amabo te, eas nobis, sed q̄primum, incredibili enim eārū studio tenemur. Pro uectura soluetur quicquid ascripseris, plus etiā quàm uel tu iusseris, uel tabellarius sperarit. De Bibliotheca Nicena confecissem, si id tibi tam gratum fore putassem. Nunc quando breui nobiscū futurus es, & hic aliquid etiā temporis posituri sumus, supersedeo eius tibi librorum indicem mittere. Literas tuas auidissime expectamus, sed cum illo epistolarum tuarum libro, cuius desiderio ita sanè efferimur, ut si nos amas, abs te statim in eo adiuuandi simus. Nā quod in epistola tua scriptum erat, amicum illum nostrum tibi litem intendere de eo quod tu illi de me recepisses, nec ego præstitissem. In eo equidem nobis satisfecissem, si uel ex sententia uel ex dignitate nostra instituta à me opera in apertum proferri potuissent, q̄q̄ illi pro me, tu quid spoponderis nō satis intelligo. Scis enim orationes illas præter uoluntatem meam exisse, in quibus tamē uideor mihi præclarius, atq; adeò maius q̄ uel res ferret, uel tempus postularet, ipsius in me liberalitati testimonium dedisse, cum dixi unius Ludouici Ruzæi opibus studia mea foueri. Tu qui κατὰ συλλογισμὸν amplificādi rōnem tenes, demonstrabis hoc homini, simul & illud ostendes, dum liber ille extabit, ipsius in me beneficium nec obscurum nec ignotū esse posse. Quod si in eo tantopere adhuc laborat, ut aliquod amicitiæ nostræ monumentum extet, iube illum meis uerbis spe esse optima. Perficiam enim ne quem unq̄ lateat, si modo is ego sim, cuius opera ad posteros peruentura sint, quemadmodum ipse me Lutetia abeuntem cum alijs premijs retinere tentarit, tum uero suburbani fundi munere ad remanendum etiam atq; etiam inuitarit, atq; id ipsum ita testatum relinquam, ut qui intelligent minus sanè iam C. Mecænatis erga Horatium Flaccū in tantis illis opibus liberalitatem admirentur. Quod de animaduersionibus tuis, integrum esse tibi, negas. Ego uero te uel in medijs istis negociorum fluctibus huic rei parem esse arbitrabar, nec modo posse absolutū iamdiu opus perpolire, sed etiam à capite, si res cogeret, ordiri, sed aliter facio atq; constitui, decretum enim mihi est, uerbum hac de re nullum amplius tecum facere. Verumtamen si me audies, & liberalitati tuæ constare, uel constātiam potius tuam reip. præstare uoles, primo quoq; tēpore te promissis exolues.

Mitto ad te Nicolai Leonici epistolam, uiri mehercule optimi, & doctissimi, & quod caput est, tui etiam studiosissimi. Is cum sibi in animũ omnino induxisset, ut primum huc uenisses, tecum amicitiam instituere, author ei fui ut ea in re litterarum bono uteretur, obuiasq; tibi literas q̃ primum mitteret, quod eo quidem consilio feci, ut congressus sermoq; uester, nõ iam ignotorum inter se, sed planè amicissimorum hominum fructũ uoluptateq; haberet. Tu quæ tuæ sint partes, iam uides. Res tibi est cum uiro, quem & sacerdotium sacrosanctum, & canicies spectabilem, et morum elegantia amabilem, & multæ ac reconditæ litteræ nobis admirandum præbent. Vale. Ex urbe Patauio oct. Cal. Febr.

CHR. LONG. VIDOBALDO ROVZERIO S.

S I uales bene est, ego quidem ualeo. Cognoui ex tuis literis, quas ad me luctus & lachrymarum plenas dedisti, & q̃to te mœrore parentis tui obitus affecisset, & quanta te uitæ istius facietas iam teneret, quorum quidem alterum uel in medio dolore, quem ex molestijs tuis traxeram, gratum ac penè etiam iucundum mihi fuit, ex eo enim in spem ueni, te aliquando ad nos rediturum esse. Alterum pro eo sanè ac debui grauiter admodum & ægre tuli. Accæpisti enim tu omnino uulnus, sed mea quidem sententia eiusmodi, cui tu facillime mederi possis, nisi fortasse eum uel longa iam die, uel etiam præsenti animi ratione eluxisti, quem te amisisse tum quidem grauiter querebare. Amisisti autem parentem, uirum optimum omnino illum, sed parentem tamen, hoc est eum, cui te lege atq; rerum naturæ ordine superstitem esse oportuit. Vt is quidem non tam tibi ereptus q̃ diẽ suum obiisse putandus sit, presertim cum ea ætate decesserit, cum iam satis tum naturæ tum etiam uirtuti fecisse uideretur. Neq; enim eius hominis mors quasi immatura nobis acerbius ferenda est, qui quam diu opus fuit, uixerit, & ita uixerit, ut eum nõ perijsse sed in æternam illam domum uitamq; migrasse credendum sit, q̃q̃ qui cum loquor? An non cum eo, qui cum se christianum hominem esse meminit, tum uero in literis diligẽtissime semper uersatus, nullam tamen adhuc cuiusquam ad filium de morte patris consolationem legit? Itaq; cum neq; ij, qui animas unà cum corporibus nostras interire existimarunt, lugendos liberis parentum obitus duxerint, quod eorum morte non esse mœrendũ arbitrarentur, qui suo fato functi essent, neq; uero christiana nobis persuasio hominem christianum lugere sinat, quod præposterum sit illorum nos morte dolere, quos tum deniq; uiuere sciamus, cum uixerint, tulisti tu quoq; opinor, casum istum humanæ

niter nec quæ tu ad me de eo scripsisti, tam eo scripsisti, ut mihi luctus tui
acerbitatem significares, q̃ ut cum te hominem ostenderes, tum literas
etiam meas quoquomodo eliceres. Id si ita est, habes tu quidem meas, sed
non eius certe generis, quales maxime expectabas, aut illa omnino tuarum
ad me literarum ascriptio postulabat, qua quidem tantum mihi tribuis
quantum equidem, nec ipse agnosco, nec si pudētiusculus sim, optare au-
deam. Quare si me amas mi Vidobalde, ne me posthac tam honorifi-
ce, ne inuidiose dicam, uel contumeliose potius salutaueris. Sic enim Ther
sitem Achillis laudibus ornamus. Quod ut ex animo, et bona planè fide
id feceris, me tamen authore in posterum non committes, ut tu aut pudo
ri meo parum consuluisse, aut certis etiam hominibus ineptire uideare,
tametsi, si me audies, nihil iam scribes, sed te potius ipse nobis et literis q̃
primum reddes. Quod si ea adhuc est rerum tuarum ratio, ut te huc sta
tim recipere non possis, abijce tamen interim omnes istas molestias, nec ti
bi tam aliena uitia stomachum faciant, q̃ tua te uirtutes delectent. Id uero
ipsum facillime consequere, si te ad artium nostrarum studia referes, ad
quæ ita te uoco, ut te imbecillioris istius tuæ & ualetudinis & naturæ ra
tionem habere in primis uelim. Dabis igitur operam, primum ut uale-
as, deinde ut tibi constet ocij tui ratio, deniq; ut nos tuis literis nōnunq̃
appelles. Vix credas quantum ex earum tum elegantia tum suauitate
uoluptatis capiamus. Galeacium Gōzagam meis uerbis saluere uelim
iubeas. Vale. Ex urbe Patauio, iiij. No. Ian.

CHR. LONG. P. BEMBO S.

e X literis quas mihi à te, Flaminius Tomarotius attulit, co-
gnoui, eas quas ipse adolescenti cuidam Germano No. Ia-
nuar. ad te dederam, Non. Febr. tibi nondum redditas fuis
se, eum enim diē Nonarum literis tuis ascripsisti, neq; mea-
rum omnino meministi, ut in hanc facile suspicionem ueniam, aut illū
Romam non uenisse, aut ei epistolam in uia excidisse, quare eam eodem
tibi exemplo mitto, unà cum illa, quam ad te cal. Augu. scripseram, ne-
que te adhuc accæpisse, ex literis tuis colligo. Quod te de intermissiōe lite
rarum excusas, facis tu quidem humaniter, sed nihil, mihi crede, opus fu-
it, ut te apud me eo nomine purgares, qui & quantis occupationibus di
stineare, noui, neque de tuo in me amore quicquam dubitaui. Tantum il
lud uelim fixum animo maneat tuo, me hæc studia te potissimum autho
re ita esse complexum, ut cū nullā neq; patriæ, neque meorū, neque adeo
mei ipsius rationē duxerim, tū uero te unum iā esse, in quo totius fortunæ
nostræ spes omnis nitatur. Sic enim certe fiet, nō ut tu me q̃dem ames ma-

gis, nec enim potes, cum me in oculis feras, sed ut rebus nostris curā maiorem adhibeas q̄ Io. Pinum adhuc adhibuisse audio. Atq; hoc sanè loco mihi in mentem uenit, ad quam ille me spem Venetijs proficiscens uocaret, cum tu interim haud ita magnam ostenderes, ego autem multo languidiora omnia, etiam quàm tu proponeres, expectarem. Sed quando ea est rerum humanarum conditio, ut nihil temere neq; sperandum sit, neq; desperandum, sustinebimus nos, & quantulācunq; tu nobis spem etiā nunc affers, sequemur, presertim cum ad eam alendam illud multum pertineat, ita uel ingenio uel fortuna tua comparatum esse, ut amicis officiū tuum non tam promissis quàm re & exitu declares. Flaminium cum mihi commendas, scis te currentem incitare. Diligitur enim à me iampridem propter egregiam eius probitatem, & planè Romanam indolem, quæ mihi eo quidem maiori curæ futura est, quo in ipso magis elucet uno omnium, spemq́; mihi dat non dubiam hunc unum esse, qui maiorum suorum laudibus aliquando respondeat. Iam quintum hic mensem uere perpetuo fruimur, atq; alienissimo anni tempore illud Homeri rectè usurpare possumus, quod ille de olympi tranqllitate cecinit. Οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται οὔτε ποτ' ὄμβρῳ δεύεται οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται. ἀλλὰ μάλ' αἴθρη, πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἀναδέδρομεν, αἴγλη. Quod eò quidē planè ad te scribo, ut animo perspicias, quāta sit huius nostri ocij felicitas, quæ ne anniuersarijs quidem hiemis frigoribus interpelletur. Vale. Ex urbe Patauio yi. Cal. Mart.

CHR. LONG. AVG. BEATIANO S.

Etsi mihi dubium nunquam fuit, quin eo erga me absentem animo adhuc esses, quem tu mihi istic meo tempore præstitisses, non potui tamen uehementer non gaudere, cum illud idem literis tuis mihi significares, quanquam enim perspecta amicitia, officiorum commemorationem minime desiderat, habet illa tamen, mea quidem sententia, quiddam neque insuaue neq; iniucundū, presertim cum ab homine amico, nihil ambitiose studia sua iactante, sed officium ingenue declarante suum proficiscitur. Quo quidem consilio cū tu ad me nuper scripseris, testerisq́; te eum erga me semper fore, qui difficillimis illis temporibus in dignitate nostra uel tuenda uel etiam augenda fuisses, neq; adeo te uel Bembo ipsi in me amando cessurum, sim planè barbarus nisi tibi eo nomine gratias agam, quamq́; id mihi gratum fuerit te per literas meas certiorem faciam. Quod autem orationes nostras M. T. Ciceronis actionibus comparare es ausus, τοῦτο μὲν μά-

λακωνικῶς fecisti. Ego enim me (quod mihi uelim affirmanti credas) tantum ab illa planè diuina eloquentia abesse reor, quantum ab hominis ipsius ætate distamus, nec sanè magis scripta nostra illius monumētis, quàm hæc tempora planè aureo illi seculo pferri posse iudico, nisi tute fortasse illud mea causa tibi sumis, ut summam eloquentiam summa innocentia definias, qua quidē ratione ne Ciceroni quidem ipsi bene dicē difficultate cesserim. Atq; mehercule nulla sum alia re adductus, ut defensionum nostrarum librum ederem, quàm ut me causamq; meam toti Italiæ approbarem. Equidem si dicendi genus in eis probassem, non sine nostro de re tota iudicio, in apertum prodiissent, ut mecum omnino præclare actum putem, si uir bonus existimor. Nam dicendi peritiam atq; eloquentiæ nomen, tibi tuiq; similibus totum tuendum relinquo. Verum de hoc genere toto pluribus tecum agam, cum plus ocij nactus ero. Quod me ad extremum mones, ut te diligam, si me à te diligi & credo & cupio. Ego uero mi Beatiane utrunq; præclare facio, feciq; quo te primum die cognoui. Nam & te, quem ipse amarem dignum statim iudicaui, & ut tu me inter tuos haberes uehementer exoptaui. Nunc uero cum tuam erga me beneuolentiam, maximis studijs officijsq; cumularis, certe hominem ipse me non putem, nisi te & faciam plurimi, et omnes in partes enitar, ut aliquando intelligas, me tibi memoriam beneuolentiamq; quam debeo, cumulatissime præstare. Steph. Saulius, qui cum hic suauissime coniunctissimeq; uiuimus, me tibi salutem suis uerbis ascribere uoluit. Vale. Patauij iiij. Id. Iun.

CHR. LONG. HIER. NIGRO S.

TV uero Niger adeo neq; humanitate neque urbanitate à me uictus es ulla, quod tibi salutem in meis ad communes amicos literis semper ascripserim, ut me tibi uel propter literas tuas plenas officij, studij, diligentiæ, etiam plurimum debere confitear, qui tanquam in eo parum tibi satisfecisses, quod & præsentis & absentis causam incredibili studio atq; singulari industria defendisses, scribendum etiam ad me excusandumq; cessationem tuam honorificentissimis literis putaris. Quasi uero tu quicquam in eo deliqueris, in quo si quid flagitij esset, meum certe totum id esset, qui neq; tibi pro maximis tuis erga me meritis gratias egissem, neq; te rerum mearum certiorem pro mutua inter nos beneuolentia fecissem. Atqui utrunq; pridem tibi cumulate præstiti, idq; cum mea sponte quidem, tum P. Alcyonij hortatu feci, quē tibi singularis mei erga te animi, scriptaeq; ad te epistolæ testem fero,

nec enim certe mei cupidior est, q̃ tui studiosior. Voluit scilicet homo nostri amantissimus atq; meorum in te studiorum maxime conscius epistolam prius legere q̃ eam ad te mitterem. Misi autem cum ijs literis, quas ad Iac. Sadoletum, P. Paccium, Marium Castellanum Romam proxime dedi. Equidem cum tuas legerem, satis mirari non poteram, quorum aut negligentia aut improbitate ad te perlata non fuisset, presertim cum suas reliquis redditas esse certo scirẽ. In ijs cum alia ad te multa scriberẽ, tum uero te hortabar, ut orationem illam, qua causam nostram defenderas, aliquando ederes. Esse enim ex re mea, aut etiam totius Italiæ dignitate, ut transalpinæ gentes omnes intelligant, non defuturos fuisse innocẽtiæ nostræ patronos, si per aduersariorum meorum impotentiam res legitimo Quirium iure tractari potuisset. Id autem ut faceres, eo magis à te contẽdebam, quod de eodem P. Alcyonio intellexeram, eandem orationem, quæ tibi superiore anno exciderat potius q̃ conscripta fuerat, abs te politissima arte nunc esse perfectam. Quod si ita est, hortor te etiam nũc, & per amicitiam nostram obsecro, ut eam, si qua de causa hoc tempore minime edendam censeas, ad me tamẽ q̃primum mittas. Hoc si feceris, maiorẽ sanè opinione tua gratiã à me inieris. Extremũ illud ẽ, ut tibi persuadeas me, daturum operam, ut ne te suscepti patrocinij unquam pœniteat, etiam si orationem illam à te recognitam mihi non miseris. Ea enim quæ in manibus habetur iamq; olim uel apud ultimos hominum Morinos, aut etiam in ultima Britannia à doctissimo quoq; legitur & mehercule probatur, ea est præscriptione, ut dum extabit, non possit tuorum in me officiorum memoria non extare. Quid enim uel de me honorificentius uel in aduersariorum nostrorum impotentiã contumeliosius dici potuit? Vale. Patauij iiij. Id. Iun.

CHR. LONG. ALEXANDRO PACCIO S.

Nondum plane constitutum habeo, plus'ne uoluptatis an doloris ex tuis literis traxerim, uoluptatis, quod incredibilẽ tuã erga me beneuolentiã præ se ferrẽt, doloris, quod me humanitate abs te uictum, nec mihi iam integrum esse uiderẽ, ea aduersus te usurpare officia, quæ tu amice quidem, sed magno mehercule meo pudore præripuisses. Etenim cum tu ista doctrina atq; dignitate uir, ad me non amandum modo, quod ipsum sanè per se maximum est, sed etiam absentem scriptis tuis defendendum, tua sponte accessisses, par certe fuerat, aliquod me grati in te animi signum dedisse. Nec enim nesciebam quid tu anno superiore, ad Iulium Medicem, qui à Pont. Maxi

mo unus, uel potētia uel authoritate plurimum in Italia etiam nunc po- test, cum in mei commendationē amicissime, tum in causæ nostræ defensionem elegantissime, illo etiam meo tempore scripsisses, cum propter uehementē aduersariorum nostrorum accusationem, magna non tam apud S. P. Q. Romanum quàm apud omneis Italos inuidia arderem, ut una nimirum epistola, rebus nostris cum magno tum insperato fueris et præsidio & ornamento, idq; cum me de facie nihil dum nosses, nec ego sanè quicq̄ minus q̄ tam præclarum patrocinium istinc expectarem. Volui equidem eo tibi nomine singularibus uerbis gratias agere, uerum siue me beneficij tui magnitudo ī ipso conatus articulo semper oppressit, siue digna ad id quod moliebar oratio defuit, testificari tibi literis meū erga te amorem nunquam potui. Curaui tamen (quod proximum erat) ut per P. Bembum, uirum singulari tum sapientia tum eloquentia præditum, intelligeres, eo me in te esse animo, quo planè debeo, hoc est lōge optimo. Hic tu, quasi parum in eo tibi satisfecisses, quod ad me amandum prior accessisses, quod absentis causam tanta grauitate cōstantiaq; egisses, quod dignitatem nostram tuendam ac augendam potius suscepisses, scribendum etiam tibi ad me putasti literas, quibus me ad firmandam inter nos amicitiam tum amantissime tum honorificentissime inuitares. Iam perspicis opinor, quo me (nisi planè sim impudentissimus) pudore affici par fuerit, cum te partes meas anteuulisse uiderem, atque ea præcæpisse officia, quæ à me sine nefario scelere, aut certe sine ingrati animi suspicione prætermitti non potuerunt. Et sanè commissum facinus admissumq; dedecus esset, nisi cum mihi uerba ad rem tantam explicandam defuissent tum me ad id tempus reseruassem, quo me tibi & gratias agere & gratiam referre simul posse sperabā. Quod cum ita sit, patrocinetur q; mihi aduersus hæc omnia partim consiliorum meorum ratio, partim mea erga te obseruantiæ conscientia illud etiam tibi persuadeas uelim, me non potuisse literarum tuarum lectione non magnopere delectari, neq; id eo solum, quod plenæ officij, diligentiæ, humanitatis essent, sed quia ipse mihi planè, non tibi modo gratulabar, cum ea in te, homine mihi tā amico, esse perspiciebam, quæ de insigni ad laudem doctrina tua multorum literis ante cognoram, & simul quod perspiciebam me, aliquam apud te expurgandi silentij mei occasionem esse nactum. Atqui ut ad id semel ueniam, quod literis tuis cupere uideris sic habeto, atq; existimes, te non illud modo esse assecutum, ut inter nos perpetuo amemus, quod quidē ipsum cum tua nihil referat, mea certe plurimū interest, uerum me etiā daturum operam, uti ne te huius ad me amandum inductionis animi uoluntatisq; unquā pœniteat. Pollicerer hoc tibi prolixius, nisi in animo

haberem, te non uerbis me tibi approbare, omneisq; uel cogitationes tuas officijs meis superare. Quod ne me temere scripsisse arbitreris, has uelim literas apud te syngraphæ non epistolæ uim habere, ut mecum quasi obsi/gnatis tabellis agas, ni quæ tibi hic recæpi, sanctissime oĩa obseruaro, hoc ē opinionē tuā, i tuē da amicitia nostra studijs meis uicero. Vale. Patauij.

CHRI. LONG. STATHIO. S.

e Tsi cum superiore epistola, scribendi ad te finem mihi fecis se arbitrabar, uel quia mihi ad hoc quidē literarum genus, non satis esse ocij intelligebam, uel quia te epistolam illam, in eam quam uolebam, & optimam partem accæpturũ cõ fidebam, commotus tamen proximis tuis literis, quibus subuereri uideris ut parũ syncera fide in gratiam tecum redierim, scribēdum iterũ ad te pu taui, cum ut literas tuas mihi non iniucundas fuisse cognosceres, tum ue/ro ut tibi significarem, gratiam nostram, & quam de præclara tua indo le semper habui opinionem, iniquorũ sermonibus nunq̃ labefactatam fu/isse. Tuli equidem moleste, quod uel illis de me tã facile credidisses, uel ob non satis probatam à me quandam epistolam tuam, inimicitias mihi de/nunciares, ut te autem odio meo dignum existimarem, adduci certe non potui. Nec enim nesciebã, quid ætati, quid ingenio, quid facilitati tuæ tri buendum esset, presertim cum te non tam tua sponte q̃ inuidorũ meorũ im pulsu, eò progressum esse perspicerem. Itaq; egi tecum paulo quidem seue rius, fortasse etiam asperius q̃ & tu expectaras, et ego mehercule uelim, sed nulla, mihi crede, iracundia permotus id feci, uerum aut plenioris in testini, ex quo tum grauiter laborabam, dolore concitatus, aut ne me tu re missum ac dissolutum, immo uero tibi parũ amicum arbitrarere, si in eo te leuiter admonuissem, in quo ipse amicitiam nostram grauiter læsisse ui/debare. ἀλλ' ἤτοι ταῦθ' ὑποείξομεν ἀλλήλοισιν, σοὶ μὲν ἐγώ, σὺ δ' ἐμοί. Ego. n. cũ nullas cuiusq̃ inimicitias mihi suscipiendas existimo, tũ neminē mihi nõ amicum esse cupio, qui ea quidē, qua tu es, indole sit præ ditus. Atq; ut statim intelligas, q̃ te mihi iam non amicum modo, sed fami liarem etiam hac scribendi consuetudine factum putem, accipe quid ego in literis tuis desiderarim, non qui eas magni esse momenti res ducam, sed cum ut te ad eandem in scriptis meis libertatem usurpandam subinuitē, uel potius tuã in scribēdo ipse imiter, sic enim accipio, tum ut in eo, quod me prioribus tuis literis non fecisse querebare, tibi morem geram, questus es autem, quod eorum, quæ ad stomachũ meum parum facerent, te offi/ciose non admonuissem. Iam primum, Salmonium amicum tibi atq; ho/minem gratum esse scribis, id si ita est, cur in eum tam acerbe inueheris?

Sin tibi hoc permittis, quod is de te atq; nomine latino pessime sit meritus, cur hunc eundem in eadem epistola, amicum tibi & gratum hominem esse prædicas? presertim si cum eo in gratia nunq̃ fuisti, aut certe his interpellantibus, quas tu quidem causaris, iniurijs, hodie esse non possis? Quod ut ita tibi tuo iure loqui liceat, illud quidem certe reticere non debuisti, sed omnino aperte scribere, quid tandem sit, quod ille nomini latino, uitio uerterit. Neq; enim id esse mihi facile persuadeo, quod te istic dicere memini. Solere ciuium tuorum multos, recte loquendi rationē negligere. Nam ut homo grãmaticus, cum tu illū fortasse barbarorum appellares id acerbius dixerit, nulla sanè tamen insigni contumelia nomen latinū affecisse, sed pro linguæ latinæ dignitate potius egregie disputasse uideatur, qui ab ijs latinum sermonē solœcismi fœditate interdū pollui ægre tulerit, à qbus maxime castum incorruptumq; seruari oporteat. Nisi tu fortasse in ea sententia es, uos ut literas non multo doctrinæ studio, sed sola nascendi conditione consequi existimes, atq; eos q longe à latio orti sunt in ijs capessendis operam perdere, latinos autem homines simul ac nati sunt in cunis etiā diserte numeroseq; uagire. Atqui certe non negabis ciuiū tuorū plerosq; ne latine quidem scire, nedum Romani sermonis puritatem in postremis habere. At in Iani Lascaris, hominis tibi amici, carmine uersum, aut uerbum potius quoddā non probauit. Quid tum? an ideo tibi statim (ut uerba tua ponam) arma sumenda credidisti, tanquam de re latina prorsus esset actum, siquid ille in eo hominis presertim græci uersu improbasset? Vide mi Stathi ne huiuscemodi patrocinio, transalpinis gentibus risum, Italis stomachum moueas. Nam quod ad Ianum Lascarim attinet, est ille omnino mihi maiore & quasi sanctioris cuiusdā necessitudinis uinculo coniunctus q̃ tibi, quod eius mihi optima Romæ opera uni in græcis literis uti licuerit, sed nō minus tamen Salmonio q̃ nobis amicus, nec mediusfidius indignari solet, si quis scripta ipsius etiam liberius q̃ par sit, censeat. Quod autem in eadem epistola braccatum quendam contumeliose appellas, in eo quid tibi uelis planè nescio, nisi tu fortasse in te lusisti, quem quidem cum Romæ tum Lutetiæ Parisiorum, atq; nuper Venetijs nunquā togatum, raro penulatum, semper ferè braccatum conspexi. Atq; ut illud omittam, quo transalpinarum gentium in Italos iniquitatem perstringis, nec enim te id ex animo dixisse reor, cum tu certe eos ita in uos animatos esse haud quaquam sis expertus, istud cuiusmodi tandem est, quo me sanè grauiter repunctum iri existimasti, si de puerili illa mea concione mihi obiecisses? de qua nihil amplius dicam quàm quod S. P. Q. Romanus iudicauit, qui me non solum ab huiusmodi calumnia Dijs hoibusq; approbātibus absoluit, uerum etiam triūphum ex inimicorum meorum

dolore iniustissimum agere uoluit, quando me, quod quidem nulli adhuc mortaliũ contigit, absentem uirtutis doctrinaeq; ergo ciuitate Romana donauit, missis etiã ad me Venetias usq; publice consignatis diplomatis duobus, quorũ me altero Senatus, altero Tri. plebis, ciuitatis iure singularibus uerbis dignissimũ indicassent, idq; cũ alijs, uti testantur, de causis, tum certe, quod Italiam et urbem Romã eo laudassem mõ, quo ante me mortaliũ nemo. Quod eò sanè pertinet, ut intelligas S. P. Q. Ro. ideo mihi maximum honorem habuisse, quod se maximũ quoq; à nobis accepisse duceret, quorũ quidem secutus authoritatem Populus Fluentinus, mihi non ciuitatem modo suam, si me illuc ad instituendam bonis artibus iuuentutem conferrem, sed uicena praeterea quina in annos singulos sestertiorũ nũmũ millia, ex aerario publico decreuit, quod etiam mihi adhuc nostra patrũq; memoria uni datum esse inficias nõ ieris. Transeo praeclara illa et in causam nostram perq; honorifica tot doctissimorũ hominũ, tot principũ uirorũ testimonia, ipsius deniq; decimi Leonis Pont. Max. de cõtentione itẽ illa, quae mihi cũ nonnullis uestris amicis anno superiore Romae intercessit, iudiciũ, etiã postq̃ ille nominis nostri delator, in me absentem tanto plausu tantaq; auditorũ admiratione dixisset, ut eloquentia Romana cum eo et reuiuixisse et rursus extincta esse à plerisq; credatur. Quo qd manifestius, plus ualuisse apud aequos iudices absentis innocentiam q̃ accusatorũ gratiam atq; eloquentiam? quos id mihi potissimũ tum obiecisse nõ ignoras, quod tu mihi nunc in epistola tua uitio dabas. Quod nisi hoc in genere, ea mea esset causa, ut quid sentiam nolim explicare, ostenderem alijs rationibus, cur orationem illam mihi exprobrare non debueris. Equidem inuitus hoc ulcus refrico, sed ueritus sum planè, ut si tacerem, ne & crimen ipse agnoscere & tibi parũ satisfacere uiderer, qui à me, siquid esset, quod me in literis tuis offenderet, uti te monerẽ petijsti. Quare siquid contra in his erit, quo te ipse laesum putabis, postulo àte meo quoq; iure, ut in tua mihi culpa ignoscas, qui id mihi fecisse uideor, quod & ratio, & ipse tu mihi praescribebatis. Vale, & te mihi chariorem esse tibi persuade q̃ ijs sis qui nos committere tentarunt. Patauij.

CHR. LONG. MERLINO GELASIANO S.

Cribam ad te cum uacabit, uberius. Nunc enim eo tantum scribo, ut mihi non satis esse ocij intelligas. Nam qui tuas attulerũt literas, ij cum lõgo post interuallo q̃ eas abs te accepissent, mihi reddiderunt, tum eo certe ipso temporis puncto cum hinc proficiscerentur, nunquid ad te uellem petierunt, quo quidem etiam factum est ut neq; ad tuos quicquam omnino miserim, in quo tibi tamen propediem

& cumulate satisfecero, sed non in eam planè quam tute cupere ostendis sententiam, ut tibi pecuniam in sumptum suppeditent. Si enim annū item unum aut alterum impetrabimus, pecuniā quoq; impetrabimus. Sin illud teneri non poterit, frustra nummorum meminerimus, quanquā bi si fortunis nostris uti uoles, tibi defuturi non sint. Nec enim aut tam parū locupletes sumus aut tā pecuniæ cupidi quin studia tua libenter ac liberaliter tueri possimus. Sed hoc tui etiam, non solum mei fuerit ꝯsilij. Orationem quam tantopere desideras mitto ad te, non satis quidem multis facturam illam, ut quæ ne mihi omnino placeat, sed hæc tamen ipsa illa est, cuius admiratione commotus Po. primum Romanus, absenti mihi ciuitatis diplomata statim expedierit quæ præsenti denegasset, deinde Fluentinus uicena in annos singulos quina sextertiorum nummum millia ex ærario publico mihi decreuerit, quod ipsum non tam mirantur Itali, ob pecuniæ magnitudinem, tametsi ea per se in eo docendi genere est planè admirabilis, quàm quod insolens sit & adhuc inauditum transalpeis accersiri hominem qui in media Italia latinas literas conserat. Sed hæc quoq; per ocium. Salutem Belleio, de quo non sanè belli nec quales expectabamus rumores ad nos perferuntur, sed quos tamen falsos esse sperem, cupio quidem certe. Vale. Ex urbe Patauio 7. Cāl. Mai.

CHR. LONG. SIMONI VILLANOVO S.

Pergratæ mihi fuissent tuæ literæ, si quàm nobis luculente ingenij tui elegantiam expresserunt, tam iucundum de uitæ tuæ rationibus nuncium attulissent. Sed id & antiquum est, et haud scio an etiam fato literarum quodā comparatum, ut quo quis ingenuas artes cōplectatur studiosius, hoc fortunæ fluctibus iactetur acerbius. Hæc enim, ne forte nescias, mihi tecum est communis querela. Nam & si ipse nulla insigni, ut nunc quidem est, rei familiaris inopia premor, illud tamen eiusdem fortunæ iniuria commissum esse uideo, ut ea sit rerum mearum tenuitas atq; angustia, ut tibi ista spe, ista probitate adolescenti, auxilium meū imploranti, nō dico nō opitulari, quod ipsum per se miserum est, sed uix benigne quicquam polliceri possim. Ego enim, quod te satis intelligere existimo, pari literarum studio incensus et afflictus procul à patria uitam ago, non meis iam, aut quod par erat, meorum, sed planè alienis opibus casus meos sustentans. Verum quādo nemini uni omnia deus cōcessit, nec ego quicquam ocio nostro esse ducam uel iucundius uel honestius, facile patior apud cæteros plus opum residere. Mihi certe nunquā in mentem uenit, istorum cuiquam inuidere, quorum abs te insolentiam et

iactationem ferri posse negas. Idem ipse de te censeo statuas, nec te inanibus istis curis conficias. Paruo tibi ad tuenda studia tua sumptu opus est. Is autē nusq̄ homini studioso & frugi deesse potest. Sed ad epistolā tuā, in qua quod te mihi de literarum tuarum silentio tam multis uerbis purgares, nihil sanè necesse fuit. Quam enim ipse mihi in eo scribendi genere legem dixi, hanc cæteris quoq; omnibus dictam uelim, ut tum deniq; literis, cum id uel nostra uel amicorū intersit, utamur. Reliqua epistolarū genera, & si me non parum delectant, præsertim quas homo neq; stultus neq; infans conscripserit, ea tn̄ ab amicis non magnopere exquiro, quorū officium ad mutuam animorū uoluntatem nō ad inania hæc studia, semper referendum esse iudicaui. Sic igitur facies, & per me quidē, tacebis cū uoles, & quam diu uoles, ita tamen ut mihi literarū tuarū sermo, cessatiōe gratior sit futurus, sed ea, ut dixi, conditione, ne tu in eo parem à me uel gratiam expectes uel diligentiam. Vix enim credas q̄ mihi in tanto ocio scribundis literis parum uacet. Quod porro te nobiscū uiuere uelle ostēdis, est id mihi quidē gratissimum, sed quid te ea in re iuuare possim hoc tempore, non planè uideo. Persequar tamen uias omneis, ut mihi consuetudinem tuam in optatis maximè fuisse aliquando intelligas, quanquam id te iā intellexisse literæ tuæ significabant, & certe ita est. Amaui te quo primum die cognoui, spectauiq; ex eo tempore semper, quemadmodum nobis de studiorum nostrorum rationibus inter nos commentari sæpius liceret. Verum nesciens quid tu ea in re animi haberes, curaui id scilicet adhuc lentius q̄ animorum nostrorum coniunctio postulare uideatur. Nunc & si mihi consiliorum tuorum rationes significasti magis q̄ explicuisti, tamē uidebimus diligenter aliquid, in quo sit tum certa tuendi ocij tui fides, hoc enim mecum agere uideris, tum eius quam mihi tecum intercedere uelim consuetudinis explorata facultas. Tu fac interim animo sis magno, nec quicquam esse putes tanti, quod studiorum tuorum iter interrumpat. Quæ nunc iacet afflicta, emerget, mihi crede, aliquando uirtus. Vale. Ex urbe Patauio ix. Cal. Iun.

Scripta iam diu epistola, nec eo data, quod cui recte committeretur non esset, accepi alteras abs te literas, multo miserabilius quidem & tristius q̄ superiores, sed in eandem tamen rationem conscriptas. Itaq; hic mihi tantum admonendus es, ne te ægritudini dedas, quæ nec rationibus tuis quicquā profutura est, & studijs tuis nullum etiam obfutura. Sed nec tā acerbus iste, quem impendere ostendis, casus uideri potest, ut cum eo tibi omnem libertatis & dignitatis spem abijciendam esse existimes. Iam primum ea seruitus, siquidem seruitus dicenda est, alios mercede docere, tibi cum omnibus ferè tui ordinis hominibus communis futura est. Deinde

si sapis, nec ipse te nunc proijcis, uberes etiam inde fructus percipies. Deniq; nõ tã iustas abs te quẽquã suis musis operas exacturum puto, quin tibi cum tuis rationem habere liceat, si non quatenus cupias, certe quantum homini, qui & meditationis bono uti norit, & in rectam disciplinæ uiã iam olim ingressus sit, sufficiat. Postremo uelim te mihi hominem esse memineris, qui iampridem, non cum natura tua, quæ quidem tibi contigit optima, sed cum fortuna, quæ tamen omnino non sit pessima, luctari cœperis. Id si diligenter feceris, nec spe fueris nulla, & ista qualiacunque sunt humaniter tuleris. Agerem his de rebus tecum & certius & subtilius, si quibus conditionibus uiuitere, & quo ipse sis statu mihi aperte expo suisses. Nunc in rerum omnium ignoratione summa, ad quidnam potissimum literas meas accommodem, aut quid tibi consilij dem nõ planè habeo. Sit tamen id caput, seruiendum tibi esse tempori. Ego enim ne diu seruias, perficiam, operam quidem certe ac studium meum omne in eo tibi q̃ diligentissime nauabo. Extremum illud erit, quod & si minimum præsidij affert, est tamen omniũ certissimũ. Persuade tibi in re familiari mea esse nihil, quod tibi nõ cõmune mecũ esse uelim. Iterũ Vale. iiij. No. Iun.

C. LONG. ST. SAVLIO ET M. ANT. FLAMINIO. S.

Etsi constituerã nihil ad uos literarũ dare, nisi me uel scriptis uestris ipsi prouocassetis, uel hic certe aliquid epistola dignum nobis occurrisset, tamen cũ istuc P. Alcyonius proficisceretur, homo nostri ita studiosus, ut se sine meis literis hinc discessurũ eẽ negaret, scripsi has ad uos, pro summa uestra inter uos cõiunctione, cõiter, q̃bus id à me unũ intelligeretis, eosdẽ nos adhuc eẽ, quos hic reliquissetis, dũtaxat ut pro re nata neq; pristinæ uitæ splendorẽ, neq; ocij quietẽ, neq; singularẽ eorũ q̃ bus cũ uiuo, erga me beneuolentiã desiderẽ. Nã illã consuetudinis uestræ iucunditatem, illã sermonũ, in quibus mihi erant ferè cia, suauitatem ita requ ro, ut nõ in uicinã aliq̃ domũ, quod quidẽ fore, initio putarã, sed in ipsam planè ultimam Britanniã cũ hospitibus meis demigrasse mihi uideꝛ ar. Sustẽtat me tñ una & consolatur maturi uestri spes reditus, cuius expectatione ne me dicta die lõgius suspendatis uos ẽt atq; ẽt rogo, q̃q̃ enim nobis iam integrum non est eodem ut posthac tecto utamur, ea tamen locorum uicinitas futura est, ut totos dies iuncti simul esse possimus.

Quid etiam? quid? quod scilicet in medijs istis curis ridere uobis liceat, ego certe rideo, nõ ea quidẽ ipsa quæ nobis proponuntur, sunt.n. magnæ deliberatiõis, sed q̃d ad me aliq̃n tandẽ uentũ sit. Solicitor crebris ex Germania literis ut M. Luteri cãm suscipiã. Ab urbe Roma nũcijs, ut hoiem

stylo persequar. Missi sunt utrinq; ad me commentarij pleniores, pollicitationesq; eiusmodi ut omnino scripturus sim, si id sine institutæ studiorum nostrorum rationis incommodo præstare possim. Causa me interdum mouet, qua quidem neq; illustrior neq; grauior alia unq̃ reperiri queat. Contra me deterret negocij magnitudo, nec enim difficilius quicquã esse puto q̃ non dico tantis de rebus copiose grauiterq; dicere, sed eas uel latinis literis illustrare, quod à nobis tamen perfici posse nondum planè despero. Commentabimur quidem aliquid, ne soli cessasse uideamur. In utram partẽ? In utranq; scilicet, quo certius tota de re iudicare possimus, quanquam quo me uel grati animi officium, uel tot ætatum gentiũq; consensus uocet non ignoratis. Et certe durior est Martini causa, quem & Pont. Maximus diris omnibus iam defixerit, & Cæsar ipse nuper hostem iudicarit, sed nõdum tamen bonorum omnium iudiciũ perdidit, Germania certe ad eã hodie tuendã multo erectior est q̃ antea unquã fuisse existimetur. In Põtificis causam si descẽdo, id periculi est, ne me potentioribus uidear uenditare, atq; eorum etiam flagitijs authorem præbere. In Luteri, ne contra religionem sentire, & facere aliquid existimer, qui hominem damnatum defendam. Sed cum primum constitutum aliquid habuero, faciam uos fortasse certiores. Salutem communibus amicis, nominatim autem Do. Saulio & Hectori nostro. Nam de Io. Saulij ualetudine ita sum solicitus, ut hoc in genere nec quid scribam, nec quid à uobis petam satis reperiam. Vereor enim ne, quod audire nolim, rescribatis. Sed hoc uestri fuerit cõsilij, sit ne de eo aliqd ad me mittendũ. Ego.n. quod unũ absens possum, saluti eius uota facere non desino. Valete. Patauij prid. Id. Iun.

CHR. LONG. STEPH. SAVLIO S.

CVm ad xvij. Cal. Iul. tristem illum de Io. fratris tui obitu nuncium accepissem, scripsi ad te statim pro tempore pauca quædam, eaq; ipsa ne mihi quidẽ tum satis probata, quippe qui beneuolentia magis erga te mea adductus, testificaturusq; tibi dolorem meum eò festinanter descendissem q̃ quod aut te uirũ fortissimũ, casum istum tam acerbe ferre existimarẽ, aut si tu eo quasi grauissimo accepto uulnere frangerere, ipse me tibi mederi posse confiderẽ, qui sanè consolãdus erã, propterea quod fratris tui morte molestius nihil iãdudũ tulissem. Verum lectis hodie tuis literis, qbus mihi rescribẽdũ putasti cũ magnũ ex officij mei cõsciẽtia fructũ cæpi, tũ uero ad minuendũ luctũ tuũ pusillã illã meã epistolã multũ ualuisse cognoui, qui uniuersum tibi tuũ dolorẽ à me exhauriri potuisse significes, si certã tibi spẽ, bñ cũ eo, q

nobis occidisset, agi, attulissem. Ego uero, quanquam nonnulla in eo mea est culpa, quod tanta de re subito & exigue scripserim, tamen te singulari prope prudentia uirum, istiusque modi rerum, presertim quas in ore atque in animo semper haberemus, minime admonendum existimaui. Arbitrabar enim tibi homini è religione christiano, nihil aeque in mentem tum uenisse, atque de illius manibus cogitare, quos quidem nō modo miseros nō esse, sed in aeterna illa ac beata domo aetatem agere, acta hominis uita te docere poterat. Quod ipsum etiam tibi à me satis significari tum putabam, cū ea illum probitate floruisse testarer, ut Probi cognomine merito nobilitatus esset. Atque ita est profecto mi Stephane, si cuius unquam pietas atque singularis innocentia ab impiorum poenis tuta coeloque digna mihi uisa est, Io. annem certe tuū ab hac rerum humanarum perturbatiōe, in diuinas illas sedes migrasse nō dubitanter affirmare ausim. Non faciam ut hic singulas eius uirtutes atque ornamenta commemorem, quibus illum et beatum fuisse dū uixit, & hodie beatissimum esse indicem, uereor enim nedū diuinae eius bonitati testimonium dare cupio, desiderium tuum refricem, uel dolorē potius augeam, sed tamen si quemadmodum ostendis, & certe par est, simplex illa tibi de dolore ipsius cura relicta est, ualde iubeo sperare te, imo uero planè confidere, non posse non optime cum eo illic agi, qui nobiscum hic optime semper & sanctissime uixerit. Atque haec quidem de Io. fratris tui manibus, quorum apud me tam explorata est salus, ut eos mihi ueneratione potius q̄ misericordia prosequendos putaui, atque etiam propitios iam exoptem. Reliquum est, ut humana ista omnia qualiacunque sint sapienter tibi & fortiter ferenda esse ducas, qui prae caeteris uni sapiētiae studio sis deditus, & eo animi robore praeditus ut quaecunque uulgus admiratur aut timet, ea ipse tu, si animum induxeris, contemnere possis atque despicere. Induces autem facillime, si quod te facere arbitror, philosophiam ipsam nihil aliud esse nisi perpetuam mortis commentationem semper memineris. Vale. Ex urbe Patauio .iiij. Cal. Sextil.

CHR. LONG. STEPH. SAVLIO S.

SI quid unquā ex hominis mihi necessarij morte doloris caepi acerbissimum certe nobis de Io. fratris tui obitu nunciū fuisse, tu pro meo in te tuosque omneis, sed illū in primis amore existimare potes. Tanti enim semper hominem fecī, quanti apud me is esse debuit, quem & tu faceres plurimi, & ego mihi amicissimum esse iudicarem, tum uero ea probitate praeditum cognoscerem, quae illum Probi cognomine merito nobilitasset. Verum quid agas?

sic nobis hunc casum ferendum esse censeo, quemadmodum decet eos homines, qui nec de animorum immortalitate quicquam dubitent, & illum mortalem hic fuisse, & se non diu superstites ei fore sciant. Profecto cum mihi una sententia, genus humanum, iam inde à condito orbe damnatum esse in mentem uenit, cum omni spe præcisa nos ad ultimum supplicium oẽs quotidie rapi uideo, cũ nullã oĩo ullius aut fortunæ aut ætatis aut uirtutis rationem haberi perspicio, facit ipsa scilicet salutis desperatio, nõ quidẽ ut omni doloris sensu careã, hoc .n. nobis in tantis malis, sit fortasse optandum magis quàm sperandũ, sed ut quadã animi æquitate me sustentans, cum amicorum exitus humanius feram, qui eodem ipse me duci uideam, tum uero ut de me præcipue cogitem, & hoc ipso uno me consoler, quod solatio relictum loci nihil intelligam, duntaxat quin nobis uelimus nolimus pereundum sit. Nam ut ista quæ uulgo acerbissima putãtur, non tam horreamus, quàm multitudinis opinione timenda sunt, hoc nobis ipsum cum persuasionis nostræ certa fides, tum etiam animus ipse præstare potest, quem quidem tu, cum & natura sis nactus optimum, & multarum rerum usu, multaq; doctrina, & quod caput est, religionis Christianæ pietate instructissimum, feras ea moderate oportet, quæ nec ultari nec accusari à quoquam posse constet. Hac enim lege in uitam ingressi sumus, ut aut statim occideremus ipsi, aut diutius uiuendo, eos non sine dolore aliquando amitteremus, quos uel plus, uel aliter atq; par fuerat, charos habuissemus. Scriberẽ plura, aut his etiam leniora, nisi tum ea te adhuc meminisse certo scirem, quæ in hanc tecum rationem multa nuper disputaui, tum uero eam esse animi tui firmitudinem, ut ne his quidẽ remedijs magnopere indigeas, facere tamen propter beneuolentiam non potui quin tibi hoc tempore meum uel officium per literas præstarem, uel amorem quacunque ratione testificarer. Vale.

CHR. LONG. M. ANT. FLAMINIO S.

Iucundissimæ mihi fuerunt tuæ literæ, quibus cum alia multa nobis non ingrata, tum uero diserti illius philosophi uanitatem atque ineptias facete admodum exequebare. Est is tamen mi Flamini eo ingenio, ut non modo à bonis omnibus irridendus sit, sed pessime interdum accipiendus, uel potius quasi pestis quædam omnino cauendus, qua in sententia & si iam olim esse cœperam, tamen nuper ab eo ipso in ea sum planè confirmatus. Nam cum post diem tertiũ q̃ superiores ad uos literas dedissem, ad me reuertisset, nec dum deliberatum habere se diceret, utrum institutum iter persequeretur,

an uero se hinc Venetias, ad eos quos ibi ægrotos multos reliquisset, curã dos referret, cohortatusq; essem hominem, ut si non aliam ob causam, certe quo consuetudine uestra per ocium aliquando frueretur, istuc ire perge / ret. Hic tibi non ausim uir optime mihiq; charissime, quæ homo impurus in te, patremq; tuum euomuerit, commemorare. Nam Hectorem nostrũ quasi hominem imperitum & indoctum longe aspernabatur. Stepha / num uero, etiam ut auaritiæ sordibus inquinatum execrabatur, qui à se Lazarum Bonamicum tam facile dimisisset, quem duplicato operæ pre mio retinere potuisset. Tu uero, sed talia sunt, quæ ne literis quidem bone ste committi possunt. Tantum habeto, pessime illum de te & sentire & lo qui. Ego qui tum intimis sensibus angerer animi æquitatem uultu ægre sustinerem, sed simulatione tamen eam mihi tuendam arbitrabar, rogo hominem, undenam illa quæ in te conferret, resciuisset, qui te uix de facie. idq; paucos ante dies nosset, me quidem, qui tecũ annum amplius unũ familiarissime uixissem, nihil in te quod non homine ingenuo, & ijs qui bus à puero deditus fuisses, optimis artibus dignũ uideretur animaduer / tisse. Hic simiolus ille cum aliquandiu hæsitasset, nec impudentiæ suæ exi tum alium, credo, reperiret. Erras inquit Longoli, erras, si quod te uel ingenij uel uirtutis lumen in eo perspexisse putas, qui & ipse pædagogus sit & pædagogo patre auoq; natus. Quid quæris? risi equidem ipse ho - minis amentiam, sed eiusdem quoq; petulans mendacium flagris cober / cendum iudicaui. Atqui uides, quæ sit hic meæ, præsertim aduersus istiusmodi homines, causæ libertas. Itaq; totum me, ad sanandam si qua ratio ne possem eius stultitiam conuerti, uerbisq; satis multis ostendi non modo q̃ præposterum esset & à boni uiri officio alienum, alienæ uirtutis detre / ctatione sibi laudis aliquid quærere, sed etiam q̃ illiberale in alienis uel iuste insectandis uitijs libenter occupari. Qua quidem oratione hactenus ille commotus est, ut fateretur me recta quidem sentire & monere, sed se ta men nescio cuius tuæ epistolæ tam cito obliuisci non posse. Verum indi / gnus est, de quo tam multa, quæ nec ipsa sanè tamen scripsissem, nisi te pro mutua nostra beneuolentia admonendum putassem, ut etiam atq; etiam uideres quantum illi tribuendum committendumue esse iudicares qui cum te ob os ita, quemadmodum scribis, dilaudet, absentem tamen tam acerbe diuexet, et quasi reũ perpetua oratiõe insectetur, ne illud om nino ueritus apud quẽ te accuset, sed hoc quoq; singularis eius stultitiæ sit argumentũ. Quod mihi de literis à me tibi scriptis gratias agis, facis tu abundantia quadam humanitatis tuæ, ut ea quoq; grata habeas, quæ nisi tibi libenter præstarem, is ego certe non essem, quem tu me esse semper prædicasti, quanq̃ illas non tam tua q̃ uel P. Alcyonij uel etiã mea ipsius

causa tũ ꝯscripsi, qui & tuas elicere profecto cuperẽ, et ita mihi tecũ quo quomõ loq uiderer. Q ð si rarius à me adhuc factũ ẽ q̃ necessitudo fami liaritasq; nostra postulare uideatur, uelim cũ mihi id i primis molestũ eẽ iudices, tũ uero me posthac nõ cõmissurũ credas, ut ullo uel tẽpo℞ uel lo co℞ iterallo iter amoris nostri et officij mei facile interrũpi possit. Tu mõ fac, ut quã mihi tuis ipse literis diligentiã nauare cœpisti, eam mihi in re ditum uestrum nihilominus præstes, idest ut de rebus istis omnibus me q̃ accuratissime certiorem facias. Nec enim nescis q̃ ego sim istiusmodi re rum curiosus, neq; sanè à me dici potest q̃ mihi in eo quod de principum istorum conatibus scripsisti gratum feceris. Itaq; res eorum gestas uel euẽ tum belli potius à te expecto, qua quidem expectatione ne me diutius tor queas uehementer à te peto, & si pateris etiam te rogo. Salutem Do. Sa ulio, & Hectori nostro. Vale. Ex urbe Patauio iiij Calen. Sextil.

CHR. LONG. M. ANT. FLAMINIO. S.

SCripseram nudius quartus communeis ad te & Ste. Sau lium literas, daturus eas P. Alcyonio, qui cum istuc iter ha beret, se tamen profectionis suæ consilium abiecturum po tius quàm sine meis literis ad uos uenturum esse ostenderat, sed nosti hominis ingenium, ille enim & cœnæ, quam ei opiparam hic dederamus, & laudum, quibus à nobis ornatissimus discesserat, & lite rarum, quas summa contentione ut festinanter scriberem peruicerat obli tus, profectus esse dicitur. quod uos idcirco scire uolui, ut meis uerbis hac de inhumanitate cum eo expostuletis, q̃q̃ id ipsum de quo queror, non omnino incommode nobis cecidisse uideri possit, ea enim ijs literis incau ute commiseram, quæ illum in primis cælatum esse cupiebam. Perfece rat scilicet pristinæ nostræ consuetudinis usus ut magis quibus cum agerẽ in mentem mihi ueniret, q̃ cui literas daturus essem satis meminissem, eas porrò ipsas, cum aliter initio statuissem, tibi tamen uni inscripsi, quod eo dẽ ferè tempore de Io. Saulij obitu sum à Cæsare Fulgosio factus certior. Itaq; uisum est faciendum, ad Ste. Saulium præcipuas & isti tempori accommodatiores mittere. Tu si grauabere mihi latine scribere, scio enim q̃ hoc in genere tibi nunquam satisfacias, qui cæteris, mihi crede, satisfa ceres, si quantum in eo uales tantum auderes, per me quidem Italice scri bas licet, idq; ita denique si quid habueris quod me scire nostra intersit, si minus, tacebis quoad uoles, uoles autem tãdiu me authore, quam diu nihil erit quod scribas. Saluere à me iubebis Do. Saulium & Hectorẽ nostrum. Ex urbe Patauio. xvij. Cale. Iul.

De ludorum

De ludorum apparatu, & tota decursionis ratione, hoc est quis cui commissus esset, qui rem strenue gessissent, qui palmam deniq; tulisset, item qui in harena corruissent, qui & quot & quatenus hastas infesto cursu confregissent, breuiter singulorum dierum acta & casus ad te diligentissime, ut pollicitus eram perscripsissem, nisi Bernardini contentione perfectum fuisset, primum ut res ad Id. reijceretur, deinde etiam ut S.C. tolleretur. Itaq; scito legitimos ludos à nobis nullos spectatos esse. Tantum uoluptatis modo quantum, cum tu hic aderas percepisse.

CHR. LONG. SIMONI VILLANOVANO S.

Etsi minime dubitaram, quin meæ tibi apud Fr. Rubrium literæ magno essent adiumento futuræ, quem mea causa omnia & uelle & cupere sciebam, gratissimum mihi tamen fecisti quod quàm is te liberaliter complexus esset ad me diligenter scribendum putaris. Perfecisti enim tuis literis cum ut rebus tuis bene consultum à nobis esse intelligerem, tum uero ut tibi quasi præsens summa cum uoluptate gratularer. Istam igitur urgebis facultatẽ mi Villanouane, & quantum tibi semper optauimus ocij, tãto nunc perfruere. Tu modo fac, ut eius tibi ratio diligenter constet, & nos scriptis aliquando lacessas tuis, presertim siquid erit, quod ad me de rep. scribas, q̃q̃ enĩ nullam eius mihi partem attingendam putaui, qui nihil hoc ocio ducã neq; sanctius neq; suauius, tamen non dici potest quàm quid in ea geratur, misceatur, turbetur scire cupiam. Suaue est enim mari in magno, nostis cætera. Neq; uero multum uelim in eo scribendo ponas industriæ. Plebeis aut etiam Gallicis uerbis per me quidem ea exequare licet, modo ut ne quid eorum, quæ literis recte committi possunt, me lateat, etiã si sine capite, rumore, nuncio, ad te delata fuerint, quibus tamen notam aliquã ad caput ueli affigas, q̃ certa ab icertis discernãtur. Id ut facias te tã rogo uehementer q̃ qđ uehemẽtissime. Vix enĩ credas q̃ sim eius generis rerum curiosus. Velim meis uerbis Vercellano nostro salutem referas. Vale. Ex urbe Patauio Cal. Iul.

Sed heus tu, ita ne uel arcæ nostræ confidis, uel tanti tuas epistolas facis, ut in singulas binos sestertios tabellario ascribas. Asse tantum opus erat, estq; is legitimus uel in pleniores literarum fasciculos sumptus, nisi tu fortasse proximis δυαγγέλια deberi putasti. cuius quidem rei te non mea magis q̃ tua causa certiorem faciundum putaui.

CHR. LONG. FR. RVBRIO S.

n On putaui me tibi, quàm de Villanouano nostro mihi gratũ fecisses, aliter posse ostendere, nisi in eo declarando, nouo literarum genere & latine tecum agerem qui gallice adhuc egerim, & quanq̃ in eo nihil à singulari tua uel in studiosos omnes liberalitate nouum, uel erga me beneuolentia alienum fecisse uideare, tamen scito me tantum ex isto tuo in ipsum beneficio uoluptatis cæpisse quantum litteris exprimerè nõ sanè possim. Scripsit enim is ad me qua abs te humanitate accæptus esset, quid tu sibi mea causa promisisses; quid etiam iam præstitisses, quibus de rebus primum tibi, ut debeo, maximas gratias ago, qui tanti literas meas feceris ut ijs lectis non solum opera, qua quidem fuissemus contenti, sed opibus etiam tuis hominem adolescentem, optimum quidem illum atq; doctissimum, sed fortunæ iniuria abiectum meẽdum tibi ornandumq; susceperis. Deinde tibi recipio, te ex ista liberalitate tua maiores i dies singulos fructus percæpturũ esse, is .n. apud te iã est q cũ magno tibi quotidie usui multis in rebus esse queat, tum uero eas colat & tractet artes, quibus nominis tui dignitatem & si domi forisq; claram satis illam illustriorem tamen possit reddere, sed hæc illum præstare malim q̃ à me prædicari. Extremum illud est, quamuis hominem sua iã causa commendatum habeas, sisq; in eo quod ei pollicitus es uel constantiæ tuæ causa permansurus, nihilominus tamen abs te maiorem in modum peto, ut, quemadmodum cœpisti, eum tu omni tua beneuolentia atq; liberalitate complectare. In Britannia qui tumultus adhuc sint à te uehementer expecto, ecquid item Insubres rerum nouarum moliantur. Mera hic enim nobis narrantur monstra, copias nostras in Pyrenæis montibus omnes ferè cæsas esse. Franciscum ex Eburonibus sese in regnum trepide recæpisse. Pont. Maximum noua consilia capere. Mediolani res male pacatas esse. Barrensem cum magna Germanorum manu aduentare. Heluetios cum Cæsare sentire, quæ & si magna ex parte uel omnia potius falsa esse non dubito atq; à Cæsarianis ipsis conficta, facies tamen si me amas & siquid explorati habes de omnibus certiorem. Vale. Ex urbe Patauio Cal. Iul.

CHR. LONG. SIMONI VILLANOVANO S.

a Ccæpi hodie tuas literas post horam octauam, quæ mihi iucundissimæ cum fuerint, eos enim quos in primis expectaram de rep. nuncios attulerunt, hoc tamen asperserunt molestiæ, quod me tibi calumniæ nomine suspectum esse significarent. Ego uero mi Villanouane tantum abest, ut te, quem multis de

causis facio plurimi in crimen uocare uelim, ut ne calumniam omnino grauem à te passus, tecum sim unquã expostulaturus. Iocari scilicet tecũ tum uolui, atq; te interim hominem planè hospitem improbitatis tabellariorum, quibus nos prædæ esse dolebam, leuiter admonere. Nam qđ epistolas tuas ne minimi quidẽ abs te putari scribis, agnosco equidẽ modestiam tuam, sed tamen scito eas à nobis i maximis poni, neq; à te quicquam mihi hoc tempore fieri posse gratius quàm si talibus de rebus crebro me & diligenter certiorem facias, ita tamen ut ea demum literis committas quæ prolata tibi fraudi futura non sint. Malo enim aliqua nescire ꝗ̃ te mea causa quicquam periculi adire. Percrebuit hic rumor atrocior quidem ille ꝗ̃ ut libeat credere, sed constantior ꝗ̃ ut omnino contemni debeat, Tactam de cœlo Mediolani Iouis arcem nuper conflagrasse. Tu si quid exploratius istic erit, de eo statim ad me scribes. Vale. Ex urbe Patauio No. Quintil.

CHR. LONG. FRANC. RVBRIO S.

Simon Villanouanus certiorem me hodie per literas fecit addubitare te, num epistolam quam ad me nuper latinam dedisses, acceperim. Ea uero mihi reddita est fuitq; gratissima, &, qđ inter nos dictum liceat multo etiam ꝗ̃ expectaram elegãtius conscripta. Sed Vercellani scilicet nostri atq; ipsius Villanouani consuetudine iam factus est orationis tuæ cultus nitidior, ꝗ̃ tibi per nostrorum iurecõsultorum literas adhuc licuerit. Ad eam autem nihil rescripsi uel quod necesse non putabam, uel quod te mea causa ab Regijs negocijs abduci nollem. Scio quàm hoc presertim tempore laboriosam obeas legationem, quàm item hoc scribendi genus ociosorum sit hominum, non eorum qui in magnarum nouarũq; rerum deliberatione totos dies uersentur. Sed tamen si quo literarum nostrarum studio teneris, faciam ut in eo officium nostrũ post hac ne desideres. Tu mihi modo fac epistolæ argumentum semper præbeas, hinc enim nihil est quod expectes, istuc omnia undiq; ad te perferuntur. Sed ne planè sit inanis epistola. Scito quæ de copijs nostris in Pyrenæo consciss ad te nuper scripsi & tu uera esse negas, ea hic omnia in dies singulos magis ac magis confirmari, legi equidẽ heri epistolam Venetijs missam quæ duas nostras legiones cum aliquot equitum turmis et decem Germanorum cohortibus subito Hispanorum aduentu oppressas esse nunciarent, quod quidem ut credam, & si adduci non possum facit tñ istorũ uel cõstantia uel pertinacia ut etiã nũc al pẽdeã. Tu mihi hunc, ꝗ̃so, scrupulũ eripe, atq; ea tota de re paulo me accuratius certiorẽ faciẽdũ curato. Tibi.n. ad hoc ipsũ nõ satis eẽ ocij itelligo. Vale. Ex urbe Patauio. iij. Id. Quintil.

CHR. LONG. SIMONI VILLANOVANO S.

Cœpi binas abs te paucorũ dierum interuallo literas, easq́;
a & officij & rerum nouarum plenas, quod ipsum cum di
co, non iam expectas, opinor, ut illas mihi gratas quoq; fuiſ
ſe adijciam, id enim te, uel tacente me, certo ſcire potes. Tu
modo fac, ut quam mihi adhuc iſtic nauaſti diligentiam, in ea mihi præ
ſtanda pari ſtudio atq; aſſiduitate perſeueres. Neq; uero te ceſſatio mea de
terreat, ſcis enim quàm ſim i ſcribendo natura piger, ſed ſi me amas, hoc
ſæpius mecum agito, quod ad excitandam ignauiam noſtram crebriori-
bus literis opus eſſe perſpicis. In eo etiam mihi ueniam abs te dari uelim
ut mea poſthac cauſa ſis paulo q̃ adhuc fueris iſtiusmodi rerum curioſi-
or. Ego enim qui à ſpectaculis et ludis nõ ualde abhorream, principum
noſtrorum turbas & motus quaſi ſcænam aut theatrum aliquod πολυ-
ανθρον mihi libenter propono. Sed hæc tuo tamen commodo omnia.
Nunc ad literas tuas, in quarum poſterioribus quod ſignificas exercitus
noſtri cladem maiori nobis eſſe infamiæ quàm fuerit rebus illis detrimẽ
to, paucos enim omnino in ea pugna cecidiſſe, uelim ita ſit, ſed tamen hic
pro certo habetur, cum copiarum noſtrarum ducem in hoſtium manus
uiuum deueniſſe, tum uero regnum uniuerſum ab Hiſpanis eodẽ uicto-
riæ curſu recuperatum eſſe. De Pompelona quidem, quæ ipſa Vaſconum
caput eſſet, quin in hoſtium poteſtate ſit hic dubitat nemo. Fanum autẽ
Ioannis, quod eſt in ſaltus Pyrenæi faucibus oppidum munitiſſimum, à
noſtris adhuc teneatur nec ne nondum exploratum habemus. Ea igitur
de re certiores nos q̃primum feceris, ſimul & qua pace quibusq́; præſi-
dijs Mediolanum firmatum teneamus. Nam ne illac quidem quæ uelle-
mus afferuntur, tametſi Lautrecum cum non contemnendis Aquitano
rum & Heluetiorum copijs in Italiam aduentare audimus. De militari
Bellæi noſtri tribunatu, bene uelim ominere, quanquam enim Marti cũ
Muſis haud ita belle conueniat, ſunt ea tamen illæ uel prudentia, uel ſua-
uitate, ut ferociam eius nihil difficulter in poteſtate ſua habituræ uidean
tur. Mitto tibi literarum faſciculum, quem uelim Lutetiã diligenter per-
ferendum cures. Id autem facillime ex ſententia noſtra confeceris, ſi in eo
Rubrij noſtri uel opera uel authoritate uti noles, quod ut facias, & ut ei
plurimum meis uerbis ſalutem impertias à te uehementer peto, & ſi pa
teris, etiam rogo. Quotieſcunq; à me tabellas, cuiuſmodi hæ ſunt, exteri-
ore ſui parte rubrica oblitas, accipies, ſcito tibi nihil earum nomine ta-
bellario perſoluendum eſſe, me quod opus erat hic erogaſſe. Vale. Ex
urbe Patauio xi Cal. Sextil.

CHR. LONG. SIMONI VILLANOVANO S.

Nibil erat, quod te mihi de literarum itermissione excusares, quam nullam adhuc fuisse uideo, etiam si tu in formiano quodam tibi relegatus esse uideare, tum uero omnia sic suspensa esse intelligo, nihil omnino ut sit, quod ad me pro certo scribere poteris. Duas illas, quas te mihi misisse scribis epistolas, accepi, fueruntq; mihi iucundissimæ, nec tamen eiusmodi, ut respondendum illis quicquam fuerit, præter illud magnam me ex earum lectione uoluptatem cæpisse, sed quotidiana huiusce rei testificatio, ex amicitia nostra sublata iam esse debet. De Antonij Pratiani ad Iccium portum profectione, iam pridem hic audieramus. Quæ uero de Lautreci equitatus legionumq; numero prid. Cal. Sextil. nunciasti, nemo hic credit, contraq; oia quæ nolim huc afferuntur. Illum cum tyrone et collectitio exercitu, tum parua nec ea satis fida Heluetiorum manu Mediolanum uenisse. Pontificis copias & genere & numero firmissimas, iam in hostico castra posuisse. Exercitum nostrum oppidorum muninmentis se tueri. Sex Rhetõrum millia in Mantuanum agrum ex germania peruasisse. In ulteriore autem Gallia Cæsaris copias in dies singulos magis ac magis augeri. Regi decretum esse bellum ducere, nec nisi ex occasione summa manum cõserere, qua in sententia si ille perstiterit, planè uicimus. Sin minus, ut etiã superiores discedamus, uereor tamen ne magno nobis cõstet uictoria. Sed hoc deus aliquis uiderit. In Hispania. Audio eas ciuitates, quæ se in libertatem uendicarant, ui expugnasse oppidum, i quo Ioanna Regina à prĩcipibus adseruaretur, atq; eo casu liberatum eẽ Gallorum præsidiũ, quod in arce Pompelonensi ab Hispanis obsideretur. Soluta enim obsidione recurrisse illos statim in intimam Hispaniam, Reginæ opem laturos, quæ in plebis potestatem iterum uenisset. Quod si ita est, ducesq; nostri tãto fortunæ beneficio sunt usi, non dubito quin omnis iam Vasconum regio, ad imperiũ redierit. Tu si quid hac de re exploratius istic erit, facies mihi notũ id ut fit, itemq; illud, quanam in Galliarum parte Cæsaris Regisq; exercitus paruo flumine diuidantur. Mirum enim nihil de eo certi nobis adhuc esse allatum. Illud penè præterij quod minime omnium uelim, Regi stare sub signis in Gallia, equitum quidem millia circiter quindecim, legiones uix septem, sed eas uirtute fideq; præstantissimas, Cæsarem uero in cogendo exercitu adhuc esse occupatum, sperari autem ut prope diem equitatu nos æquet, peditatu longe superet. Tu de his omnibus, & si qd præterea noui, ad nos curiosius scribes, atq; mea causa res huiusmodi oẽs sagacius aliqñ odorabere. Cum eni ostẽdas te ea tãtũ scribere quæ ex ꝑtereũte excæperis, uenit mihi i mẽtẽ suspicari te paꝝ mea causa labo-

rate. Sed nõ plus tñ cõtẽdo q̃ rõnes tuæ patiãtur. Vale Ex urbe Patauio Sext. Id. Sextil.

CHR. LONG. IVLIO TOMAROTIO S.

Non commisissem ut tua me epistola prius opprimeret q̃ tu à me literarum aliquid accæpisses, si uel ubi esses certum habuissem, uel quid ad te potissimum scriberem mihi in mentem antea uenisset. Scis enim eam temporum tuorum rationem adhuc fuisse, ut neq; tu, propter uarios nauigationum tuarũ cursus, certo loco consederis, neq; ego, propter casus tui acerbitatem, ullo tecum scribendi genere agere potuerim, qui nec quo te consilio iuuarem, nec quod tibi pollicerer, haberem, nec te uirum fortissimum omnino consolari auderem. Itaq; & si ad literarum tuarum lectionem erubui, quæ cessationem quodammodo mihi exprobrarent meam, liberarunt me tamen eædem ipsæ magna molestia, quod & te Romam saluum uenisse significarent, & eam præ se animi tui ferrent magnitudinem, ut gratulandum potius uirtuti tuæ q̃ te cuiusq̃ oratione confirmandũ iudicarem. Sic enim certe me tu, in tanto rerũ tuarũ naufragio, cum de te spe iubes esse maxima, tum uero ne tuorũ incommodorum nuncijs quicq̃ perturber cohortaris, ut & priscam illam uel in te uno, Po. Romani fortitudinem mihi uidear agnoscere, & in eã interdũ etiam spem ueniam, ut te fortuna aliquando complectatur unice, quem illa iam aliquot annos terra mariq; iactatum insectata sit acerbissime. Sed hoc ipsa uiderit, te quidem certe apud mortaleis omneis plus ex ista tua constantia laudis relaturum perspicio q̃ illa aut tibi iam ademerit, aut etiam in posterum rebus tuis nocere possit. Quare fruere isto tuo mi Tomaroti inuicto animi robore, & quod iam summa omniũ nostrũ admiratione facis, speres omnia semper optime, & quemcunq; fortuna tulerit casum, hunc tu excelso atq; elato animo perfer sapientissime. Flaminiũ tuũ, uel nostrũ potius, quod mihi commendandum non duxisti, id quidẽ & ipse facile passus est, & tu mea sententia recte auguratus. Neq; n. ulla cuiusq̃ commendatione illi apud me opus fuit, quem uel eximia sua uirtus, uel suauissimi mores atq; singularis probitas mihi ita commendet, ut neq; chariorẽ eo neq; coniunctiorẽ hic planè habeã neminẽ. Certe nullũ à me bene de eo merendi tempus amittitur, quod ipsum hoc facio libẽtius, quod quotiescunq; eum uideo (uideo autẽ nullo penè non die) expressissimã q̃dam animi corporisq; tui imaginẽ mihi uideor intueri. Tibi autem quantũ debeã, ipse mihi locuples sũ testis. Sed de meis in eũ officijs spero te iã & malo ex alioꝝ, uel ex ipsius etiã literis cognoscere. Quod ãt me ad ætatẽ nostrã scriptis meis illustrandã adhortaris. Ego uero me abs te

magnopere irrideri putarē, nisi ista te cū simplex & aperta animi tui alacri do, tum uero pspecta mihi iāpridē tua erga me beneuolētia ab omni eiusmodi illiberalitate uendicaret. Nā q ego tandē sum? sed nihil faciā inepte, nec cōmittā ut me authore, quisq̄ de me male existimet. Tū habeto, à me nō modo id nūc quidē nō agi, ut ætas nostra, sed nec oīo ut nomē, de quo etiā me admonuisti, illustretur meū. Vides tu quoq; opinor, quo sint hodie loco Romanæ & artes & literæ, quas tantum abest ut studiosis sui aut honorificas esse, aut fructuosas putē, ut semper quidē fidem illæ, sæpe etiam existimationē nostrā labefactent. Quid in ijs igitur, inqes, operā tuā ponis oēm & industriā? dicā tibi, & uere mehercule dicā, sed ea lege, ut tibi hoc dictū arbitrere uni. Teneor incredibili earū uoluptate, atq; ea eius sanè modi, ut etsi ipsas de re, de ualetudine, de dignitate ēt nostra plurimū in dies singulos detrahere sentiā, nō possim tū neq; adeo uelim ulla oīo ratione ab illis abduci. Iā istuc, mera est, inqes, insania. Mera prorsus, sed q̄ me tū interim omni istorū sapientia magis delectet. Verū de his plura, cū ex te intellexero q̄ uacuo sis et parato ad has nugas accipiēdas aīo. Val.

CHR. LONG. P. BEMBO S.

Redditæ mihi sunt hodie tuæ literæ, & cūijs à Pont. Max. Lutertrianæ causæ cōmentarij, quod ad summi qdem Pontificatus rōnem attinet, pleniores oīo illi, in eo autem in quo maxime urgemur planè nudi et inanes. Nihil enim facile in ijs reperias quod uel ad maniū expiationem uel ad lustricam uiuorū confessionem, uel ad innocentiæ restitutionē, uel ad cætera quæ illē in disceptationem uocans multa miscet, quicq̄ pertineat. Quin etiā ad maximi sacerdotij confirmationē alia ibi ferè afferuntur nulla nisi quæ in Pontificū libris, & in peruulgatis istis theologorū disputationibus iactantur. Ea autem esse eiusmodi omnia, ut cū per se infirma sint & imbecilla, tū uero ab aduersarijs iamdiu explosa, nec tu ipse quidem ignoras. Sic tamen dabimus operam, ut ne qs à nobis boni ciuis officium recte desideret, quanquā hac in re, nouo quodam & adhuc inaudito molestiæ genere distrahor, qui nō possum, neq; istorum, quorum & probo & scripturus sum causam, ita laudare mores, neq; illorū quorū odi parteis et improbo consilia, uitā quoq; magnopere dānare. Quid.n. illis præter cām deest? qd nobis præter ius à maioribus traditū superest? Pro eo tū iure, quod ego planè diuinū esse mihi persuadeo, nobis nō mō stylo, uerū etiā, si res cogat, pilo & hasta dimicandū esse cēseo. Sic igitur ad scribēdū descēdo ut oēis facile bonos intellecturos sperē, me nullis i hūc sensū neq; bñficijs eē allectū, neq; cuiusq̄ iniurijs cōpulsū, tametsi mi Bēbe iā nūc aīo pspicio, ut neq; istis pugnādi cupidis, ullo sim

modo satisfacturus, ardentius enim me (scio) & cõmmeliosius uellent scribere, neq; ab ijs quorũ potissimum salus agitur, ullã omnino gratiã relaturus, neq;.n. me sua unq̃ causa huc descendisse, sed temporibus seruire uoluisse existimabunt. Verum hoc Deus uiderit. Ego enim, qui quam personã sustineã nõ ignoro, cũ christiani hominis officio functũ me confido, tum uero quicunq; fuerit exitus, consiliorũ meorũ ꝯscientia me sustentabo. Quod me in Patauinum tuum non inuitas, facile patior. Nec.n. fortasse tibi istic satis est tecti, & quædã ẽt hic à nobis perpoliũtur opera, iã olim instituta, sed tñ te propediẽ uidebo. Vale. Ex urbe Pat. prid. cal. Quintil.

C. LONG. FLAMINIO TOMAROTIO. S.

b

Reuitate literarũ, qua mihi tecum per te uti licet, eo nunc utor libentius, quod nihil eiusmodi possim ad te scribere, quale & tu expectabas & ego mehercule optarem. Nam cum mihi δ'υσ-ϖτία illa mea liberum nihil adhuc reliquit, tum uero hominem tam grauiter ægrotantem offendi, ut mandata tua ei exponere alienum putarim, presertim cũ de angustijs eius ex Grimoaldo nostro aliqd odoratus essem, & mihi in sermone iniecisset, nihil esse quod uel ipse hoc tempore à Leõte expectarem, quem quidem tanta pecuniarũ angustia premi constaret, ut ne suis quidem parceret, & pontificatui iam olim consecrata prædia proscriberet, & factum argentum omne aurumq́; in stipendium militare iam signasset. Itaq; mihi Limacum ritu, meo uictitandum esse succo uides, tibi uero polyporum modo brachia tua circumrodenda, atq; adeo nisi te Deus aliquis respexerit, planè deuoranda. Non sunt hæc ridenda omnino quæ studijs & ocio nostro tam sunt inimica, sed nosti ingenium meũ, qui malim oĩa ridere q̃ flere. Vale. Venetijs yi. Cal. octobr.

CHRI. LONG. STEPH. SAVLIO. S.

I

Egit mihi Nicolaus Leonicus literas à te sibi nuper missas, neq; tam, opinor, eò legit ut quam tu istic rerum tuarum rationem instituisses, inde fierem certior, id enim paucis omnino uerbis ipse commodius exposuisset, quàm ut ex ijs, quantum priscæ ac germanæ illius eloquentiæ studio profecisses, cognoscerem. Ac mihi profecto genus earum tum quidem eiusmodi uisum est, ut quanquam te ista tum natura, tum industria præditum nihil non facile consecuturum speraram, uincéres tamen expectationem meam, simul & Leonico ipsi subinuiderẽ, quẽ tanta scriptorum tuorum elegantia beares, tibi uero tacitus succenserem,

qui nihil ad me prorsus scriberes, hominem (ut cætera omittantur) tibi uel studiorum societate coniunctissimum, uel multis etiam et magnis de causis amicissimum, dissimulabã tñ dolens, expectabamq́; , ut de maturo tuo ad nos reditu aliquid tandem ascriberes, cum ecce in extremo earum turbo, quo repente in uenientem annum reiecti sumus. Quid quæris? ex re, nisi te fiacerem plurimi, haud ita magna, magnum (mihi crede) accæpi dolorem, qui & Leonicum elatum uiderem, & me non solum literarũ tuarum fructu orbatum, uerumetiam, qua me una adhuc sustentaram, aduentus tui spe planè destitutum perspicerem. Itaq; tibi has statim, doleter quidem sed amanter scriptas, misi, ut quando mihi suauissimæ tuæ cõsuetudinis usu tamdiu carendum esset, saltem literarum tuarum iucunditate desiderium nostrum lenires, atq; adeo non nihil ascriberes, quo nos tibi adhuc curæ esse communibus amicis fidem facere possemus. Quod enim à discessu tuo & ipse statim ad regium hunc adolescentem me contuli, & tu ad me nisi semel, & breuiter, & nulla tuæ erga me uoluntatis significatione, idq; sæpius à me prouocatus, scripsisti, adduxit ea scilicet res in hanc opinionem certos homines, ut te mihi immutatum esse suspicarentur. Ego qui te ex animo meo metior, & à me amicitiæ nostræ fidem sanctè cultam esse mihi sum conscius, non quidem istorum sermonibus omnino commoueor, sed admonendum tamen te puto, ut aliquid des hominum opinioni, neq; cõmissum uelis, ut taciturnitas tua in eam quam minime decet partem à nonnullis interpretari possit. Hoc si feceris, & constantiæ tuæ consulueris, & mihi certe gratissimum feceris, qui non modo abs te amari, uerum etiam tuum erga me amorem omnibus notum atq; testatum esse capiam. Vale. Ex urbe Patauio xi. Cal. Nouembr.

CHR. LONG. M. ANT. FLAMINIO S.

Accipio tuam de intermissione literarum excusationem, sed ea demum lege, ut me tibi eodem nomine purgatum esse uelis. Neq; enim ulla negligentia mihi officio defuisse uideor, qui cũ quod scriberem nihil planè haberem, tum uero uel te, uel a te aliquid, unde mihi scribendi argumentum nasceretur, in dies singulos expectarem. Quod autẽ me iniurias tuas ambitiosè magis q̃ uere doluisse existimas, in eo certe grauem amicitiæ nostræ facis iniuriam. Nihil est in me uanũ, neq; esse debet, præsertim cum ad te scribo, quem omnium cogitationum mearum, non solum actionum participem esse semper uolui. Sed de ista tua suspicione malo tecum coràm expostulare, tantum interim habeto, eum esse me, qui & amicorum iniurias nihilo feram leuius quam meas,

& me cuiquam venditare neq; sciam, neq; si sciam omnino velim, et ad quoscunq; scribam, cum ijs plebeio sermone nõ libenter agam. Quod ais vereri te, ne vobis istic hiemare necesse sit, ego vero id Stephano nostro decretum iam esse intelligo, siquidem vera sunt quæ de Leonico & de Fulvio hic audio. Ac profecto tuti ad nos itineris ratio, hoc quidem tempore, nulla iniri potest, obsessis, trium exercituum castris, cis Padum vijs omnibus, nec ipsa sanè Aemylia ab ardore belli etiam nunc vacua. Quare eodem quo tu me, ipse te nunc scilicet voco, ut quãdo amicitiæ nostræ fructus præsentes percipere non possumus, ad leniendum utriusq; nostrum absentis desiderium, bono literarum utamur. Et quoniam nõ semper scriptione dignæ res nobis occurrent, tu si nihil erit aliud, vel de ratione studiorum ad me tuorum scribito, idem enim ego facturus sum, si modo in eo genere officium meum non aspernabere, nõ aspernari autem illud mihi videbere, si tu eiusmodi aliquid prior mihi miseris. Sed hoc tui fuerit consilij, illud equidem interea nescire te nolim, scriptam esse à me eam causam, quam ut susciperem, crebris me ab urbe Roma nuncijs, urgeri, tibi aliquando significaui. In ea (si quæris) eiusmodi P. Bembo & Andr. Naugerio visi sumus, ut eas à nobis res non modo latinis literis complexas esse iudicarint, quod ipsum ne fieri non posset multum certe verebamur, sed noua etiam quadam tum rerum, argumentorumq; vi, tum vero dicendi ratione ita illustratas atq; ornatas, ut me unum omnium & in arcem Luterianæ causæ inuasisse affirmarint, & theologiã ipsam ex scholis in concionem & forensem aciem eduxisse. Plus omnino illi mihi tribuunt, q̃ vel industria nostra mereatur, vel ego quidem ipse agnoscam, (venit enim mihi quoq; in mentem suspicari, testimoniũ illud plus habuisse cohortationis ad speratam virtutem q̃ veræ & plenæ laudis ad præsentẽ gloriam) sed tamen facere non possum mi Flamini, quin & tali tantorũ virorum siue iudicio siue consilio delecter, & quod ex eo delectationis percæpi, id ad te per literas quoquomodo deferam, quem quasi alterum me, ac fortunarum mearum omnium socium esse volui. Salutem Do. Saulio & Hectori nostro. Vale. Ex urbe Patauio x. Cal. Nouembr.

CHR. LONG. THOMAE LINACRO S.

PErgratum mihi fuit munusculum tuum, quod quasi quoddã coniunctionis atq; amicitiæ nostræ monumentum Reginaldus Polus hodie mihi reddidit, sed quo nihil facile, ad eam quidem rem, opus fuisse iudico, ego enim qui cæteros, presertim amicos homines ex natura mea soleo fingere, eam quam ipse tibi absens præstarem memoriam atq; beneuolentiam, abs te mihi præstari non dubitabam. Quod si

tuæ erga me uoluntatis pignus aliquod apud me esse uolebas, qui tam multa in ipsa Britannia anno superiore dedisses, misisses potius literarum aliquid, quæ nobis cum omnibus uiriolis & annulis iucundiores certe fuissent, tum uero certius de tuo in me animo uberiusq; testimonium attulissent. Nunc aurum misisti, αἰθόμενον quidē illud πῦρ ἅτε, sed quo neq; tu homo philosophus planè abundas, neq; ego magnopere capior, literas non misisti, quas & tibi conscribere fuit facillimum, & mihi legere longè iucundissimum. Atq; ut intelligas ea me sentire quæ scribā, ego uero contra ad te mitto pro annulo epistolam, simul & defensionum nostrarum libellum nunc primum ex sententia nostra editum, de quo si tu ad me quid sentias libere perscripseris, erit id mihi nihilominus quā ipsum munus tuū gratum atq; acceptum. Vale. Ex urbe Patauio, No. Mai.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

CVm iam sextum diem literas tuas expectassem, calamumq; sumpsissem, ut te ad promissorum exolutionem inuitarem, redditæ mihi sunt epistolæ à te duæ, officij scilicet & rerum nouarum plenæ. Gallos eam accepisse cladem & doleo & mehercule etiam lætor. Doleo, quod eius turmæ fortissimum quemq; cecidisse reor, & inter eos Montanum Gronium, hominem mihi non solum uetusta necessitudine, sed etiam quadam literarū societate coniunctissimum. Lætor, quod haud ita magna mercede iam didicerint, non esse temere oppugnanda hostium castra, præsertim loci natura & hominum ingenio munitissima. Itaq; Heluetiorum probo consilium & Venetorum, qui se Gallo socios ad eam oppugnationem adiungere noluerint. Seduuensis Antistitis copias esse collectitias mihi facile persuadeo, pugnaturas autem aduersus Gallos, & decem esse millium numero, non item. Qua enim aut fiducia aut etiam spe Gallus eodem se loco contineret? nisi se uel numero parem, uel illos contra ciuitatis suæ decretum, ciuesq; suos minime pugnaturos esse certo sciret? Mediolanum præsidio tum externo tum domestico firmatum esse audieram. Carolum Cæsarem & Franciscum Regem signa collaturos minime putaram. De eiusdem Cæsaris angustijs iam olim exploratum habebamus. De Grolerio gratum fecisti, utq; in eo quemadmodum cœpisti, diligentiam tuā mihi præstes, te etiā atq; etiā rogo. Nā ut nummaria res nostra tibi curæ sit, te ne admonendū quidē puto. De Bembi nostri ualetudine aliquid scribes, nonnihil item de mira ista proluuie, qua & forum Marcianum et urbem penè totam aquis obrutam esse audio. Hic certe flumina alueos suos egressa agros totos inundarunt, ac propediem futurum speratur, ut cum assiduis hymbribus, tum ipso anni tempore

domita utrarumq; partium pertinacia, exercitus aut dimittantur, aut in hyberna certe deducantur. Tu cui litteras tuas des, posthac uideto, proximas enim, siquidem illis diē recte ascripsisti, longiore multo q̄ par erat interuallo accepi. Quod ad me attinet, studeo quidem ut cum maxime, sed nunquam neq; mihi pituita molestior fuit, nec astrictus aluus plus negocij exhibuit, credo quod te authore, ac duce abstemius esse cœperim, quanquam id non tam ea causa quàm uel temporis intemperie, uel puteanæ aquæ cruditate accidisse arbitror, quare uereor ad uinum mihi redeundum ut sit, aut pluuia certe decocta ue utendum. Vale.
Ex urbe Patauio ad viiij. Cal. Nouembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Ex ijs literis quas à te heri & hodie accepi, cognoui id scilicet, quod coniectura quadam ductus futurū prædixeram. Non igitur descendet cis Padum in aciem aduersus Gallos Heluetius, sed neq; Parmam (nisi me fallit opinio) circumsedebit. In Ferrarienses, opinor, tota belli moles uertetur, nec tamen quid illic, hoc quidem tempore, spei istis ostendatur, facile dispicio, contraq; omnia ipsis infesta uideo. Paludes, Flumina, hiemem, urbem deniq; ipsam cum sua sponte munitissimam atq; copiosissimam, tum uero omni bellico apparatu instructissimam. Addo ducem uigilantissimum, & rei militaris scientissimum, aperta Gallorum auxilia, occulta Venetorum subsidia, quos ipsos quiduis potius quàm ut ea urbs in Pontificis potestatem deueniat, perpessuros esse mihi persuadeo. Quod ut tam magnis copijs obsideri Ferraria possit, trahatur tamen obsidio necesse est, idq; alienissimo anni tempore, nam ab oppugnatione, infelix ad Parmam conatuū exitus eos deterrebit. Sed unde interea in tantis Cæsaris Pontificisq; angustijs, tot legionibus, tanto equitatui stipēdium redditum iri putas? Dilabetur, mihi crede, miles Italicus, partim hiemis difficultatibus uictus, partim non persoluto stipēdio iratus, Heluetius autē uel ad Gallos trāsibit, uel etiā ducibus suis manus afferet. Nosti eius gentis insolentiam, maxime si pecunia qua deliniatur, præsto non sit. Omnino eorum aduentum Pontificis Cæsarisq; exercitui exitio tandem futurum arbitror, grauem quidem certe iam nunc esse non dubito, cum & duorum mensium stipendia sibi repræsentari postulent, & se Gallorum rebus hostis fore pernegent. Atq; hæc quidem de citeriore Gallia, nam quod in ulteriore, omnia Frāciſco Regi secūda Carolo Cæsari aduersa esse narras, sunt eadē hic quoq; nobis audita, sed fama obscuriore, nec.n. quæ oppida Gallus in potestatem redegerit, quas ue Germania

prouincias inuaserit, huc affertur, tantum ferro & flamma ab eo omnia longe lateq; uastari. Ciuitates partim sponte, partim ui coactas deditionē passim facere. Eadem est nimirum hispaniensis belli ratio. Nam ibi quoq; accisas esse Caesaris res, captamq; à Gallis Pompelonam cum tota Vasconum regione & Cantabria, sed nec ubi, nec quo modo, nec quo euentu pugnatum, aut etiam an omnino pugnatum sit, adhuc intelligo, tu si me amas, ut certe amas, ista exquires, & facies me κατὰ λεπτὸν de singulis rebus certiorem. Vix enim dici potest, q̄ mihi iucundum sit eius modi spectaculū, in quo sine ullo nostro periculo, tam uarios tot fultos Regum casus, tot populorum insanias contemplari liceat. Cogita Nauarrae regnum ab hinc mensem tertium, nullo à Gallis negocio captum, idem paulo post ab Hispanis recaptum, idem nunc iterum Gallorum teneri imperio. Cogita totidē ante mensibus pressos in Aquitania Gallos ab Hispanis, in Belgarum finibus à Germanis, in Italia à Thuscis, Appulis, Siculis, & ab ijs etiam ipsis quibus imperarent, Insubribus. Rursus propone tibi eosdem Gallos nunc longe summotis hostibus depopulari intimam Hispaniam, uexare Germaniam, imminere Aethruriae & Appuliae, fidelissimis amicissimisq; uti socijs, & delectu prouinciali niti. Haec cum integro ubiq; adhuc bello spectare liceat, an non magnos & quasi gladiatorios quosdam à fortuna nobis edi ludos iudices? Verum ut ad coniunctiora mihi ueniam. De ualetudine nostra disputas tu quidem diligenter & mehercule peramanter, sed nondum tibi tamen assentior, quāq̄ enim à summis medicis, destillationi accommodatum esse aquae usum, traditum scio, non semper tamen eius potum probandum existimo, praesertim in ea quae me adhuc exercuit, grauedine. Nam cum crassiore pituita nares obstruantur, extenuandam illam omni ratione censeo, idq; potissimū uino, eoq; meraco & copiosiore, quod sua ui cum intestinum calorem excitare potest, tum uero pituitam ipsam tenuiorem reddere. Sin uero aut in fauces, aut in pulmonem destillet humor, nescio an tum frigidā dare conueniat, ea certe & caput perfundere, & os subinde fouere non inutile arbitror. Haec est enim frigoris natura, ut quod fluxum sit, eius ui cogatur atq; concrescat. Sed haec huius non sunt loci. Sic tamen habeto, depulsum esse statim à me repetito uini usu morbum, sed non item solutam aluum, cui tamen malo nihilominus medebimur, si corinthiā uuā passam saccaro accurate conditam mihi miseris. Confirmata autem plane ualetudine uel ad aquam redibimus, uel multo quàm ante dilutiore uino utemur. Salutem Ant. Marcilio, qui cur in medio mari Vulcanum iratum timeat, Neptunum sibi propitium fore putet, non satis perspicio. Vale. Ex urbe Patauio. Prid. Cal. Nouembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

C Onsumpsi hesternum diem ferè totum cum Fr. Charegato, uiro, qui nec à literis nostris abhorreat, et multis magnisq; de rebus à Pont. Maximo ad Cæsarem sæpe legatus sit. Is cum mihi multa de Cæsaris imperij magnitudine, atq; opibus narrasset, ostendit ad extremum monstrificas quasdam rerum species, quas ab Indorum regibus ad Cæsarem missas, atq; sibi ab eodē Cæsare donatas esse affirmaret. Eæ magna ex parte gemmæ quadā amplioresfuerunt, tam confusis metallorum generibus, ut neq; discretum quicquam in eis appareret, & multarum etiam animantium simulachra exprimerent, eaq; non tam fortuito linearum colorumq; concursu q̃ ipsa extantis materiæ mole conformata. In ijs erant anatum rostra, gallicorum canum capita, pauonum pennæ, atq; alia id genus pleraq;. Verum omnium admirationem facile uicit, eius quæ apud Indos religiosissime colitur, Furiæ persona, non natiua quidem illa, sed hominum ingenio preciose & affabre deformata. Audisti enim, puto, mira ijs gentibus superstitione esse persuasum, Deum & Furiam sic Mundi imperium inter se initio diuisisse, ut ille cœlitibus, hæc inferis & manibus iusdiceret, atq; ita fieri, ut dum hanc unam sibi placatam trepido metu cupiant, eā omni etiam diuini cultus honore prosequantur. Lignea igitur eius est persona, sed cui tenuissimum uermiculati operis, emblema ita inductum sit, ut penicillo depicta, non gemmeis tessellis ornata uideatur. Mentum, superiusq; & inferius labrum Cyanei lapilli segmentis enitent. Nasus, genæ, malæ, buccæ saphirinicis splendent. Supercilia à fronte tenui ex iaspide tenia distinguuntur. Frontem latior è smaragdo fascia præcingit, quæ secundum aures leuiter demissa ad mentum usq; utrinq; porrigatur. Superiora rutilo iaspidis nitore collustrantur. Os hians dentes ostentat quatuor, latos, continuos, candidos, ac item duos, qui rictum hic atq; hinc claudant, exertos, nec aprunis absimiles. Eburnei quoq; oculorum orbes, ex electro ruffa fenestrantur pupilla, speculi uim tam absolutam reddente illa, ut totam hominis imaginem exprimat atq; repræsentet. Quæ ad superciliorum & nasi cōmissuras subsidet lacuna, ea uero eburneola bulla explerur. Tempora autem ijsdem quibus oculi, electrinis speculis illustrantur, sed teretibus ijs non orbiculatis. Auriculæ pro personæ modo grandiores ex iaspide effulgent. Omnino res uisenda quidem illa, sed structura potius & opum magnitudine q̃ ulla liberalis faciei dignitate. Mihi quidem ut primum eius spectandæ potestas facta est, Furiam uidere sum uisus, aspectu barbaro tetram & horridam, ore bianti, exer-

tis utrinq; dentibus, colore partim cæruleo, partim uiridi, partim rutilo, nec eo tamen usquam satis florido, sed uel austero, uel diluto, uel pingui, uel etiam quod umbrarum concursu euenit, obscuriore et ingrato. Vale. Scripseram iam, ecce tibi rumor, Gallos à Mediolanensibus in urbem receptos esse, nec eo contentos ciueis, Cæsariana quoq; illinc expulsa factione, constituisse cum Gallis omnia circumsessionis incommoda perpeti. Si uerum, ducetur hieme tota bellum, & quàm sperabã diutius istorum insania fruemur. Verum metuo ne repentina illa Mediolanensium beneuolentiæ ostentatio Gallis magno tandem constet. Ex urbe Patauio xij. Cal. Decembr.

Obsignata iam epistola, redditæ mihi sunt tuæ literæ, quibus ad superiores meas binas diligenter & peramanter rescribis, ac simul ut te de mea ualetudine certiorem faciam, petis. Est ergo apud nos, ut te cupere uideo, idq; unæ passæ tuæ acceptum refero. Tu etiam cura ut ualeas, & quam cæteris in rebus prudentiam adhibes, hanc in depellendis istis capitis doloribus adhibe. Excusationem tuam de literarum intermissione accipio; nam altera minime necessaria fuit, nec enim præter aptiorem firmioréq; in ea re capsulam, quicquam desideraui. Vale.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO. S.

Accæpi heri munusculũ tuũ, & cum eo literas, ex quibus te mihi alteras misisse cognoui, quæ quidem ad me nondũ sunt allatæ. Animum tuum circa ualetudinis meæ curam, non ignotum quidem illum mihi, sed tamen dulcem & optatũ; perspexi etiam in eo, quod uuam non modo accurate conditam, sed cuius te nihil admonueram, prius etiam uino diligenter elotam ad me miseris. Res mihi planè grata, ut cuius uim præsenti remedio sim hodie expertus: Neq; enim antea licuit. Quare & illa & consilijs tuis posthac utemur libentius, simul &, ut nos memores gratosq; aliquando intelligas, operam dabimus. Quod autem legatus iste omnia tum in Hispania, tum in Germania commodiora esse affirmat, q̃ ut hic erat nunciatum, est id omnino iucundum nobis, sed memento hominem & Hispanum esse, & à Cæsare istuc missum, ut etiam si mentiatur, ratio officij illi constare sui possit. Nam eorum, quæ ad te nudius tertius de induciarum conditionibus scripsi, luculentos habeo authores. Ex illorum enim, quos Veneti in Gallia missos ad Reges, atq; in Britannia legatos habent, literis conscripsi. De citerioris Galliæ rebus mirum hic silentium, tu si quid habes, facies sciam. Vale. Ex urbe Patauio Id. Nouembr.

CHR. LONG. FR. CHAEREGATO S.

Editæ mihi sunt hodie tuæ literæ, & cum ijs item epistolæ duæ, quarum alteram ad te Erasmus Rhoterodamus, alteram ad Car. Cæsarem Emanuel Rex Lusitanorum dedisset, ex tuis duplicem cæpi uoluptatem, quod & significationem tuæ erga me uoluntatis haberent non obscuram, & id scribendi genus nobis exprimerent, quod haud scio an tui ordinis alius quisquam sit adhuc consecutus, mihi quidem certe ita probatur, ut nullum facile magis. Omnino puræ sunt, faciles, ac summa elegantia præditæ, quam quidem tibi in isto scribendi impetu constare sum admiratus. Sed hoc scilicet naturæ debes tuæ ab omni liberali doctrina instructissimæ, quæ ipsa ut ad dicendum, sic etiam ad cogitationes suas scriptis eleganter commendandas est aptissima. Ex Erasmi epistola cognoui, primum id quod mihi dubium nunquam fuit, esse illum optimo erga Pont. Maximum & amplis. collegium animo. Deinde, quod ab hominis ingenio nō abhorreat, tanti te ab eo fieri, quanti literarum studiosi omnes facere te debeamus. Emanuelis Regis literæ, nihil non planè regium, & Lusitana illa pietate dignum mihi polliceri atq; etiam spirare sunt uisæ. Velim quàm ille grauiter & religiose Carolum nostrum ad cohercendos Mart. Luteri conatus est cohortatus, tam bona & constanti fide in opprimendo religionis hoste Cæsar Pontifici Max. authoritatem ac uires suas præstet. De citerioris Galliæ rebus, noui nihil penè quod ad te pro certo scribam, habeo. Galli se oppido etiam nunc continent. Exercitus Pontificis ad septimum ab urbe lapidem castra posuit. Gallus spem omnem in delectu prouinciali habere dicitur, neq; tamen eiusce rei causam ullam sanè reperio, qui sciam Insubrum & reliquorum sociorum auxilia propter acerbitatem atq; Gallicæ dominationis iniurias non esse aut ita magna, ut eis præsidio esse possint, aut ita firma & fida, ut ijs quicquam temere sit cōmittēdum. Sed hoc ipsi uiderint. Audio duodecim illas, quæ in agro Mātuano consedissent, Heluetiorum cohortes, aliquando tandem ut cū Gallis manus conserere uellent, persuasas, Parmam, aut certe Placentiam uersus iter fecisse, ibiq; illis omnia Aemyliæ Flaminiæq; præsidia præsto affore: Contra non desunt, qui affirment, Heluetios omnes, qui quidem Pontificis copias trans Abduam secuti essent, dilabi, ac sese domum recipere. Tu si quid exploratius uel ex castris, uel ab urbe, uel etiam aliunde habes, fac, amabo te sciam. Vale. Ex urbe Patauio xi. Cal. Decemb.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

St omnino quemadmodum scribis, fugerunt turpiter Galli, e amissis pene impedimētis omnibus, amissis magna ex parte tormentis, sed multo mehercule turpius si aliorum perfidia sunt proditi. Fidem in ijs nullam fuisse, in quibus esse debuit maxima, & quibus Galli confiderent maxime, literæ quoque tuæ declarant. Ita non tam Galli quos tu accusas, quàm fides ipsa & æquitas in fugam actæ sunt. Neq; uero hæc eo dico, quasi Gallos ab omni errore uindicare uelim, quos cum semper flagitiose imparatos hic uidi, tum etiā stulta quadam arrogantia præditos cognoui, quià se unius semiplenæ legionis, & mille equitum præsidio, contra penè totius Italiæ consensum, uniuersæ certe Hispaniæ et Germaniæ conspirationem, prouinciam retineri posse confiderent, sed ne eos sua ignauia Mediolano pulsos esse arbitrere, hæc nunc disputo. A' quibus nec illud omnino commissum esse oportuit, ut alieni potius auxilij spe, q̄ copiarum suarum numero & uirtute niterentur. Nam quod ascribis ob sumptum de Christ. Palauicino, & Feder. Bonromæo supplicium, alienatum à Gallis populum ad hostes defecisse, possit in eo quoq; fortasse Gallorum reprehendi consilium, sed occasio (mihi crede) illa fuit defectionis, non causa. Ex cōposito acta sunt oīa, & repentina illa studij simulatio ad opprimendos improuiso malo Gallos nuper colligebatur. Ac Cæsarianos quidem illorum cædem spectasse puto Pontificem uero eo rem sensim perduci uoluisse, ut consternati fugere potius cogerentur q̄ dimicando aut uincere aut uinci. Ne me hic oblitum putes spectaculi nostri, fruor illo, & si non magna cum uoluptate, fruor tamen etiam cum ij cadunt quibus maxime faueo. Doleo tantum id nobis hac hieme eripi, & trans alpeis totum transferri, sed non transferetur profecto, siquidem uera sunt quæ huc afferuntur. Audio enim Gallū prorsus hominem cecidisse nullum, fuga sibi strenue sanè consuluisse oēs, etiam militem uelocitate equitem æquasse. Lautrecum & fratrem cum equitibus quadringentis & cohortibus octo iam Bergomi esse. Valieriaпum Cremæ cum quatuor equitum turmis. Alios aliò sed in pacatum tamen omnes incolumes sese recepisse. Firmo teneri præsidio Cremonam, firmiore Parmam, Magnam cogi ligurum, magnam Gabiencrum, & Forouibiensium manum, maxima aduentare ex ipsa ulteriore Gallia auxilia. Alphonsum Ferrariensem omni bellico apparatu instructissimum Gallis suppetias ferre, deniq; Venetos ipsos ad eas quas sub signis habent copias duas cōscribere legiões, leuis āt armaturæ equites mille q ex Epiro recens uenerant, Gallis subsidio iam misisse. Ni falsa sunt hæc, & tantum uictis superest uel animi uel cōsilij, ut Agathoclis & Scipionis exemplo aliena, cum sua tueri non possint, audeant inuadere, non modo cū Gallis

In Italia debellatum non est, uerumetiam periculum, ne Tusci & Apuli pro focis & aris propediem pugnare cogantur. Ad superiores meas literas quid rescripturus sis, expecto, sed multo magis de rebus transalpinis aliquid, & quidnam uictores uictosq; consilij in Italia capturos ipse coniicias. Vale. Ex urbe Patauio. xij. Cal. Decembr.

CHRISTOPHORI LONGOLII EPISTOLARVM LIBER TERTIVS.

C. L. IAC. SADOLETO EPISCO. S.

On iccirco breuius q̃ consuetudo mea ferat, tecum nunc ago, quin ualde multa habeam, quæ abs te sciri diligenterq; curari mea plurimum intersit, sed quia eum mihi uideor nactus hominẽ, qui illa ad te multo commodius perlaturus sit, q̃ ipse ullis literis tibi explicare queam. Itaq; cum litterarum mearum ignosces breuitati, præsertim cum tam longo interuallo scribã, tum uero quæ M. Caballus noster ad te mandata mea detulerit, ea sic tibi erunt curæ, ut & summa mea erga te obseruantia, & singularis tua in me beneuolentia hoc tempore postulat. Scis quarum tu me ad rerum laudem semper excitaris, scis quo consilio huc ipse me contulerim, nec de eo, opinor, etiam dubitas, quin dies ac noctes hoc unũ hic adhuc egerim, ut quam tua prædicatione de me concitasti expectationẽ, hanc ego tueri ac sustinere aliquando possem. Atqui nunc periculum est mi Sadolete, ne tantus studiorum ardor in ipso conatu, uel in ipso etiam processu planè extinguatur. Quod ne fiat, & si in alterius potestate id ẽ positum, quia tamen apud illum, penes quem iam sunt omnia, multum authoritas tua ponderis habitura est, da, quæso, operam ut is etiam atq; etiam intelligat, esse præcipuam quodammodo meam istis in angustijs causam, qui nec magnũ quiddã ab eo qui rerũ potiatur, postulem, et is postulẽ qui fidem eius secutus, Italiã patriæ & propinquis & fortunis illis omnibus antepo suerim. Deniq; recentis huius uictoriæ gloria possis animum eius ad pristinæ liberalitatis memoriam reuocare. Nam de sperato studiorum nostrorum fructu, si quam modo ea de re spem habes, aut etiam si nullã magnopere habes, nonnihil subijcere nõ inutile fuerit. Sed pluribus q̃ constitueram, præsertim ad te qui cum hoc artificij genus tenes unus omnium optime, tum etiam postquam me in fidem atq; amicitiã recæpisti tuam, nullum mei non modo tuendi, sed augendi etiam atq;

ornandi locum praetermiseris, quare finem facio, si illud addidero, quod utinam addere nihil esset necesse, non quo nolim tibi omnia debere, cui quidem penè debeo omnia, sed quod graue sit homini pudēti, ab eo, cui, cum de te sit optime meritus, nullam tamen possis gratiam referre, magnum praeterea aliquid petere, sic igitur habeto. Esse te iā unum in Italia in quo mendi ocij nostri spes omnis sit posita, quae ne me spes fallat te etiā atq; etiam rogo. . Vale. Ex urbe Patauio. yij. Cal. Decembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO. S.

q Vi tibi has literas reddiderunt, Galli ij sunt homines, quos tibi ut coràm commendarem, ad te nudius quartus ueni. Alteri eorum Carolo Bracheto ē nomen, Maturino Galliardo alteri. Docui eos quid istic facto esset opus, facturos non dubito. Omni cautionis genere tibi cauebitur, chirographis, iurisiurandi religione, factis ad tabulam nominibus. Tu uero, & si iam rogandus non es, qui uel constantiae tuae causa eos sis complexurus, fac tamen oro, tantum sibi à te commodatū esse intelligant. quantum & ego ex tuis uerbis ipsis sum pollicitus, et tute mihi humanissime liberalissimeq; facturum recaepisti. Hoc si à te impetrabimus, cum mihi, qui quantum eorum causa laborem non ignoras, pergratum feceris, tum etiam tibi homines gratos ac memores in perpetuum deuinxeris. Ludouici Viues somnium, quod cum iam pridem istic reliquissem, nuper apud te adhuc esse sum miratus, alterutri istorum ad me perferendum dabis. Et quoniam somni mentio facta est, scito me ea nocte, cum istinc solui, nihil omnino caepisse somni. Coarctatus uectorum multitudine, & aestuans, neq; sedendi, neq; iacendi, neq; ambulandi, neq; adeo respirandi facultatem liberam habui. Quid quaeris? nec molestius quicquam adhuc sum hoc anno perpessus, nec uero posthac committam, ut quo possim interdiu, eo noctu nauigem. Vale. Ex urbe Patauio. iiij. Non. Decembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

m Iror nihil adhuc abs te, de Decimi Leontis obitu, mihi esse missum, presertim cum iam quartū hic diem constanti rumore fama percrebuerit, oppressum improuiso morbo illum Cal. Decembr. Romae concidisse, &, è uita postridie eius diei excessisse, Grimanum antistitem ad comitia istinc eo iam deuolasse. Equidē statim, accepta à Gallis illis epistola tua, ipse scripsissem, nisi mihi, dum tu aliquid tāta de re scriberes, expectandum duxissem, q (ut scis) tantum me huiusmodi rerum scire puto, quantum ex literis tuis cognitū

habeo. Quantum autem mea intersit, si uerus est is nuncius, ut de rebus meis tecum deliberem, ignorare te non arbitror, quanquam mihi sic non tam consilio q̃ auxilio tuo est opus. Quare per Deum scribe, & si quidẽ ille obijt, cum Petr. Bembo de nobis communica, cauteq; quid is de me futurum speret, exquire. Scriberem ad eum, si aut quid certi haberem, aut ab eo literas meas libenter uel hoc tempore, uel tam infirma ualetudine legi posse existimarem. Car. Braceus, & Mart. Galiardus incredibiles mihi, nec minus tamen tibi apud me gratias egerunt. Nec liberalius se, nec humanius à quoq̃ tractari potuisse affirmant, qua quidem ex re cum ego quoq; maximam capio uoluptatẽ, qui eorum causa uolo, tũ uero etiam ipse tibi, ut debeo, gratias ago maximas, quã mea commendatione adductus, homines tibi planè ignotos, & prorsus alienos, non modo officijs tuis sis complexus, sed hoc difficillimo tempore in tantis angustijs, re etiam familiari tua prolixe iuueris, idq; uulgari tantum adhibita cautione. Hoc sanè neq; horum est temporum, neq; morum, sed propriũ tuum. Expecto abs te aliquot uuæ passæ pondo, eius enim quã mihi superiore mense curasti, iam ne acinus quidem reliquus est. In eo illud quoq; uidebis, paulo firmior capsula ut sit, & uua ipsa aliquanto liberalius condita. Nam ut plenior sit, atq; recentior, à me ne admonendus quidem es, qui abs te ea de re sum admonitus. De diligentia quam in permutanda pecunia nostra adhibuisti, multum te amamus, sed tamen scire uelim, cuinam illam scribendam curaris, ut cum dies uenerit, nisi rescripta tũ sit, à quo argentum petatur, habeamus. Quæ porro sit in rationibus uestris perscriptionis & numerationis differentia, uelim, cum uacabit, ac curatius me doceas, non quo nesciam aliud esse omnino & facilius perscribere pecuniam, aliud & difficilius numerare præsentem, sed in faciẽda uersura quantum collybi & usuræ prætera ratione numeratam sumẽtibus decedat, cognoscere cupio. Ascribes illud item, quot sit unciarum ista uestra Marca. Nam librã esse unciarum duodecim, Vnciã quatuor & uiginti scrupulorum, scrupulum rursus obolorũ duorũ, obolũ deniq; in semiobolos, quos caratos uulgus appellet, diuidi, nemo ignorat. Comum ab Hispanis & Germanis magna ui bis oppugnatum fuisse, sed aliquanto maiore à Gallis defensum, hic quoq; audieramus. Lautrecum in Vincẽtino agro hybernaturum minime putaram. Fœder. Gonzagã Bosulanum Cremonæ præsidio fore non despero. Fulgosios in retinenda Genua perseueraturos uideo, præsertim si quæ de Pont. Maximi obitu nũciantur, uera sint, de quo ut me q̃ primum facias certiorẽ, à te uehemẽter peto. cætera per ocĩũ. De Villanouano nostro, Egnatium appellato, dignus est adolescens, cui etiam tu, non modo ille & ego, plurimum fa-

ueas. Nos, & si in tanta rerum omniũ perturbatione, atrocissimo quoq; hoc nuncio sumus perculsi, tamen in studijs nostris libenter uiuimus, atq; ea ipsa tueri à nobis posse ad annos quinq; non desperamus. Tu modo fac, quemadmodũ cœpisti, ut rationes nostras tibi curæ esse intelligã. Vale. Ex urbe Patauio. vi. Id. Decembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Capio cessationis tuæ causam, sed ita, ne quid eiusmodi qđ mea itersit, ad me scribere posthac uereare, ne si permolestũ quidem id mihi fore uidebitur. Satis erit rem ad me pertinere, ut mihi officium tuum gratum sit, ut etiam iucundũ, tu quidem præstare non potes, neq; uero debes, qui non quod uis ipse, sed qđ res cogat, id meo mandato ad me mittas. Itaq; si nõ quàm cupis iucundos qualescunq; certe potteris mihi afferto nuncios, etiam ut eos non satis exploratos habueris. Nec enim quod ueteris, temere commouebor, presertim si nihil affirmaueris ipse, & in omnem partem rebus meis maturius consuluero, si quid modo tale fuerit, cui consilio prouideri possit. Ex Leonis Pontificis morte magnum accepi dolorem, magnam plagam, qui cum authoritatem promissaq; eius secutus contra meorum omnium uoluntatem in Italiam redierim, nunc me planè destitutum hic uideam, illic etiam ludibrio fore intelligam. Sed his malis aut non succumbemus aut etiam aliqua ratione medebimur. Omnino nihil iamdudum tã præter opinionẽ meam accidit, q̃ ut ille ætate optima, ualetudine firmissima, ratione uictus exquisitissima, sub ipsum brumæ tempus idq; saluberrimũ repentino morbo extingueretur, atq; tum maxime nobis eriperetur, cum ut uiueret ei quoq; maxime expediret, siue remp. compositurus fuit, siue etiam hac recenti sua uictoria fruiturus. Scilicet ad hæc ludibria nascimur ut tum potissimum nulli simus, cũ nos maxime florere arbitramur. Atq; hoc ipsum est, mihi crede, quod me consolatur. Nihil esse in istis, quæ uulgus admiratur, certi. De tua passa ualde te amo, uerumtamen cum capsulam, in quam illa conijceretur, firmiorem uellem, non funiculo multiplici arctius uinctam illam, quod à pueris tuis diligentissime factum simul & risi et mehercule probaui, sed materie solidiorem atq; aptius cõpactam desiderabam. Sed redeo ad remp. Trans alpeis, ut uideo, frigent omnia, tametsi non desint, qui Tornacum arctissime obsideri etiam nunc contendãt, & cohortem Heluetiorum unam à Belgis illic esse concisam. Francorum Regem in hac tanta gerendarum rerum occasione minime cessaturum puto, nisi forte is quoq; transalpino frigore congelauit. Comum à Põtificijs copijs captum esse, hic auditum est, sed uine an

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Congelarunt (opinor) istic quoq; non modo trás alpeis, omnia. Nos tamen hic magna sumus in expectatione, qua de comitijs Pontificijs, qua de Sfortiæ Barriani aduentu, qua de Cremonæ obsidione, quam tamen nullam fore tibi affirmo. Nam Balliones, Robortianos, Aestenses, Bentiuolos etiam conglaciasse uideo. Te uero nescio quo ueterno torpere, qui tam diu taceas, neq; hoc saltem, an tibi Gallorum eodem exemplo sint reddita literæ, significes. Ego enim statim ab accepta una corynthia rescripsi, simul & quemadmodum postularas, illas tibi misi. Si nihil erit quod scribas aliud, de eo certe me uelim certiorē facias, Gallorum literas acceperis nec'ne. Vale. Ex urbe Patauio ix. Cal. Ian.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO. S.

Cœpi binas à te literas, alteras ad xiij. Alteras ad x. Cal. Ianuar. datas. Superioribus statim nō respondi, quod tu uni meæ epistolæ nihil dū rescripsisses. Nūc igitur ad ambas tuas. Tornacum in Cæsaris potestatem uenisse iam sciebamus, sed id mihi tamen ex tuis literis factum est notius, qui etiam quibus illi conditionibus deditionem fecerint, ascripseris. Verum ea res non tam Francorum rebus aduersa est, q̄ Belgis commoda, qui Tornaco & Morino quasi quibusdam cōpedibus uincti tenebantur, q̄q̄ de capta Morinorum Terrauana nihil adhuc scriptum. In eo potius magnam accepisse plagam Franci uidentur, quod in ipso ardore belli medio illic quoq; Heluetiorum perfidia proditi esse dicuntur. Quod ipsum si uerum est, quoiam militum genere sint usuri, planè non uideo, præsertim aduersus Germanum & Hispanum peditem. Nam ut ex suis legiones conscribant, nulla ratione adduci possunt, neq; uero si tutum iam sit, satis in ijs fuerit præsidij, quos neq; militaris disciplina, neq; usus armorum ullus aptos bello reddiderit. O' si fortuna sua Carolus Cæsar uti sciat, sed nesciet profecto, nisi quis fortasse Deus omnia ad ueteris imperij formam reuocare constituit. Verum hoc optare licet, hisce temporibus sperare non licet. Nummariæ permutationis ratio, spissior est & operosior, quàm ut ea per literas aut à te satis expediri, aut etiam à me percipi possit, digitis tantum opus in ea esse putaram, ut iam uideo, non modo oculis, sed acutissima etiam mentis acie præstet is necesse est, qui æstimationes tam subtileis, aliaq; & alia subinde se facie pro temporum conditione ostentantes animo complexurus sit, quare in cōgressum nostrū tota reijciatur. Habes ad priorem

epistolam. Nam ex posteriore falsum id esse cognoui, quod de Iulij Medicis cæde istinc allatum fuerat, falsum id item quod de Bononiensium ad arma itione nunciatum. Continuit eos in officio cum Heluetiorum legio nis unius præsidium, tum uero illius ipsius præfecti authoritas, quem ab eis initio trucidatum audieramus. De Gallorum in hybernis petulátia, doleo equidem tum Cremonensium, tumuero etiam Gallorum ipsorum causa, sed nosti militarem insolentiá, quæ tñ ipsa hoc minus in istis ferenda est, quod durior eorum conditio nunc est. Sed hoc ipsi uiderint. A Roboriano Pisaurum & Vmbriam puncto temporis recuperatam esse miror, idq; eo magis quod Bentiuolis, Æstensibus, Ballionibus ocium adhuc agentibus, ad rem tantam aggressus sit. Quid Veneti in tanta gerendarum rerum occasione quiescant, non sanè perspicio, maxime cum receptam esse à Ballionibus Perusiam, ab Alphonso Aestensi Mutinam et Lepidi regium pro certo hic habeatur. Lautrecum uero cum optima Gallici equitatus parte & euocatorum reliquijs ad Parmam consedisse, nõ tam spe (opinor) illa potiundi oppidi parte, quæ ab Hispano teneatur, q̃ nequid Mediolano suppetiarũ in Aemyliam mittatur. Huc accedit, quod præter Cremonam, & eam Parmæ partem quæ Francorum præsidio firmata sit, in Gallorum fide etiam nunc est. Alexandria, Placentia, Nouaria, Asta, Dertona, Halecum, Pisquitonum, Treciũ, & alia pleraq; transpadanæ Galliæ munitissima oppida. Habeam in animo quicquid mihi esset gemmarum annulorumq; reliquum id omne tibi mittere, ut quod ex eo confecisses, ad ueterem istam summam adijceretur. Sum enim iam auidior ad rem q̃ putes, speroq; ut ad xi. Cal. Februar. duplicí fors nostra accessione cumulata fructuosiore aliqua negociatione per te adaugeatur. Sed prius de te scire uelim, q̃ sint istic preciosæ gemmæ, & num quid ante eum diem confici cogiq; possit. Supersunt mihi etiam nunc sestertij nũmi fere mille, quibus me ad annum tueri posse confido, ita enim rationes nostras constitui, ut ad id tempus nihil neq; uestiarij, neq; librorum neq; adeo alimentorum nomine sumptus nobis faciundum sit. Tu de eo diligenter rescribes, nec illud, nescio cuius, interim uerebere.

Talibus à dominis post cuncta nouissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Eos enim distrahimus ne mendicemus, & ocium nostrum commodius tueamur. Omnino facile patiar ijs me carere, quorum in secundis rebus, possessio nullum afferat fructum, in aduersis, alienatio magno nobis sit adiumento. Expecto tuas ad omnia, etiã ad illud, ecquid Egnatius Villanouani nostri rationibus adhuc prospexerit. Vale.

Ex urbe Patauio viij. Cal. Iannar.

Cum epistolam hanc natalibus scriptam, duos postea dies in manibus habuissem, mira huc quaedam allata sunt de incredibili Gallorum apparatu, atque etiam inopinato tumultuosoque eorum in Italiam aduentu, sed quae tum denique pro compertis habiturus sum, si ea ipse tuis literis confirmaris. Istinc enim missa dicuntur. Verumtamen ne dubites, subieci codicillorum exemplum, quos ea de re Marinus Becichemus ad me hodie dedit.

CHR. LONG. ANT. MARCILIO S.

NE te nostri planè oblitum existimarem, factum est hodie Bapt. Leonis nuncio, qui me tuis uerbis ut salutaret ad me domum officiose uenit. Extremum hoc, sua ne ille sponte, an uero ex tuis literis fecerit, nescio, maluissem tamen, id quod par erat, ipse mihi scripsisses aliquid, aut de iis etiam, quae mihi pollicitus es, aliqua praestitisses. Scilicet tibi uiluimus, quos nec promissis, nec literis tuis iam dignos putas, neque uero huiusce rei causam satis exputare possum, nisi nos forte quasi barbaros & calamitosos homines iā aspernaris. Feremus istud quoque tui stomachi fastidium, ut caeteras tristissimo, hoc nostro tempore fortunae iniurias toleramus, uerum scito tibi rem cum eo esse homine, qui nec amicorum taciturnitate quicquam ducat grauius, & eorum cessationem pertinaci ad extremum silentio ulciscatur. Hoc quanti à te fiat, propediem facile cognoscam. Remoto ioco. Peto à te mi Marcili suauissime, ut quādo coràm non licet, utique per literas me tuorum leporum atque facetiarum participē interdum facias, de Elephanto & istiusmodi hominum genere, siquid noui habes, fac ut sciam. Id si abs te impetraro, erit mihi tam iucundum quam quod iucundissimum. Vale. Ex urbe Patauio, Natalibus.

CHR. LONG. OCTAVIANO CRIMOALDO S.

QVid ego te, quem esse dicam? qui dies ipsos sedecim, crebris à me tum nuncijs tum literis ad scribendum prouocatus etiam nunc taceas? Si nihil est quod mittas, hoc ipsum saltem significa, modo ne totidem uerbis, quam quam nondum contrita sunt ea omnia quae uel bonorū sunt temporum, uel etiam ad me maxime pertinent. An hoc ais? ferri abs te Marcilium Aemulum non posse ad quem nuper literas dederim? Iam istaec tua culpa est, qui quod nobis iucundissimum esse non ignoras, et tibi quidem factu facillimum, id me ab illo quam abs te sperare malueris. Ego uero iam, si tacere perges, uel ad Galceranum & ad Elephantum. Video te commoueri, rescribe igitur, ne tibi posthac uni omnium literae meae conquiescant. De Villanouano nostro instabis apud Egnatium nostrum. Vale. Ex urbe Patauio vi. id. Ianuar.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Deus Hispanos istos male perdat, homines qui cum literarum tuarum iter mihi tam diu intercluserunt, tum uero in diripiendis sociorum rebus tam sunt perfide rapaces atq; importuni. Sed ea(ut spero) aliquando recuperabis quæ amisisti, uel etiam aliunde damnum resarcies, ego quidem de Lugdunensis mercati prolatione, q̃q̃ ea res magnam exigendis nominibus nostris moram afferat, tamen tuli ut debui, hoc est, quemadmodum abs te quoq; rei familiaris iacturas ferri uelim. Mẽsem quidem meo incommodo quasi intercalatum perspicio, sed in eo id mihi uideor percæpisse commodi, quod posthac cautius negociabimur, neq; temere commissuri sumus, ut pro Regis cuiusquam arbitratu uel potius libidine ratiões nostræ conturbẽtur, tametsi in eo tuæ præcipuæ sunt partes. Sed de his coràm. Fr. Roboriani diligentiam & uirtutem satis admirari non queo, Alphonsi uero Aestensis ocium ac formidinem potius hic omnes quidem accusant, ego autem nihil ab eo neq; timide neq; temere fieri puto. Iulium Medicem à Pompeio Columna tam male accæptum esse doleo, neq; id uero ipsum tam Iulij causa, quem quidem suam in eo ordine dignitatem facile obtenturũ spero, q̃ Christianæ reip. gratia, quæ ne turbulenta ista comitiorum ratione labefactetur, ualde timeo. Tornacensem arcem Francorum præsidio etiam nunc teneri nesciebam. Mediolanenses in armis esse, hic iam auditum erat, sed quantũ urbanæ multitudini in acie committendum sit, non ignoras. Quantæ sint Francorum opes, magnus iste, & repentinus, & alienissimo anni tempore instructus, & in Italiam missus eorum exercitus declarat, consilio autem & uirtute ecquid ualeant, gerendi belli ratio propediem docebit, tametsi ne illud quidem mihi iam probatur, quod eius gentis adhuc sequãtur fidem, quam esse perfidissimam omnium, magno suo malo uel nuper didicerunt, sed plane stultus sum, qui Gallos sui dissimiles nunc denique esse cupiam. De Adorniorum conatibus semper abs te aliquid expectaui, nec tu adhuc ea de re uerbum. Villanouani nostri lentum est negociũ, sed quando tu aliquid de eo speras, mihi non desperandum arbitror. A Marcilio nihil adhuc literarum, quod tibi homini qui annulum ferre non possis, iucundissimum esse non dubito, atq; ea re scilicet tibi significo. Cum hæc maxime scriberem nunciatum est Polo nostro Thomam Vulsæum, Eboracensium illum dico Antistitem Britannum, Pontificem Max. esse factum. Id, si ita est, nihil profecto neq; nostra, neq; patrum, neq; adeo auorum nostrorum memoria accidit mirabilius. Habitam esse Romæ in tanta amplissimi collegij frequentia eius hominis rationem, qui non mo

do & nouus, & Britannus, & absens, sed omnino in Italia nunquam uisus esset, nec ulli penè eorum à quibus creatus est, de facie notus. Tulit ille nimirum consiliorum suorum fructum, maximum quidem illum sed planè debitum, utpote cuius ferè unius hoc tempore actiones omnes & cogitationes ad Christianæ reip. ocium atq; pacem pertinuerint. Extremum illud erit, quod fortasse primum omnium esse oportuit. Ego & si mihi de te pollicebar omnia, quæ ab homine amicissimo expectari solent, tamē incredibilem ex illa literarum tuarum particula cœpi uoluptatem, in qua facultates tuas omnes mihi liberalissime detulisti. Itaq; ne te istius erga me uoluntatis unquam pœniteat, dabitur à nobis opera, eaq; mihi crede, optima. Vale. Ex urbe Patauio Prid. Id. Ianuar.

His perscriptis literis redditæ mihi sunt tuæ, ex quibus non Thomam Vulsenum, sed de nostris hominibus Hadrianum florentium Traiectensem Pont. Maximum renunciatum esse cognoui. Ea res quàm mihi iucunda sit, et forte aliquando grata futura, tu satis per te existimare potes. Summum apud nos imperium, summum Pontificatum uideo. Quid iā nobis optandum sit planè non intelligo. Pax inquies, ne huius quidem spem adhuc abieci, eo præsertim Pontifice, qui cum Britanno illi, ocij cupiditate nunquam concessit, tum etiam ingenio atq; natura est multo mitiore, tum uero omnibus pacis artibus longe instructior. Omnino nihil tam neq; præter spem, neq; ex animi mei sententia cecidit, q̄ ut is Pontifex Romanus declararetur, de quo hoc toto comitiorum tempore, nihil mihi in mentem uenerat cogitare, ut qui longe gentium abesset, nec Romæ unquam fuisset. Nam de Thoma, nescio quid obscure initio iactum fuerat. Non hoc sine numine diuum. Reliqua exquires, quæ & quando in Italiam uenturus sit, an uero ad se amplissimum collegium in Hispaniam accersiturus. Quod ipsum ad sedandos ulteriores Hispaniæ motus Cæsari commodissimum esse intelligis. Quod de Francorum rebus te iam desperare significas, ego uero, hoc Pontifice difficiliora illis omnia fore uideo, actum de illis non uideo. Tantis opibus si mediocrem modo prudentiam adiunxerint, pares nobis erunt, præsertim accedentibus eodem Venetis, & Heluetijs, & fortasse Britannis, quos hoc accepto nuncio, nunc denique societatem coituros cum Gallis firmissimam auguror. De Marcilio risi, sed tamen si tibi uidebitur, cubiculare istud negocium me is uerbis ei gratulabere, & ad rerum nostrarum procurationem eum adhortabere. Habes ad omnia.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

THeatrum nostrum, ut ex literis tuis perspicio, non modo clarum adhuc non est, sed nunc primum frequentari atq; celebrari magis incipit, idq; maxime singulari propè uirtute & Cæsariana quadam Franc. Roboriani tum celeritate, tum uigilantia, qui cum nuper exul, egens, abiectus esset, euasit repente maximarum copiarum imperator, tot populorum uictor & princeps, totius Æthruriæ terror et fulmen. Omnino mira sunt quæ de eo narrantur, illud præsertim, ui captã esse Perusiam, tanto militum, tanto equitum præsidio firmatam, tam munitam, tam copiosam. Quosnam uero potissimum exules Senam reducat haud equidem scio, non magis hercle quàm quid in tanta gerendarum rerum occasione Veneti & Aestenses ociosi etiam nunc desideant. Nam de Bergomo hic omnes ualde timent. Vnus est Sallassorum reguli frater, qui quadringentorum Gallorũ equitum præsidium illuc iam uenisse affirmet. Si ita est, res ab Hispano & à Germano tuta est. Sin aliter, uereor ne plagam Veneti accipiant, & se pacẽ præclaras illas inducias iuuare sero cognoscant. De Heluetiorum aduentu rumor hic iã nullus. Nã Gallos copias suas parare, armare, istruere audio, nec quid tamẽ sine Heluetijs aggressuri sint intelligo, nec si ij uenerint, an eis quicquam committendum sit prospicio. De Pompeio Columna & Alex. Cæsarino, quos ab amplissimo collegio ad Hadrianum Pont. Maximum legatos esse missos scribis, gratum mihi fuit cognosse. Homines sunt nobis amici, quiq; tristissimis illis meis temporibus causæ nostræ propugnatores Romæ extiterunt acerrimi. De isto armamentarij incendio, tuli scilicet ut debui, hoc est molestissime, uix enim credas quàm isti ciuitati faueam. Nam præter dãnum quod in præsentia ab ea factum est, portendere etiam aliquid res ipsa grauius uidetur. Deus omen auertat, sed superioris belli mala haud ita dissimilem casum consecuta sunt, nuper uero paucos ante menses q̃ Galli Mediolano pellerentur, arcis turris quædã munitissima de cœlo tacta conflagrauit. Sed redeamus domum, tametsi ne hic quidem est quod magnopere scribam, nisi me opinione mea celerius ad nummos esse peruenturum. Quas enim ego in Cal. Mat. regis edicto collatas arbitrabar solutiones, has tu in Non. Februar. tantum sustentatas esse significas.

De Pont. Maximo bene conijcis. Rationibus nostris accommodatior alius creari potuit nemo. quanquam nec hoc ipsum cuiusmodi futurum sit planè intelligo, sed tamen comitiorum exitus mihi optatius cadere non potuit. Valebit, puto, apud eũ aliquid patris mei memoria, ualebit quod ego ipse cum Philippo Caroli patre uixerim. Deniq; cõis linguæ usus,

patriæ uicinitas, ciuitatum nostrarum communio, studiorum societas spē mihi afferunt non contemnendam. Verum hoc fortuna uiderit. Ego enim eum, in quo nunc sum, tam diu tenebo cursum, quoad me ingenuarum artium cognitione, Romana dignum ciuitate præbuero. Quo utinam semper sint animo & Hadrianus ad tuendam Christianæ religionis pietatem, & Carolus ad conseruandam augendamq; Romani imperij maiestatem. Rides? Atqui scito, neutri de his, deliberatius esse, aut etiam facilius, Romanæ reip. statum constituere q̃ mihi ea, quæ orationis lumine adhuc indigeant, studia Romanis literis illustrare & perpolire. Respondi duabus tuis epistolis. Vale. Ex urbe Patauio xiiij. Cal. Febr.

CHRI. LONG. STEPH. SAVLIO. S.

q Vantum ex tuis literis uoluptatis cæperim, ex eo possis conijcere, quod nullas adhuc neq; diutius auidiusq; expectatas accæperim, neq; amantius elegantiusq; ad me scriptas iam diu legerim. Verum uix tantum earum mihi lectio iucunditatis afferebat, quantum interim pristinæ nostræ consuetudinis refricabat desiderium, prescrtim tot rebus, in dies penè singulos nouis, præter omnium spem atq; sententiam consecutis. Dij immortales, quæ tempora, quos risus, quantam sermonum, coniecturarum, iocorum, amicissimarū atq; suauissimarum inter nos concertationū facultatem amisimus. Quod ipsum hoc molestius tuli, quod nemo ferè hic fuit, qui cum his de rebus familiariter communicarem. Nam Polus noster, est quidem ille ingeniosus et mehercule doctus, et elegantissimi iudicij adolescens, sed qui neq; istiusmodi disputationibus ac nuncijs magnopere capiatur, et mira quadam etiā tum modestia tum taciturnitate sit præditus. Cum Leonico quidē, sum septimo quoq; die his de rebus aliquid commentatus, sed ei magna ex parte gerendus est mos. Nosti autem q̃ plena & familiaris me delectet libertas. Sed hoc mihi ferendum est, qui singulari quodam in hoc sum fato, ut ab ijs semper absim longe gentium, quorū consuetudine delecter uel unice uel plurimum. Ac si nos aliquando tandem reuisurus es, cum absentiam tuam tolerabimus interim fortius, tum præteriti temporis incommoda aduentu tuo facile, uti spero, sarciemus. Quod de tota uitæ atq; studiorum nostrorum ratione certior à me fieri cupis. Ea uero, excæpta collocutionum nostrarum suauitate, eadem ferè etiam nunc est, quæ tecum hic fuit. Ab hora diei quinta ad sextam pila ludimus. Pransi, Flaminio Tomarotio comite urbis partem aliquam obimus. Sub uesperam, domum nos recipimus. Hora noctis altera accumbimus. Cœnati ocium

pictis tabellis aut etiam scrupis ad quintam oblectamus. Noctis reliquũ somno & quieti datur. Mensæ, si hoc etiam forte quæris, tuas ciborum lautitia exæquant, uini gratia & suauitate longe superant, quod quidem uinum uel usq; ab ultima Venetiæ ora magna cura accersitur. In cubiculo tantum laboramus, quod planè æstiuum est, & ijs sanè ad Septentriones luminibus, ut non modo frigora, quibus maiora non meminimus depellere, sed ne uentos quidem ulla ratione excludere possimus. Quod autem unum contra tãtam hiemis asperitatem adhiberi potest remedium, luculento nos camino tuemur, & brumæ incõmoda æstatis spe lenimus. Nihil enim hoc loco æstate tota optari possit neq; alsius neq; amœnius. Imitarere grues, inquies. Licuit hoc hiemis initio. Nam hyberni elegantissimi tum nobis facta est potestas, sed me fefellit cœli huius natura, quam à tam horribili diuturnoq; frigore, et ab aquilonum sæuitia remotissimã putaui. Veruntamen ualetudine multo firmiore q̃ anno superiore sumus usi, & Dei benignitate adhuc utimur; ter quater'ue ad summum aluus nobis suppressa est autumno, & pituita negocium exhibuit, reliquis tẽporibus ne commotiunculam quidem ullam, aut etiam tentationem sensimus. Vulneri, quod ex morte Leonis accæpi nec opinatum & grauissimum, medebitur, uti spero, Hadriani nostri pontificatus. Nostrum enim meo mihi iure appellare uideor eum, quem nobis uel commune municipiorum nostrorum uinculum, uel linguæ usus, uel quædam etiam literarum societas coniungit. Huc accedit necessitudo, quã cum patre meo constitutam ille quondam habuit, & quod ipse quoq; apud Philippũ Caroli parentem aliquando uixerim. Omnino is unus est ex omnibus, quẽ Pontificem rebus meis maxime consentaneum fore arbitrer. Attamen ne me omnem in eo tuendi ocij nostri spem habere existimes, audi quodnam mihi subsidium ad eam rem compararim. Coactis nummulis nostris negociari cœpi, quo authore? Octauiano Grimoaldo, quo institore? eodem quo ille scilicet. Miraris? illud uero magis mirabere. Cæsarianum me iã esse factum. Omnino dilabor in eam causam cum incredibili gentium penè omnium consensione uictus, tum etiam Francorum stultitia de pristinis meis illis sententijs deiectus. Sed tu fortasse de studiorum meorum cursu aliquid audire malles. Eum igitur ijsdem horis, et eodem adhuc in cãpo tenemus, in quo cum tu hic adesses, industria nostra desudabat. Quotidie commentamur aliquid & legimus. Thucydidis historiam ad exitũ ferè perduximus, quod item tu cur non feceris, causa abs te nulla affertur. M.T. Ciceronis Topica, Partitiones, de inuentione rhetorica libros duos confecimus, de oratore item uolumen primum, priusq̃ hæ tibi uenerint, perlectum à nobis fore putamus, idq; nihilominore q̃ epistolas eius cuo li

uimus studio atq; diligentia. Nam cum antelucanis horis uti iam didici, tum uero nulla me fortunæ iniuria ne transuersum quidem unguem ab instituto itinere diuellere potuit. Itaq; tantum & scripsi & legi quantum uix quisquam facile credat, & ipse, tu aliquando senties. Habes ferè ad omnia. Nam quod rogas, quo sim erga te animo, de eo scribendum mihi uix puto, tu quidem certe dubitare non debuisti. Sim enim mei dissimillimus, nisi te tanti faciam, quanti ab homine memore, minimeq; omnium ingrato, is qui bene de eo meritus sit, & fieri debet & solet, addo etiam, quod an tibi probaturus sim, ne scio, sed ita sese res habet. Auctus est absentia tua, meus in te amor, nec quo id sanè modo acciderit, satis exputare possum, nisi forte qui quotidie præsentis tui assiduitate explebatur animus quia te iam caruit diutius, eo nunc te requirat ardentius. Sic enim certe nati sumus, ut quæ in oculis posita sunt bona, eorum uim non admodum animaduertamus, atq; adeo plerunq; sensim obrepente satietate fastidiamus, quæ uero longius absunt ea uehementer & anxie expetamus, quorum mihi certe posterius usu nunc uenisse sentio, atq; eo magis, quod iam ne te mihi in perpetuum carendum sit, timere incipio. Nam neq; tu de aduentu tuo quicq̃ scribis, & ipse Italiam eo uideo ardere bellorum incendio, quod multis annis restinctum iri non puto. Vale.

Ex urbe Patauio xiiij. Cal. Februar.

CHR. LONG. M. ANT. FLAMINIO S.

Vm mihi à Steph. Saulio literæ sine tuis essent redditæ, sanè quã commotus sum, sed tum multo mehercule magis conturbatus, cũ in extremis illis, quæ tibi non scribendi cã fuisset, legissem, effecit tamẽ officiũ tuum, quo te mihi per eius literas excusatum esse uoluisti, ut dolori, quem ex ista tua ualetudine traxeram, nonnihil uoluptatis aspergeretur, presertim cum nec periculum grauius ullum denunciaret, & ipsum anni tempus saluberrimum spem mihi nõ mediocrem ostenderet. Itaq; mihi officium tuum scito fuisse gratissimũ sed ita ut, neq; salute tua quicquam mihi possit esse antiquius, nec modo literas te iam ullas non flagitem, sed ut, de isto tuo potius in bonas artes studio aliquid remittas etiam atq; etiam rogem. Noui naturæ tuæ infirmitatem, noui incredibilem tuam in omni percipienda humanitatis ui assiduitatem. Quare si mihi quicquam credis, homini quem tute scis tibi esse amicissimum, & in alienis quidem dijudicandis causis minime stultum, da aliquid corpori, serui ualetudini satis tibi sit, earum quas quærimus. rerum nosse fontes & capita, rationemq; earum & uias

habeo, Quantum autem mea intersit, si uerus est is nuncius, ut de rebus
meis tecum deliberem, ignorare te non arbitror, quanquam mihi sic non
tam consilio q̃ auxilio tuo est opus. Quare per Deum scribe, & si quidẽ
ille obijt, cum Petr. Bembo de nobis communica, cauteq́; quid is de me
futurum speret, exquire. Scriberem ad eum, si aut quid certi haberem,
aut ab eo literas meas libenter uel hoc tempore, uel tam infirma ualetu-
dine legi posse existimarem. Car. Braceus, & Mart. Galiardus incre-
dibiles mihi, nec minus tamen tibi apud me gratias egerunt. Nec libera-
lius se, nec humanius à quoq̃ tractari potuisse affirmant, qua quidem ex
re cum ego quoq; maximam capio uoluptatẽ, qui eorum causa uolo, tũ
uero etiam ipse tibi, ut debeo, gratias ago maximas, qui mea commenda-
tione adductus, homines tibi planè ignotos, & prorsus alienos, non mo-
do officijs tuis sis complexus, sed hoc difficillimo tempore in tantis angu-
stijs, re etiam familiari tua prolixe iuueris, idq́; uulgari tantum adhibita
cautione. Hoc sanè neq; horum est temporum, neq; morum, sed propriũ
tuum. Expecto abs te aliquot uuæ passæ pondo, eius enim quã mihi supe-
riore mense curasti, iam ne acinus quidem reliquus est. In eo illud quoq;
uidebis, paulo firmior capsula ut sit, & uua ipsa aliquanto liberalius con-
dita. Nam ut plenior sit, atq; recentior, à me ne admonendus quidem es,
qui abs te ea de re sum admonitus. De diligentia quam in permutanda
pecunia nostra adhibuisti, multum te amamus, sed tamen scire uelim,
cuinam illam scribendam curaris, ut cum dies uenerit, nisi rescripta tũ
sit, à quo argentum petatur, habeamus. Quæ porro sit in rationibus ue-
stris perscriptionis & numerationis differentia, uelim, cum uacabit, ac-
curatius me doceas, non quo nesciam aliud esse omnino & facilius per-
scribere pecuniam, aliud & difficilius numerare præsentem, sed in faciẽ-
da uersura quantum collybi & usuræ praeterea ratione numeratam sumẽ-
tibus decedat, cognoscere cupio. Ascribes illud item, quot sit unciarum
ista uestra Marca. Nam librã esse unciarum duodecim, Vnciã quatuor
& uiginti scrupulorum, scrupulum rursus obolorum duorum, obolũ deniq;
in semiobolos, quos caratos uulgus appellet, diuidi, nemo ignorat. Co-
mum ab Hispanis & Germanis magna ui bis oppugnatum fuisse, sed
aliquanto maiore à Gallis defensum, hic quoq; audieramus. Lautrecum
in Vincẽtino agro hybernaturum minime putaram. Fœder. Gonzagã
Bosulanum Cremonæ præsidio fore non despero. Fulgosios in retinenda
Genua perseueraturos uideo, presertim si quæ de Pont. Maximi obitu nũ-
ciantur, uera sunt, de quo ut me q̃ primum facias certiorẽ, à te uehemẽ-
ter peto. cætera per oĩa. De Villanouano nostro, Egnatium appellato,
dignus est adolescens, cui etiam tu, non modo ille & ego, plurimum fae

ueas. Nos, & si in tanta rerum omniū perturbatione, atrocissimo quoq; hoc nuncio sumus perculsi, tamen in studijs nostris libenter uiuimus, atq; ea ipsa tueri à nobis posse ad annos quinq; non desperamus. Tu modo fac, quemadmodū cœpisti, ut rationes nostras tibi curæ esse intelligā. Vale. Ex urbe Patauio. vi. Id. Decembr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Căpio cessationis tuæ causam, sed ita, ne quid eiusmodi qđ mea īterfit, ad me scribere posthac uereare, ne si permolestū quidem id mihi fore uidebitur. Satis erit rem ad me pertinere, ut mihi officium tuum gratum sit, ut etiam iucundū, tu quidem præstare non potes, neq; uero debes, qui non quod uis ipse, sed qđ res cogit, id meo mandato ad me mittas. Itaq; si nō quàm cupis iucundos qualescunq; certe poteris mihi afferto nuncios, etiam ut eos non satis exploratos habueris. Nec enim quod ueteris, temere commouebor, presertim si nihil affirmaueris ipse, & in omnem partem rebus meis maturius consuluero, siquid modo tale fuerit, cui consilio prouideri possit. Ex Leontis Pontificis morte magnum accœpi dolorem, magnam plagam, qui cum authoritatem promissaq; eius secutus contra meorum omnium uoluntatem in Italiam redierim, nunc me planè destitutum hic uideam, illic etiam ludibrio fore intelligam. Sed his malis aut non succumbemus aut etiam aliqua ratione medebimur. Omnino nihil iamdudum tā præter opinionē meam accidit, q̄ ut ille ætate optima, ualetudine firmissima, ratione uictus exquisitissima, sub ipsum brumæ tempus idq; saluberrimū repentino morbo extingueretur, atq; tum maxime nobis eriperetur, cum ut uiueret ei quoq; maxime expediret, siue remp. compositurus fuit, siue etiam hac recenti sua uictoria fruiturus. Scilicet ad hæc ludibria nascimur ut tum potissimum nulli simus, cū nos maxime florere arbitramur. Atq; hoc ipsum est, mihi crede, quod me consolatur. Nihil esse in istis, quæ uulgus admiratur, certi. De uua passa ualde te amo, uerumtamen cum capsulam, in quam illa conijceretur, firmiorem uellem, non funiculo multiplici arctius uinctam illam, quod à pueris tuis diligentissime factum simul & risi et meheracule probaui, sed materie solidiorem atq; aptius cōpactam desiderabam. Sed redeo ad remp. Trans alpeis, ut uideo, frigent omnia, tametsi non desunt, qui Tornacum arctissime obsideri etiam nunc contendāt, & cohortem Heluetiorum unam à Belgis illic esse concisam. Francorum Regem in hac tanta gerendarum rerum occasione minime cessaturum puto, nisi forte is quoq; transalpino frigore congelauit. Comum à Pōtificijs copijs captum esse, hic auditum est, sed uiue an

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Congelarunt (opinor) istic quoq;, non modo trãs alpeis, omnia. Nos tamen hic magna sumus in expectatione, qua de comitijs Pontificijs, qua de Sfortiæ Barriani aduentu, qua de Cremonæ obsidione, quam tamen nullam fore tibi affirmo. Nam Balliones, Roborianos, Aestenses, Bentiuolos etiam conglaciasse uideo. Te uero nescio quo aeterno torpere, qui tam diu taceas, neq; hoc saltem, an tibi Gallorum eodem exemplo sint reddita literæ, significes. Ego enim statim ab accepta tua corynthia rescripsi simul & quemadmodum postularas, illas tibi misi. Si nihil erit quod scribas aliud, de eo certe me uelim certiorẽ facias, Gallorũ literas acceperis nec'ne. Vale. Ex urbe Patauio ix. Cal. Ian.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO. S.

Cœpi binas à te literas, alteras ad xvij. Alteras ad x. Cal. Ianuar. datas. Superioribus statim n õrespondi, quod tu uni meæ epistolæ nihil dũ rescripsisses. Nũc igitur ad ambas tuas. Tornacum in Cæsaris potestatem uenisse iam sciebamus, sed id mihi tamen ex tuis literis factum est notius, qui etiam quibus illi conditionibus deditionem fecerint, ascripseris. Verum ea res non tam Francorum rebus aduersa est, q̃ Belgis commoda, qui Tornaco & Morino quasi quibusdam cõpedibus uincti tenebamur, q̃q; de capta Morinorum Terrauana nihil adhuc scriptum. In eo potius magnam accepisse plagam Franci uidentur, quod in ipso ardore belli medio illic quoq; Heluetiorum perfidia proditi esse dicuntur. Quod ipsum si uerum est, quo iam militum genere sint usuri, plane non uideo, presertim aduersus Germanum & Hispanum peditem. Nam ut ex suis legiones conscribant, nulla ratione adduci possint, neq; uero si tutum iam sit, satis in ijs fuerit præsidij, quos neq; militaris disciplina, neq; usus armorum ullus aptos belloreddiderit. O' si fortuna sua Carolus Cæsar uti sciat, sed nesciet profecto, nisi quis fortasse Deus omnia ad ueteris imperij formam reuocare constituit. Verum hoc optare licet, hisce temporibus sperare non licet. Nummariæ permutationis ratio, spissior est & operosior, quàm ut ea per literas aut à te satis expediri, aut etiam à me percipi possit, digitis tantum opus in ea esse putatam, ut iam uideo, non modo oculis, sed acutissima etiam mentis acie præstet is necesse est, qui æstimationes tam subtileis, aliaq; & alia subinde se facie pro temporum conditione ostentantes animo complexurus sit, quare in cõgressum nostrũ tota reijciatur. Habes ad priorem

Cum epistolam hăc natalibus scriptam, duos postea dies in manibus habuissem, mira huc quædam allata sunt de incredibili Gallorum apparatu, atq; etiam inopinato tumultuosoq; eorum in Italiam aduĕtu, sed quæ tum deniq; pro compertis habiturus sum, si ea, ipse tuis literis confirmaris. Istinc enim missa dicuntur. Veruntamen ne dubites, subieci codicillorum exemplum, quos ea de re Marinus Becichemus ad me hodie dedit.

CHR. LONG. ANT. MARCILIO S.

n

E te nostri planè oblitum existimarem, factum est hodie Bapt. Leonis nuncio, qui me tuis uerbis ut salutaret ad me domum officiose uenit. Extremum hoc, sua ne ille sponte, an uero ex tuis literis fecerit, nescio, maluissem tamen, id quod par erat, ipse mihi scripsisses aliquid, aut de ijs etiam, quæ mihi pollicitus es, aliqua præstitisses. Scilicet tibi uiluimus, quos nec promissis, nec literis tuis iam dignos putas, neq; uero huiusce rei causam satis exputare possum, nisi nos forte quasi barbaros & calamitosos homines iă aspernaris. Feremus istud quoq; tui stomachi fastidium, ut cæteras tristissimo, hoc nostro tempore fortunæ iniurias toleramus, uerum scito tibi rem cum eo esse homine, qui nec amicorum taciturnitate quicquam ducat grauius, & eorum cessationem pertinaci ad extremum silentio ulciscatur. Hoc quanti à te fiat, propediem facile cognoscam. Remoto ioco. Peto à te mi Marcili suauissime, ut quădo coràm non licet, uti q; per literas me tuorum leporum atq; facetiarum participĕ interdum facias, de Elephanto & istiusmodi hominum genere, siquid noui habes, fac ut sciam. Id si abs te impetraro, erit mihi tam iucundum q̄ quod iucundissimum. Vale. Ex urbe Patauio, Natalibus.

CHR. LONG. OCTAVIANO CRIMOALDO S.

q

Vid ego te, quem esse dicam? qui dies ipsos sedecim, crebris à me tum nuncijs tum literis ad scribendum prouocatus etiam nunc taceas? Si nihil est quod mittas, hoc ipsum saltem significa, modo ne totidem uerbis, q̄q̄ nondum contrita sunt ea omnia quæ uel horŭ sunt temporum, uel etiam ad me maxime pertinent. An hoc ais? ferri abs te Marcilium Aenulum non posse ad quem nuper literas dederim? Iam istæc tua culpa est, qui quod nobis iucundissimum esse non ignoras, et tibi quidem factu facillimum, id me ab illo q̄ abs te sperare malueris. Ego uero iam, si tacere perges, uel ad Galceranum & ad Elephantum. Video te commoueri, rescribe igitur, ne tibi posthac uni omnium, literæ meæ conquiescant. De Villanouano nostro instabis apud Egnatium nostrum. Vale. Ex urbe Patauio vi. id. Ianuar.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Deus Hispanos istos male perdat, homines qui cum literarum tuarum iter mihi tam diu intercluserunt, tum uero in diripiendis sociorum rebus tam sunt perfide rapaces atq; importuni. Sed ea (ut spero) aliquando recuperabis quae amisisti, uel etiam aliunde damnum resarcies, ego quidem de Lugdunensis mercati prolatione, q̃q̃ ea res magnam exigendis nominibus nostris moram afferat, tamen tuli ut debui, hoc est, quemadmodum abs te quoq; rei familiaris iacturas ferri uelim. Mensem quidem meo incommodo quasi intercalatum perspicio, sed in eo id mihi uideor percepisse commodi, quod posthac cautius negociabimur, neq; temere commissuri sumus, ut pro Regis cuiusquam arbitratu uel potius libidine ratiões nostrae conturbẽtur, tametsi in eo tuae praecipuae sunt partes. Sed de his coràm. Fr. Roboriani diligentiam & uirtutem satis admirari non queo, Alphonsi uero Aestensis ocium ac formidinem potius hic omnes quidem accusant, ego autem nihil ab eo neq; timide neq; temere fieri puto. Iulium Medicem à Pompeio Columna tam male acceptum esse doleo, neq; id uero ipsum tam Iulij causa, quem quidem suam in eo ordine dignitatem facile obtenturũ spero, q̃ Christianae reip. gratia, quae ne turbulenta ista comitiorum ratione labefactetur, ualde timeo. Tornacensem arcem Francorum praesidio etiam nunc teneri nesciebam. Mediolanenses in armis esse, hic iam auditum erat, sed quantũ urbanae multitudini in acie committendum sit, non ignoras. Quantae sint Francorum opes, magnus iste, & repentinus, & alienissimo anni tempore instructus, & in Italiam missus eorum exercitus declarat, consilio autem & uirtute ecquid ualeant, gerendi belli ratio propediem docebit, tametsi ne illud quidem mihi iam probatur, quod eius gentis adhuc sequãtur fidem, quam esse perfidissimam omnium, magno suo malo uel nuper didicerunt, sed plane stultus sim, qui Gallos sui dissimiles nunc denique esse cupiam. De Adorniorum conatibus semper abs te aliquid expectaui, nec tu adhuc ea de re uerbum. Villanouani nostri lentum est negociũ, sed quando tu aliquid de eo speras, mihi non desperandum arbitror. A Marcilio nihil adhuc literarum, quod tibi homini qui aemulum ferre non possis, iucundissimum esse non dubito, atq; ea re scilicet tibi significo. Cum haec maxime scriberem nunciatum est Polo nostro Thomam Vulsenum, Eboracensium illum dico Antistitem Britannum, Pontificem Max. esse factum. Id, si ita est, nihil profecto neq; nostra, neq; patrum, neq; adeo auorum nostrorum memoria accidit mirabilius. Habitam esse Romae in tanta amplissimi collegij frequentia eius hominis rationem, qui non mo

do & nouus, & Britãnus, & absens, sed omnino in Italia nunquam uisus esset, nec ulli penè eorum à quibus creatus est, de facie notus. Tulit ille nimirum consiliorum suorum fructum, maximum quidem illum sed planè debitum, utpote cuius ferè unius hoc tempore actiones omnes & cogitationes ad Christianæ reip. ocium atq; pacem pertinuerint. Extremum illud erit, quod fortasse primum omnium esse oportuit. Ego & si mihi de te pollicebar omnia, quæ ab homine amicissimo expectari solent, tamẽ incredibilem ex illa literarum tuarum particula cæpi uoluptatem, in qua facultates tuas omnes mihi liberalissime detulisti. Itaq; ne te istius erga me uoluntatis unquam pœniteat, dabitur à nobis opera, eaq; mihi crede, optima. Vale. Ex urbe Patauio Prid. Id. Ianuar.
His perscriptis literis redditæ mihi sunt tuæ, ex quibus non Thomam Vulsenum, sed de nostris hominibus Hadrianum florentium Traiectensem Pont. Maximum renunciatum esse cognoui. Ea res quàm mihi iucunda sit, et forte aliquando grata futura, tu satis per te existimare potes. Summum apud nos imperium, summum Pontificatum uideo. Quid iã nobis optandum sit planè non intelligo. Pax inquies, ne huius quidem spem adhuc abieci, eo presertim Pontifice, qui cum Britanno illi, ocij cupiditate nunquam concessit, tum etiam ingenio atq; natura est multo mitiore, tum uero omnibus pacis artibus longe instructior. Omnino nihil tam neq; prater spem, neq; ex animi mei sententia cecidit, q̃ ut is Pontifex Romanus declararetur, de quo hoc toto comitiorum tempore, nihil mihi in mentem uenerat cogitare, ut qui longe gentium abesset, nec Romæ unquam fuisset. Nam de Thoma, nescio quid obscure initio iactum fuerat. Non hoc sine numine diuum. Reliqua exquires, qua & quando in Italiam uenturus sit, an uero ad se amplissimum collegium in Hispaniam accersiturus. Quod ipsum ad sedandos ulteriores Hispaniæ motus Cæsari commodissimum esse intelligis. Quod de Francorum rebus te iam desperare significas, ego uero, hoc Pontifice difficiliora illis omnia fore uideo, actum de illis non uideo. Tantis opibus si mediocrem modo prudentiam adiunxerint, pares nobis erunt, presertim accedentibus eodem Venetis, & Heluetijs, & fortasse Britannis, quos hoc accepto nuncio, nunc denique societatem coituros cum Gallis firmissimam auguror.
De Marcilio risi, sed tamen si tibi uidebitur, cubiculare istud negocium me is uerbis ei gratulabere, & ad rerum nostrarum procurationem eum adhortabere. Habes ad omnia.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

t Heatrum nostrum, ut ex literis tuis perspicio, non modo clausum adhuc non est, sed nunc primum frequentari atq; celebrari magis incipit, idq; maxime singulari propè uirtute & Caesariana quadam Franc. Roboriani tum celeritate, tum uigilantia, qui cum nuper exul, egens, abiectus esset, euasit repente maximarum copiarum imperator, tot populorum uictor & princeps, totius Aethruriae terror et fulmen. Omnino mira sunt quae de eo narrantur, illud praesertim, ui captã esse Perusiam, tanto militum, tanto equitum praesidio firmatam, tam munitam, tam copiosam. Quosnam uero potissimum exules Senam reducat haud equidem scio, non magis hercle quàm quid in tanta gerendarum rerum occasione Veneti & Aestenses ociosi etiam nunc desideant. Nam de Bergomo hic omnes ualde timent. Vnus est Sallassorum reguli frater, qui quadringentorum Gallorũ equitum praesidium illuc iam uenisse affirmet. Si ita est, res ab Hispano & à Germano tuta est. Sin aliter, uereor ne plagam Veneti accipiant, & se pa praeclaras illas inducias iuuare sero cognoscant. De Heluetiorum aduentu rumor hic iã nullus. Nã Gallos copias suas parare, armare, istruere audio, nec quid tamẽ sine Heluetijs aggressuri sint intelligo, nec si ij uenerint, an eis quicquam committendum sit prospicio. De Pompeio Columna & Alex. Caesarino, quos ab amplissimo collegio ad Hadrianum Pont. Maximum legatos esse missos scribis, gratum mihi fuit cognosse. Homines sunt nobis amici, quiq; tristissimis illis meis temporibus causae nostrae propugnatores Romae extiterunt acerrimi. De isto armamentarij incendio, tuli scilicet ut debui, hoc est molestissime, uix enim credas quàm isti ciuitati faueam. Nam praeter dãnum quod in praesentia ab ea factum est, portendere etiam aliquid res ipsa grauius uidetur. Deus omen auertat, sed superioris belli mala haud ita dissimilem casum consecuta sunt, nuper uero paucos ante menses q̃ Galli Mediolano pellerentur, arcis turris quadã munitissima de caelo tacta conflagrauit. Sed redeamus domum, tametsi ne hic quidem est quod magnopere scribam, nisi me opinione mea celerius ad nummos esse peruenturum. Quas enim ego in Cal. Mar. regis edicto collatas arbitrabar solutiones, has tu in Non. Februar. tantum sustentatas esse significas.

De Pont. Maximo bene conijcis. Rationibus nostris accommodatior alius creari potuit nemo. quanquam nec hoc ipsum cuiusmodi futurum sit planè intelligo, sed tamen comitiorum exitus mihi optatius cadere non potuit. Valebit, puto, apud eũ aliquid patris mei memoria, ualebit quod ego ipse cum Philippo Caroli patre uixerim. Deniq; cõis linguae usus,

patriæ uicinitas, ciuitatum nostrarum communio, studiorum societas spẽ mihi afferunt non contemnendam. Verum hoc fortuna uiderit. Ego enim eum, in quo nunc sum, tam diu tenebo cursum, quoad me ingenuarum artium cognitione, Romana dignum ciuitate præbuero. Quo utinam semper fuit animo & Hadrianus ad tuendam Christianæ religionis pietatem, & Carolus ad conseruandam augendamq; Romani imperij maiestatem. Rides? Atqui scito, neutri de his, deliberatius esse, aut etiam facilius, Romanæ reip. statum constituere q̃ mihi ea, quæ orationis lumine ad huc indigeant, studia Romanis literis illustrare & perpolire. Respondi duabus tuis epistolis. Vale. Ex urbe Patauio xiiij. Cal. Febr.

CHRI. LONG. STEPH. SAVLIO. S.

QVantum ex tuis literis uoluptatis caperim, ex eo possis conijcere, quod nullas adhuc neq; diutius auidiusq; expectatas acceperim, neq; amantius elegantiusq; ad me scriptas iam diu legerim. Verum uix tantum earum mihi lectio iucunditatis afferebat, quantum interim pristinæ nostræ consuetudinis refricabat desiderium, presertim tot rebus, in dies penè singulos nouis, præter omnium spem atq; sententiam confectis. Dij immortales, quæ tempora, quos risus, quantam sermonum, coniecturarum, iocorum, amicissimarũ atq; suauissimarum inter nos concertationũ facultatem amisimus. Quod ipsum hoc molestius tuli, quod nemo ferè hic fuit, qui cum his de rebus familiariter communicarem. Nam Polus noster, est quidem ille ingeniosus et mehercule doctus, et elegantissimi iudicij adolescens, sed qui neq; istiusmodi disputationibus ac nuncijs magnopere capiatur, et mira quadam etiã tum modestia tum taciturnitate sit præditus. Cum Leonico quidẽ, sum septimo quoq; die his de rebus aliquid commentatus, sed ei magna ex parte gerendus est mos. Nosti autem q̃ plena & familiaris tue delectet libertas. Sed hoc mihi ferendum est, qui singulari quodam in hoc sum fato, ut ab ijs semper absim longe gentium, quorũ consuetudine delecter uel unice uel plurimum. Ac si nos aliquando tandem reuisurus es, cum absentiam tuam tolerabimus interim fortius, tum præteriti temporis incommoda aduentu tuo facile, uti spero, sarciemus. Quod de tota uitæ atq; studiorum nostrorum ratione certior à me fieri cupis. Ea uero, excepta collocutionum nostrarum suauitate, eadem ferè etiam nunc est, quæ tecum hic fuit. Ab hora diei quinta ad sextam pila ludimus. Pransi, Flaminio Tomarotio comite urbis partem aliquam obimus. Sub uesperam, domum nos recipimus. Hora noctis altera accumbimus. Cœnati ocium

pictis tabellis aut etiam scrupis ad quintam oblectamus. Noctis reliquũ somno & quieti datur. Mensæ, si hoc etiam forte quæris, tuas ciborum lauticia exæquant, uini gratia & suauitate longe superant, quod quidem uinum uel usq; ab ultima Venetiæ ora magna cura accersitur. In cubiculo tantum laboramus, quod planè æstiuum est, & ijs sanè ad Septentriones luminibus, ut non modo frigora, quibus maiora non meminimus depellere, sed ne uentos quidem ulla ratione excludere possimus. Quod autem unum contra tãtam hiemis asperitatem adhiberi potest remedium, luculento nos camino tuemur, & brumæ incõmoda æstatis spe lenimus. Nihil enim hoc loco æstate tota optari possit neq; alsius neq; amœnius. Imitarere grues, inquies. Licuit hoc hiemis initio. Nam hyberni elegantissimi tum nobis facta est potestas, sed me fefellit cœli huius natura, quam à tam horribili diuturnoq; frigore, et ab aquilonum sæuitia remotissimã putaui. Veruntamen ualetudine multo firmiore q̃ anno superiore sumus usi, & Dei benignitate adhuc utimur; ter quater'ue ad summum aluus nobis suppressa est autumno, & pituita negocium exhibuit, reliquis tẽporibus ne commotiunculam quidem ullam, aut etiam tentationem sensimus. Vulneri, quod ex morte Leonis accæpi nec opinatum & grauissimum, medebitur, uti spero, Hadriani nostri pontificatus. Nostrum enim meo mihi iure appellare uideor eum, quem nobis uel commune municipiorum nostrorum uinculum, uel linguæ usus, uel quædam etiam literarum societas coniungit. Huc accedit necessitudo, quã cum patre meo constitutam ille quondam habuit, & quod ipse quoq; apud Philippũ Caroli parentem aliquando uixerim. Omnino is unus est ex omnibus, quẽ Pontificem rebus meis maxime consentaneum fore arbitrer. Attamen ne me omnem in eo tuendi ocij nostri spem habere existimes, audi quodnam mihi subsidium ad eam rem compararim. Coactis nummulis nostris negociari cœpi, quo authore? Octauiano Grimoaldo, quo institore? eodem quo ille scilicet. Miraris? illud uero magis mirabere. Cæsarianum me iã esse factum. Omnino dilabor in eam causam cum incredibili gentium penè omnium consensione uictus, tum etiam Francorum stultitia de pristinis meis illis sententijs deiectus. Sed tu fortasse de studiorum meorum cursu aliquid audire malles. Eum igitur ijsdem horis, et eodem adhuc in cãpo tenemus, in quo cum tu hic adesses, industria nostra desudabat. Quotidie commentamur aliquid & legimus. Thucydidis historiam ad exitũ ferè perduximus, quod item tu cur non feceris, causa abs te nulla affertur. M.T. Ciceronis Topica, Partitiones, de inuentione rhetorica libros duos confecimus, de oratore item uolumen primum, priusq̃ hæ tibi uenerint, perlectum à nobis fore putamus, idq; nihilominore q̃ epistolas eius cuo li

uimus studio atq; diligentia. Nam cum antelucanis horis uti iam didici, tum uero nulla me fortunæ iniuria ne transuersum quidem unguem ab instituto itinere diuellere potuit. Itaq; tantum & scripsi & legi quantum uix quisquam facile credat, & ipse, tu aliquando senties. Habes ferè ad omnia. Nam quod rogas, quo sim erga te animo, de eo scribendum mihi uix puto, tu quidem certe dubitare non debuisti. Sim enim mei dissimillimus, nisi te tanti faciam, quanti ab homine memore, minimeq; omnium ingrato, is qui bene de eo meritus sit, & fieri debet & solet, addo etiam, quod an tibi probaturus sim, nescio, sed ita sese res habet. Auctus est absentia tua, meus in te amor, nec quo id sanè modo acciderit, satis exputare possum, nisi forte qui quotidie præsentis tui assiduitate explebatur animus quia te iam caruit diutius, eo nunc te requirat ardentius. Sic enim certe natisumus, ut quæ in oculis posita sunt bona, eorum uim non admodum animaduertamus, atq; adeo plerunq; sensim obrepente satietate fastidiamus, quæ uero longius absunt ea uehementer & anxie expetamus, quorum mihi certe posterius usu nunc uenisse sentio, atq; eo magis, quod iam ne te mihi in perpetuum carendum sit, timere incipio. Nam neq; tu de aduentu tuo quicq̃ scribis, & ipse Italiam eo uideo ardere bellorum incendio, quod multis annis restinctum iri non puto. Vale.

Ex urbe Patauio xiiij. Cal. Februar.

CHR. LONG. M. ANT. FLAMINIO S.

Cum mihi à Steph. Saulio literæ sine tuis essent redditæ, sanè quã commotus sum, sed tum multo mehercule magis conturbatus, cũ in extremis illis, quæ tibi non scribendi cã fuisset, legissem, effecit tamẽ officiũ tuum, quo te mihi per eius literas excusatum esse uoluisti, ut dolori, quem ex ista tua ualetudine traxeram, nonnihil uoluptatis aspergeretur, presertim cum nec periculum grauius ullum denunciaret, & ipsum anni tempus saluberrimum spem mihi nõ mediocrem ostenderet. Itaq; mihi officium tuum scito fuisse gratissimũ sed ita ut, neq; salute tua quicquam mihi possit esse antiquius, nec modo literas te iam ullas non flagitem, sed ut, de isto tuo potius in bonas artes studio aliquid remittas etiam atq; etiam rogem. Noui naturæ tuæ infirmitatem, noui incredibilem tuam in omni percipienda humanitatis ui assiduitatem. Quare si mihi quicquam credis, homini quem tute scis tibi esse amicissimum, & in alienis quidem dijudicandis causis minime stultum, da aliquid corpori, serui ualetudini satis tibi sit, earum quas quærimus . rerum nosse fontes & capita, rationem earum & uias

ingenio tuo authore & cogitatione haud ita multa, modico certe studio consequere, presertim qui puer in leuioribus illis artium studijs operam optime posueris, & nunc in grauioribus extrema ista tua adolescentia iam tantum profeceris. Infinitam istam diligentiam, & immensam lectionem nobis relinque, qui quo minus natura atq; ingenio ualemus, & in rectam disciplinæ uiam tardius ingressi sumus, eo cum nos appropetare opus est magis, tum uero euigilare in studio diligentius, & labores omnes sufferre possumus facilius. Volo enim mi Flamini charissime, ut cum homines ingenium, industriam, doctrinam tuam admirabuntur, laudent etiam prudentiam, qua te bene usum esse omnes indicabunt, si ocio pariter & ualetudini tuæ consulueris. Non temere hoc scribo, et ad quem scribam, uideo. Cura igitur primum, ut ualeas, hoc enim nihil mihi facere potes gratius, deinde ut de tuo ad nos reditu aliquando cogites, & Saulium nostrum eodem uoces, postremo ut Do. Saulius, siquando te uiset, & Hector noster, quem tibi semper assidere non dubito, plurimã hic sibi à me salutem ascriptam esse intelligant. Sed tibi plus omnino oneris impono, quàm per ualetudinem tuam mihi liceat. Itaq; reliqua abijce, unius tuæ salutis rationem habe. De rerum nostrarum statu, siquid scire uoles, Saulium nostrum percunctator, ad quem uberes de eo literas misi. etiam atq; etiam mi Flamini Vale. Ex urbe Patauio xiiij. Cal. Feb.

C. LONG. BAPT. EGNATIO. S.

S Imonem Villanouanum quanti faciam, quantumq; eius causa laborem, te iam tum, cum eum tibi præsens commendarem, perspexisse arbitror, quid autem tu de eo mihi humanissime receperis, meminisse te non dubito, id quod etiam ex Grimoaldi nostri literis cognoui, qui de ea re tibi curæ esse mihi sæpe significauit. Tamen quia lentius adhuc negocium processit q̃ initio sperauerāmus, quodq; ea est Villanouani ipsius fortuna, ut nisi abs te rationibus eius maturæ consulatur, sit ei in Galliam remigrandum, & hac uestra omnium bonarum artium altrice atq; parente Italia carendum, peto abs te. Hic uero mihi uerba desunt, quibus eum tibi commendem, quicquid enim uel à me dici potest, id tum dixi, cum hac de re tecum coràm agerem, uel adhuc fieri abs te & tentari potuit, id etiam factum esse certo scio, sed gerendus est adolescenti mos, qui renouatam meam per litteras commendationem plurimum apud te ponderis habituram esse sibi persuasit. A te igitur peto, ut pro singulari tua erga studiosos omneis beneuolentia & liberalitate, hominem summo ingenio, incredibili studio, iudicio elegantissimo

elegantissimo, doctrina uero tanta, quantam pene extremi adolescentiae anni capiant, ornatum, in Italia per te retentum uelis. Scio quàm tu unus omnium ad eam rem cōficiendam sis aptus, quantum gratia & authoritate istic ualeas uideo, neq; uero quantum mea causa uelis Villanouanus ipse dubitat, ut si iam expectatione sua frustretur, non te mihi, sed me sibi defuisse iudicaturus sit. Quare uelim mi Egnati, rē agi arbitrere meā, & quicquid in eū studij, officij opę, diligentiae cōtuleris, in me collatum esse putes. Magno tibi aliquando erit ornamento summae spei adolescentē ope tua ad summam laudem peruenisse. Magnae in praesentia uoluptati eius uel eximia probitas uel suauissima cōsuetudo. Mihi quidem certe ipsi cui plurimum cupis, gratissimum feceris. Illud uero haud scio an addendum sit, adiciam tamen, Non minus tibi ab eo debitum iri gratiae, apud quencunq; Villanouanum collocaris q̄ ipse tibi Villanouanus est habiturus, qui cum caeteris animi uirtutibus sit in primis ornatus, tum uero minime oīū est immemor atq; ingratus. Vale. Ex urbe Patauio x. Cal. Febr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

ETsi quod tibi mitterem non habebam, scis enim me ex tuis ferè literis scribendi argumenta solitum esse ducere, nec te posteriori meae epistolae adhuc respondisse, tamen cum Villanouani nostri rogatu, ad Bapt. Egnatium scripsissem, non potui nihil ad te dare literarum, quibus cum tuas elicerem, tum uero mihi gratissimum fore intelligeres, si cum ipse tu Egnatio suas reddidisses, commendationem meā oratione tua subsequerere, hoc est, si communem amicum ad id quod iā pridem, etiam te authore suscepit, conficiendum negocium excitasses. Non dici potest q̄ de Villanouano laborem, nec eo tam amicitia nostra, quae quidem summa est, adductus moueor, q̄ humanitate & natura mea, qui tam praeclarum ingenij lumen tam misere extingui doleam. Ocium illi ad aliquot annos est opus, non quo uel cum Budaeis uel cum Erasmis nostris, quos iam elegantia dicendi & subtilitate uicit, sed cum ueteribus illis aliquando contendat. Ocij porrò in Italia hoc tempore spes ei nusq̄ nisi istic ostenditur, nec istic omnino ulla, sine Egnatij nostri opera atq; diligentia. Sic igitur facies, literas meas Egnatio cum dederis, hominem ad id quod uolumus diligenter cohortabere, & ad nos aliquid etiā ipse scribes, siue quid noui habes de Regum nostrorum insania, siue quemadmodum te ad haec munieris frigora, quibus sanè maiora non meminimus neq; nimium diuturnitate & frequentia, neque uentorum assiduitate & saeuitia. Vale.

Egnatius cũ de Villanouano cum ipse agerẽ, uolebat adoleſcentẽ apud ſe eſſe, dum quid offerretur in quo ſpes eſſet. Liberalitate eius tum non ſumus uſi, quod nihil neceſſe eſſet. Nunc conditionem libenter complectemur. Res enim urget. Quare quid in eo etiam nunc habeat animi Egnatius uidebis, & me q̃ primum certiorem facies, etenim celeritate opus ẽ. Ex urbe Patauio. x. Cal. Februar.

CHR. LONG. OCT. GRIMOALDO S.

q Væ mihi ad te ſcribendi cauſa nuper fuit, eadem certe nunc ẽ. Cupio tuas elicere, ſed multo mehercule magis ut de Villanouano cum Egnatio abs te conficiatur. Plus oneris ſuſtineo q̃ tu te putes. Viuit is enim ſumptu meo, & q̃ paratus ipſe ſim à pecunia, uides. Veruntamen à nobis aleiur quoad uel poterimus, uel à uobis ei conſultum fuerit. Quare in eam curam incumbe, & rem tuam agi putato, ne mihi quoq; cum ipſo Villanouano ad te propediem confugiendum ſit. Iocari me putas? Peream, ſi quicquam unquam moleſtius tuli, neq; uero id ipſum tam mea q̃ omnium ſtudioſorũ cauſa. Tantam talis adoleſcentis idolẽ nõ modo nullis ornari aut certe inuitari premijs, ſed ipſo ẽt quotidiano uictu carere? Si minus familiaris mihi fuiſſet & notus, leuius forte caſum eius ferrem. Nunc quo me tandem animo eſſe cenſes, qui cũ illius ingenij uim atq; ornamenta planè cognita habeã, ei tamen opitulari diutius non queam, & qua tandẽ in re? Num ut honores aliquos adipiſcatur? Nũ ut ſericatus ſpectetur? Nũ ut lautus & beatus obãbulet? de bentur hæc quidẽ tantæ uirtuti, modeſtiæ, ingenio, iudicio, ſtudio, Sed hoc non agitur. Illud, me miſerũ, ne nobis inſpectantibus turpiter mendicet, agitur. Eſſet in his locis Steph. Saulius, non laboraremus. Sed indignatiõe debilitor et dolore. Proinde quo loco res eius ſit, tu fac ſtatim ſcribas. Vale. Ex urbe Patauio. ẏij. Cal. Februar.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO. S.

n Arro tibi, ceſſationem tuam amplius ferre non poſſum, neque uero cauſam eius ullam reperire, niſi hoc ipſum fortaſſe ais, reſcriptum eſſe mihi à te. Si ita eſt, uide quibus tuas literas dederis. Ego enim iam dies ferè quindecim ne ſchedulam quidem abs te. Sin eo taces, quod de Villanouano ex animi noſtri ſententia conficere nõ queas, at hoc ipſum ſcribito. Inibitur forte noua à nobis tuendi iuuenis ratio. Sed tamen ſiquid adhuc ſperas, urge quæſo Egnatium, de quo nihildum ſpem abieci. Noui hominis humanitatem & in ſtudioſos omneis libera-

litatem. Omnino tanta sum hac de re in sollicitudine, ut quiduis potius ꝙ literarum tuarum silentiũ uidear perlaturus. De rep. Audio nescio qd de Mantua à Gallis proditione tentata, quod ipsum nihil esse reor, item de Alexandria ab Hispano capta, quod non difficulter credo. Nam Cortonam & sancti spiritus fanum, duo copiosa & munita Florentinorum oppida, à Franc. Roboriano direpta esse iam diu huc est allatum. Quod autem nihil neq; à Germania, neq; à Gallia, neq; de Pont. Maximo, neq; adeo de Heluetijs, quos Gallis subsidio aduẽtare nuper audiebamus. Alpeis in causa esse arbitror, quas hac hiemis asperitate clausas esse simile mihi uero uidetur. Vale. Ex urbe Patauio .v. Cal. Februar.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

E tuo isto silentio, quid tibi statuendum censeas, tute uideris, me quidem certe, ipse hominem non putarem, si tam crebris quàm ego tecum egi literis, ad scribendum abs te inuitatus, etiam dũ tacerem. Nam meas tibi non esse redditas epistolas, mihi persuadere qui possum? qui sciam neq; me cuiquam earum ullam dedisse, cui tu probe notus non esses, & ipsorum etiam tabellariorum in perferendis literis commoda fructusq; omneis consistere? At enim fortasse nihil epistola dignum tibi occurrit, quasi uero de re uel mea uel publica, uel Villanouani uel etiam de ipso Egnatio oratio tibi deesse possit, presertim homini tam diserto & alias semper ad scribendum impigro. Verum non audeo te accusare, qui si humanitati atq; prudentiæ diffidam tuæ, sim mei dissimillimus. Angor tantum animo & queror, nec de quo sanè conquerar satis exploratum habeo. Facit tuus erga me amor & acre istud tuum omni in re iudicium, ut nihil abs te neq; temere neq; iniuria fieri putem. Rursus tam insolens & diuturna taciturnitas, in tanta maxime scribendi materia, animum meum uehementer sollicitum habet, ne quid grauius acciderit uel tibi, ita ut scribere non queas, uel rebus meis, sic ut non audeas. Tu si, quod minus uelim, ualetudine impeditus cessas delega (quæso) eum laborem tuorum alicui, qui me de omni statu tuo faciat ꝙprimum certiorem. Sin forte rationum nostrarum cõturbatione aliqua cõmotus, taces, nihil est quod uereare. Scis enim quonam apud me sint ista fortunæ bona loco, quidq; ego aduersus omneis fortunæ iniurias iampridem habeam animi. Sed me iã uerba deficiunt, fac igitur si me amas ut aliquid perendie uel à te uel de te accipiam, ne cum me literarum tuarum fructu diu priuaris, earum quoq; expectatione diutius torqueas atque excrucies. Vale. Ex urbe Patauio. iij. Cal. Februar.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Deum quem ex tam longo literarum tuarum silentio percæpi dolorem, accedet etiam mittendi ad te pueri mei impensa, qd enim aliud capiam consilij, si nec ego aliter de te quicquã possum cognoscere, & tu sex continuis a me prouocatus epistolis mihi scribere etiam nunc grauare? Atq; utinam is ea de te referat, quæ à nobis libenter uel legi uel audiri possint. Iam enim tibi scribendi onus imponere nullum audeo, Satis abs te habebo, si me per hunc internunciũ hac solicitudine liberaris. Omnino magnum quiddam sit necesse est, quod te hominem tam officiosum, mihi tam amicum tam diu tacere cogat, quod ipsum quoniam cuiusmodi sit, coniectura nulla assequi possum, si literis consignare id noles, puero meo recte commiseris. Atq; ne quibus de rebus certior fieri cupiam ignores, præter taciturnitatis tuæ causam, scire uelim primum. Nunquid apud te sit, ut uolumus. Deinde, quot nam ex xiiij die Cal. Februar. meas accæperis epistolas. Tum, ecquid Egnatio nostro suas reddideris, & de Villanouano confeceris. Tum uero, an descriptum Steph. Saulio fasciculum Genuam miseris. Postremo, de rationibus nostris si quid addideris, gratissimum mihi feceris. Nam de rep. qd ego te rogem, qui hæc quæ mihi coniunctissima sunt, tam leuiter hic attingam? Vale. & mihi puerum meum statim remittito. Ex urbe Patauio Cal. Februar.

Perscriptis his non sine magna animi mei molestia literis, ecce tuæ, breues illæ omnino, & exiguã de Villanouani negocio spem afferentes, sed quæ me tamẽ ab eo, qui me debilitarat, ualetudinis tuæ metu liberarunt. Itaq; pueri istuc mittendi causa iam nulla est. Nam cum tu ualeas, nec maiore ullo impeditus sis negocio, his lectis ad omnia (uti spero) respõdebis. Sed quod ais nihil in Villanouano, præter ætatis maturitatem desiderari, ea uero corroborata est, atq;, mea quidem sententia, eiusmodi, quæ hoc in genere maxime optanda sit. Annos natus est sex supra uiginti, idq; meis ad Egnatium literis tum significaui, cum eum dixi ea esse eruditione, cuius penè extremi adolescentiæ anni capaces essent. Quare si hoc unum adhuc obstitit, facile est conficiendæ illi conditionis ratio, sed celeritate opus ẽ ut ante ad te scripsi. Sumptus enim tamdui sustinere non possum, neq; rursus eum ab omni alia humana ope desertum dimittere. Literas tuas sic expecto, ut nihil auidius. De flagitiosa Gallorum in seruanda Alexandria negligentia, uel ut tu scribis, uinolentia alias uidebimus. Nũc enim præ cura libere iocari non queo. Illud tantum miror, sex mõ amissis militibus incolume præsidium omne dilapsum esse. Ad reliquas Franc. Ro-

boriani uictorias Senam accessisse gaudeo, & de Florentia ualde timeo.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Vm hodie literas tuas, quas mihi prid. Cal. Februar. misisti, de integro legendas in manus sumpsissem, animaduerti in eas tum extremo esse caput quod ad rationes nostras spectaret, nec à me tum lectum esset, aut satis animaduersum, cum ad eas rescriberē. Perturbato scilicet eas percurreram animo, quod ipsum ex meis facile cognoscere potuisti. Vberior igitur fuit negociatio nostra q̃ putaram, idque omne & diligentiæ, & tuæ erga me beneuolētiæ acceptū refero. Quod autem ascribis ut si pecuniam ab argentarijs exigi uelim, istuc ueniam, Sin minus, quid tibi faciendum sit per literas demonstrem. Ego uero, & si cum nemine omnium libentius sum q̃ tecum, tamen ne si exigenda quidem ea sit, causam cur mihi istuc ueniendum sit non perspicio, præsertim cum tibi scripta sit, non mihi. De reliquo, nihil est quod ad me referas, quocunq; te rationes nostræ uocabunt, sequere, neq; tibi authoritatē meā expectandam putato. Ego enim cū istiusmodi rerū sum planè rudis, tum uero me in sinum atq; fidem tuam totum contuli, quem neq; facile discingi, & in omni genere prudentissimum esse semper iudicaui. Itaq; exigenda illa ne sit, an transcribenda, an ad aliud negociationis genus transferenda, an permutanda, quanquam deliberationis est, tui tamen est consilij, qui quid angustiæ nostræ postulent non ignoras, & in quo spes sit ulla exploratum habes. Equidem, quod ad me pertinet, quicquid feceris, id prudenter abs te & fideliter factum esse iudicabo, atq; adeo ratum habebo. Ac quia multus in eo es, ut quid te facere uelim omnino scribam, geretur tibi mos, sed uniuerse, nec enim aliter possum. Ducentos istos quinquaginta denarios ad superiorem summam adijcito, totamq; pecuniam ita tractato ut tuam, sed hoc diligentius & cautius, quod in paucis istis nummulis mihi sint omnia. Non sit ociosa, nec in eo item uersetur negocio, quod sit hominum uel fraudibus uel calamitatibus opportunum. Hoc si præstiteris & ocio nostro optime consulueris, & me hominem memorem gratumq; aliquando experiere. Vale mi Grimoalde suauissime, & si quid est de Villanouano ab Egnatio confectum, facies me q̃primum certiorem. Non dici potest q̃ me hoc onus premat & grauiter urgeat. Ex urbe Patauio, prid. Non. Februar.

CHR. LONG. BAPT. EGNATIO. S.

Scripsi ad te nuper de Simone Villanouano quàm potui diligentissime, non quo memoriæ tuæ constantiæ'ue diffiderem. Sciebam enim quàm tu grauitati tuæ seruires, & in amicorum præsertim rebus minime esses obliuiosus, sed id tum Villanouano ipsi à me dabatur, qui ut se tibi per literas quoq; accuratissime commendarem, mecum egerat. Quod autem nunc in eandem rationem de integro tibi scribo, id scilicet mea sponte facio, qui cum te currentem incitare cupio, tum uero quibus ille in malis iaceat uideo, & tantū ex eo dolorem, quantum animo capere uix possum, traho. Agitur mi Egnati nō de honore eius aut dignitate, quod quidem optandū nobis esset, sed qd me pudet scribere, ne summæ spei, summæ uirtutis adolescens in ipsa florētissima Italiæ parte fame pereat. Huic tu literarum ac literatorum omnium ignominiæ & turpitudini, quando unus hoc tempore mederi potes; aut nemo certe istic potest, non iam abs te peto, quod prioribus feci literis; sed per singularem illam tuā erga studiosos omneis omnibus perspectam & à me semper prædicatam liberalitatem tuam te obsecro, ut homini solo uirtutis studio & fortunæ iniuria calamitoso quibuscunq; rebus potes consulas atq; prospicias. Ego, quod ad me pertinet, amplius q̄ feci facere nō queo. Tuæ sunt iam partes ut quem officijs tuis multis es complexus, aliquo etiam beneficio tuo benigne cumulatum uelis. Non equidem audeo quicquam tibi istiusmodi oneris imponere, sed quia tamen dignam ista tui animi benignitate mihi uideris esse consecutus fortunam; sine hoc à te petam, quod quidem te libenter facturum esse mihi coràm ostendisti: Quid hoc ipsum? inquies. Tantisper tecū sit dū apud aliquem eū collocas. Hoc si à te impetramus, faciam profectò ut apud memores & gratos homines beneficium à te positum esse cognoscas. Vale. Ex urbe Patauio. vi. Id. Februar.

CHR. LONG. PETR. BEMBO S.

Etsi nihil erat omnino quod scriberem, non potuī tamen Flaminio nostro istuc proficiscenti non uel inaneis ad te dare literas potius q̄ nullas. Sanè enim in rebus meis nihil est noui. Versamur adhuc in his, ad quæ tu me unus omnium semper es cohortatus, literarum studijs. De te uero, & si minus quàm cupimus, audimus tamen q̄ uolumus. Tam leuem iam accedere quartanam, ut utrum tentatiuncula sit ea, an febricula, uix ipse tu sentias atq; dijudices. Hoc ipsum mihi q̄ gratum sit, etiam tacente me, satis, puto, intelligis. Equidem, quod unū absēt & possum, & debeo, pro salute tua uota facio, & ut te planè confirma

cum hic primo quoq; tempore uideam, etiam atque etiam exopto. Flaminium ipsum à me hic tibi commendandum esse non arbitror. Est enim iam pridem in aere tuo, ut quem tute mihi ipse accurate commendaris, testimonium modo mei de studio eius atq; industria iudicij, ei dabitur. Scito ex omni nobilitate Romana multis iam seculis extitisse neminem, qui ad summa ingenij atq; iudicij ornamenta tantum adiunxerit diligentiae & in omni liberalis doctrinae studio assiduitatis. Non enim politiorem modo humanitatem & communes litteras attigit, sed etiam se utraq; lingua in recta dicendi, disserendiq; ratione ita exercuit, ut non credibile sit neq; q̃ longe iam processerit, neq; quo paucis annis tam pleno gradu peruẽturus sit. Pertexet enim, scio, quod exorsus est, nisi aliqua forte temporũ iniuria ab instituto cursu aliò rapiatur. Sed de Flaminio nimis multa, praesertim ad te, qui cum de adolescẽtis indole summa semper sperasti, tũ uero fortasse libenter adhuc legere non potes. Valebis igitur, & à Polo nostro saluebis. Ex urbe Patauio. yi. Id Februar.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Flaminius noster eo tempore, nunquid ad te uellem, mihi denũciauit, cum quid à te expectarem magis haberem q̃ quid ipse tibi mitterem. Scis enim te nihildum ad posteriores meas duas respondisse. Mihi quidem certe nihil abs te adhuc est redditũ, tametsi multarum à me habes epistolarum argumenta. Veruntamen nihil urgeo, atque etiam occupationibus tuis faueo. Iam enim sentio q̃ tibi superiorũ mearum in tuis flagitandis, literarum crebritas molesta fuerit. Scripsi hodie ad Bembum & Egnatium, huic, ut Villanouani causam aliquãto acrius susciperet, illi, ne me negligentiae damnaret, si se Flaminius istó & ad eum sine literis meis contulisset. Exitus hiemis cum initijs consentiunt. Maximis & assiduis aucta flumina hymbribus agros totos inundarunt. De Heluetiorũ aduẽtu nonnullus hic ẽ odor, item'que de Frãc. Roboriani & Iulij Medicis coniunctione. Omnino sunt qui rem inter eos conuenturam suspicentur. Ego nihil esse reor, sed tamen si fiet, aut ille ad Gallum, aut hic ad Germanum transeat necesse est. De Frãcis mirum hic silentium, quanquam non desunt, qui treis Hispanas cohortes stipendij inopia coactas à Caesare ad Venetos defecisse affirment. Sed hoc tu melius ac potius optime omnium. De studiorum nostrorum ratione, si quid scire uoles, Flaminium ipsum percuntator. Vale. Ex urbe Patauio. yi. Id. Febr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Iucundas & gratas literas, quas mihi à te Flaminius noster attulit. Sanè nō dici potest q̄ me earum sermo delectarit, atq; illud in primis, quod de rationū nostrarum procuratione scripsisti. Equidem, & si difficile factu esse uideo id quod polliceris, tamen tum ingenio, tum industria, tum usu, tum uero etiam singulari tuo erga me amore fretus, sperandum id mibi censeo. Tu contra uelim ea à me expectes omnia, quæcunq; ab hac studiosa uitæ nostræ atq; consuetudinis parte proficisci possunt. Etenim si hoc tu præstiteris, mihi Leontis liberalitas non magnopere desideranda ut fuerit, ad quemnam potius omnem studiorum meorum fructum detulero, q̄ ad te, cuius unius opera, fide, diligentia ocium meū honeste copioseq; tueri potuerim? Sic itaq; tibi uelim persuadeas, me, siquid posthac legendo, audiendo, commentando, scribēdo assecutus fuero, daturum operam, ut amicitia nostra haud paulo sit illustrior ea familiaritate, quæ Nicol. Grimoaldo Cebæ auo tuo cum Fran. Philelpho uiro doctissimo intercessit. Non auderem hoc tibi tanta pollicerі fiducia, nisi & eodem apud te esse loco bonas artes uiderem, quo apud auum tuum extiterunt, & quam opinionem de studiorum nostrorum exitu conceperis ex literis tuis perspicerem, q̄q̄ maior hæc omnino iam est q̄ ut ei à me satisfieri possit. Equidem mihi iam nauasse operā uideor nonnullam, quod unum ex omnibus M. T. Ciceronem dicendi magistrū mihi delegerim, sed nondum me tantum profecisse sentio, ut eo tibi nomine ipse gratulari debeas, atq; te his temporibus natū gaudere, quod quidem uel ex eo comprobari potest, quod te, qui tanti eloquentiam nostram facias, crebris meis literis ad paulo uel diligentius uel sæpius scribendū nihildum potui perducere, nullo id sanè impetraturus negocio, si ut ais, illum consectando, uim eius affingerem atq; exprimerem. Remoto ioco mi Grimoalde suauissime, quantum in eo imitando adhuc profecerim, me quidem non pœnitet, sed tamen tantum abest ut me illi parem unquā fore sperem, ut mecum præclare actum iudicaturus sim, si tenuem modo aliquam diuinæ illius eloquentiæ similitudinem adumbraro Id enim scilicet nunc molior & scribendo persequor. Sed hac de re nimis multa. Tantum uelim existimes, si studiorū nostrorū rationi fructus respōderint, perfecturum me ut non modo hæc hominum ætas, sed etiam tota forte posteritas quàm bene apud me studium, operam, officia tua collocaris, intelligat atq; cognoscat. Sed redeo ad spectacula nostra, luctuosa quidē illa sed quæ hoc tempore essent planè nulla, nisi citerior Gallia quotidia-

no Hispanorum latrocinio infestaretur. Nã transalpinis gentibus ociũ, anni tempus attulit. Certe illinc ne leuis rumor quidem. Tu uero de Hadriano nostro nihil. Atqui Barcinone de Pontificatu suo nuncium accepisse fertur, & Gregorij nomen secutus, illo uidelicet ipso nobis indicans nomine, quanta uigilantia in hoc obeundo munere sit usurus. Ac profecto summa ea sit oportet atq; mirifica, si modo, uti spero & opto, is ipse est, qui superiorum Pontificum partim ignauia, partim scelere labefactatam christianae pietatis religionem instauraturus est & confirmaturus. Deum quaeso Opt. Maximũ, consilia eius resp. Christianae salutaria sint, neq; ocio nostro parum accommodata. Vale.

Ex urbe Patauio. xyi. Cal. Mart.

CHR. LONG. ANT. MARCILIO. S.

Tentari abs te patientiam meam arbitror, qui nec nuncijs, nec literis, nec precibus deniq; commotus meis etiam nunc taceas. Quid enim, contemptum me putem? Non tam (opinor) superbus tu es, nec ego certe contemnendus. Ac uide quàm tu humanitati tuae constes, qui hominem tibi tam amicum, tam familiarem literarum tuarũ iucunditate tam diu priues, praesertim ab eo ad scribendum lacessitus. Ego enim mehercule cum omnibus in rebus, quas nobis ipsi praestare possumus, uinci turpe duco, tum uero officijs & amori eorum à quibus prouocere, non respondere turpissimum. Sed ut initio dixi, tentari abs te patientiam meam arbitror. Quare obdurabitur adhuc hic mensis. Sin autem, ut es, etiam tum cessabis, non te equidem scriptorum meorum desiderio excruciare tentabo, uideo enim quàm tu id facile sis laturus, sed tum longissimis epistolarum uoluminibus obtundam, tum uero quotidiano sumptu in tabellarios faciendo obruam. Sin id quoq; abs te contemni intellexero concitabo in te lucas istas boues, de quibus tu nihil adhuc ad me, credo, quod eas indignas existimes, de quibus tu uerbum facias. Verumtamẽ uide utrum malis (utrunq; enim uitare non potes) quotidiano ne istarũ belluarum barritu uexari, an de earum ingenio mihi aliquid perscribere. Equidem posterius hoc malim, tum quia te saluum cupio, tum quod etiam incredibili quodam leporum atq; facetiarum tuarum studio teneor, uel potius ardeo. Quo quidem in genere cum tu longe alijs excellas omnibus quos uel naturae hilaritate, uel omnis liberalis doctrinae humanitate uenustos & urbanos nouimus, fac, amabo te, ut saltem per literas, quando coràm non possumus, inter nos festiue, docteq; interdũ rideamus.

Vides'ne quantam iocandi materiam ipse tibi iam præbuerim, qui me quoq; non insulsum esse tibi significarim? Sed uel me tuo arbitratu ludas licet, modo salsam aliquam, & lepidam epistolam mittas. Quiduis enim potius quam cessationem tuam ferre possum. Vale.
Patauij xij. Cal. Mart.

CHR. LONG. BAPT. EGNATIO. S.

Ereor ne tu me pudoris mei parum memorem esse iudices, qui rogandi finem faciam nullum, præsertim cum nihil abs te loci precibus nostris relictum esse ex Grimoaldi nostri literis potuerim intelligere, sed ea est Villanouani nostri tum uirtus, tum, quæ me dies noctesq; excruciat, egestas, ut mihi hoc in officio cessator esse uidear, qui me tibi molestum in scribendo esse iam non dubitem. Audio rationibus eius duo plurimum adbuc offuisse, ætatem & nationem. Atqui ea hominis ætas est, quæ mea quidem sententia, sit huic muneri maxime idonea. Sextum enim supra uigesimum agit annum, ea iam prudentia atq; moderatione prædims, ut hisce uirtutibus senectus ipsa non magnum pondus allatura uideatur, de altero, non me quidem fugit q̃ male Galli in Italia audiant, sed ego tibi Villanouanum præstabo, cum ab omnibus Gallicis uitijs, ineptijsq; liberum, tum planè Italica & grauitate, & lingua, & (quod maxime ad rem pertinet) pronunciatione in primis ornatum. Nam quibus potissimum gens illa uirtutibus commendatur, fide, probitate, religione, has quidem nemo in eo desiderarit, non sanè magis quàm ingenium, iudicium, studium, literas, excellentem deniq; in iure ciuili prudentiam atq; memoriam. Sex enim ipsos annos, sub optimis præceptoribus, Ticini, in eo studio euigilauit, atq; ita profecit, ut æquales suos omnes longe uicerit. Quare à te quæso, ut siquis ad eam uoluntatem & diligentiam, quam in eo iuuãdo adhuc adhibuisti, cumulus accedere potest, is hac mea commendatione accedat. Sin nihil addi potest, ne sedulitatem meam aut impudentiæ, aut ambitionis condemnes. Non enim liberalitati aut constantiæ diffisus tuæ, sed tum ijs, in quibus Villanouanus iacet, miserijs, tum mea etiam humanitate commotus eadem de re tecum ago & sæpius & accuratius. Vale.
Patauij xij. Cal. Mart.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Vllum ferè nunc haberem ad te scribendi argumentum, nisi nescio quid literarum Egnatio & Marcilio exarassem. Marcilio? inquis, & isti quidem uelim epistolam suam ipsemet reddas, sed prius à te lectam, ut cum uideris quanti is à me fiat, pœnas mihi des taciturnitatis tuæ, qui literarum tuarum silentio commisisti, ut ad illum nulla sententia scriberem, quem tu minime omnium annulum feras. Tacet ipse quoq; etiam nunc, sed non hoc diu impune tulerit. Ad Egnatium porro scribendi hac mihi causa fuit, quod nec eius etiam literas adhuc potuerim elicere, nec Villanouano ullo tempore, aut loco deesse uelim, cui quidem tamen ne iam desint omnia, ualde metuo. Istic enim à uobis lentius curatur negocium, quàm res & fortuna ipsius postulet. Sed hoc tu uideris, in quem, nisi mature prouideris, hoc quicquid est oneris, totum decidet. Admonitus es à me non nunc primum quare incumbe tu quoque, si sapis, in istam curam. Egnatium nisi perfecta re, aut desperata rescripturum non puto.

In citeriore Gallia audio Mediolanum ab Hispanis & Germanis summa ope muniri, pecunias imperari, delectum prouincialem haberi, pontes in Pado ad Placentiam fieri, omnia tumultus & trepidationis esse plena, presertim cum Cares inalpinos Gallis suis auxilio uenire dubium iam non sit. A Gallia & Germania nulla adhuc fama, clausis scilicet etiam nunc alpibus, & nostro mari, quæ tamen propediem aperiantur necesse est. Sed tuum est ista scribere. Huc enim istinc manant, illud quidem meum. Esse Bononiæ Hispanum hominem quendam, qui à se omnia Petri Alcyonij in faciendo Aristotele latino errata collecta esse, ac propediem editum iri huc scripserit, de quo ipso, si tibi uidebitur, Alcyonium nostrum facies certiorem, & simul hominem meis uerbis salutabis. Vale. Patauij xiij. Cal. Mart.

CHR. LONG. MARIANO CASTELLANO. S.

Accæpi epistolam tuam ad ix. Cal. Mart. in qua quod officium desiderari abs te meum significas, est id mihi quidē submolestum, sed nihilominus tamē iucundum, ut qui nulla mea negligentia à me cessatum esse sciam, & te ista literarum mearum flagitatione mei memoriā adhuc tenere perspiciam. Nam, ne forte nescias, ego aliquanto magis, atq; adeo iustius à uobis aliquid expectaui q̄ uos a me. Etenim cum istuc perferuntur undiq; omnia, tum uero ea quotidie Romæ & fiunt & dicuntur, quæ scilicet epistola sunt

dignissima. Hic contra summum ocium, summum est de rep. silentium. Sed quando tantopere literas requiris meas, non committam posthac, ut in eo genere de me queri possis, tu modo fac ut de rebus urbanis ex te aliquid interdum cognoscam. Lælius enim Maximus nostri iampridē planè oblitus est, eques uidelicet Romanus, & idem uir fortissimus, hominis noui, & in ignauo litterarum ocio intabescentis. Sed hoc fero eadem, qua Leontis mortem, animi æquitate, ex qua etsi mihi grauissimum uulnus impositum esse sentio, qui me ab omni humana ope desertum hic nūc uideam, non succumbo tamen, neq; mihi, neq; institutis meis desum studijs, in quibus eo etiam elaboro diligentius, & euigilo acrius, quo mihi præclarius aliquando fore spero, me non modo nulla fortunæ iniuria de sententia mea deijci potuisse, sed etiam aduersus omnes sæuissimas eius tēpestates rectum cursum tenuisse. Omnino Gallia mihi clausa est, quod cōtra meorum omnium uoluntatem Leontis promissa secutus in Italiam redierim. In ipsa autem Italia, cum Leonte ipso spes mea omnis interijt. Florentia tumultuatur. Bembus lōgo & difficili morbo prostratus iacet. Abest Sadoletus. Abest etiam Hadrianus noster, de quo quidem multa mihi & magna polliceor, sed ut uides longe abest gentium, nec modo de aduentu, sed omnino de salute eius nihil exploratum habemus. In Hispania esse dicitur, sed nec in utra, nec an in Italiam uenturus sit etiā nūc scitur. Si uenerit, spe sum optima. Sin Quintum Clementem sibi imitandum putarit, mihi tamen in Italia, dum studiorum meorum rationem explicaro, manere decretum est. Negociari enim iam cœpi ex ea pecunia, quam ad hosce fortunæ casus, sepositam habebam, resq; iam ita processit, ut ad multos annos ipse me ære meo tueri posse uidear. Neq; uero est quod uereare, ne hoc nouo uitæ genere studia conturbentur mea. Aliena hac in re & opera & fide utimur. Aliena, inquies, fide? prorsus aliena, sed hominis nobis amici, quid enim faciam, si nec literis meis deesse, nec ipse mercaturæ operam dare possum? homo cum in omni negociatione planè rudis, tum uero ocij & quietis longe cupidissimus? Adhibita est tamen ea à nobis cautio, ut nobis fraus nō facile fieri possit. Sed hoc fors uiderit. De Panegyricis, præstabo quod tibi sum pollicitus, & Romana mihi crede, fide præstabo, sed nondum satis maturuerunt, neq; tamen à maturitate absunt longius. Res est ardua & operosa, presertim cum id mihi sit cordi, non solum ut amicitia nostra, sed etiam ut urbe Roma non indignæ habeantur. Itaq; quoties tibi minus in eo maturare uidebor, fac illius tibi in mentem ueniat.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Flaminium ex tuis literis equidem accusare possum negligentiæ, quod nihil unquam ad te de me, sed eum nihilominus à me commendatum ue lim habeas. Dignus est adolescens quem omni tua humanitate liberali tateq; complectare. Vsus es tu quidem aliquando summa in eum benigni tate, sed tum cum non tam necesse esset q̃ nunc est, nec ipse in tantam do ctrinæ spem adhuc ingressus. Caue enim putes quicquam ei istic esse, aut iam multis etiam seculis fuisse simile uel ingenio, uel industria, uel probi tate, uel etiam grauitate. Equidem sic de eo pronunciare soleo, ut dicam neq; natura benigniore quenquam hodie uti, neq; cum fortuna duriore conflictari. Quare cum id ei cumulatissime adsit, quod nullius beneficio assequi possit, id autem omnino absit, quod tu ei cumulatissime præstare potes, ne commissum uelis mi Mariane, ut tantæ spei, tantæ uirtutis ado lescenti, & quod constat, propinquo tuo, tum deniq; defuisse uideare, cũ ad summam eruditionem, dignitatemq; pleno gradu contenderet. Perue niet enim quo tendit, & si tu paululum modo adiuueris, maiorum no strorum gloria dignum se præbebit. Hoc ut facias uel mea, uel ipsius ado lescentis, uel etiam honoris tui causa te tam rogo q̃ tibi nominis Roma ni dignitatem curæ & esse & semper fuisse certo scio. Ornithiam de litias tuas meis uerbis dissuauiabere, matriq; eius Iuliæ & materteræ Lu douicæ salutem referes plurimam. Bernardinæ uero tuæ etiam me dili genter excusabis. Questa est mecum grauiter de literarum mearum silen tio, sed satius puto fuerit, ei rescribere, ne me superbiæ quoq; condemnet, qui per te excusari maluerim, q̃ literis eius respondere. Valebis igitur, et Bussios, Torquatos, Alterios, Salomonios, ac reliquos itẽ communes ami cos à me iubebis saluere. Patauij vij. Cal. mart.

CHR. LONG. ST. SAVLIO S.

u Ellem eo epistolæ initio tecum agere nũc possem, quo superiori bus meis ad te literis sum usus, sed facit dispar tuarum ratio, ut hæ quoq; dissimile principij genus postulent. Scito igitur proximas tuas literas tantum mihi attulisse & molestiæ & doloris quã tum uel mihi dictu sit perdifficile, uel tibi, nisi meum erga te perspectum haberes amorem, creditu non facile. Ergo mihi te, utroq; nostrum viuo, in perpetuum carendum erit? cuius ex suauissima consuetudine tantum capiebam uoluptatis? tantum in omni genere prudentiæ fructus & uti litatis? Equidem, & si tum ex miserrima horum temporum conditione, tum ex languidiore literarum tuarum significatione aduentui tuo sub diffidere cœperam, fruebar tamen interim quadam inanis spei usura libẽ ter, sperabamq; aliquando fore, ut expectationi nostræ reditu tuo tandẽ

satisfaceres. Nunc etiam illud, omni præcisa spe, literæ tuæ nobis eripuerunt. Quo me igitur tandem esse censes animo? Nempe eo, quo esse debeo, orbatus tali uiro, mihi amicissimo, familiarissimo, iucundissimo. Polus quidem noster, non tam eorum commemoratione, quæ à me de ista tua & uirtute & industria persæpe audierat, q̃ literarum quas tu mihi scripsisses, elegantia atq; prudentia commotus, te unum iam sibi destinarat, qui cum societatem studiorum coiret sanctissimam regiæ scilicet indolis, & acerrimi iudicij adolescens te, ex paucis epistolis tuis, quasi Leonem ex unguibus, totum facile æstimauit, dignumq; quem unum ex omnibus in omni studiorum suorum ratione comitem haberet & socium iudicauit. Itaq; cum hunc tristissimum de te nuncium à me accæpisset, magnũ etiam mihi uisus est dolorem accæpisse, qui se de tanta spe, & ea quidem unica repente deturbatum uideret. Scis enim qualia hic sint uestri ordinis ingenia, & quibus etiam studijs dedita. Verum ille, quidnam sibi cõsilij capiendũ sit, uiderit. Ego certe qua una amoris memoriæq; tui ratione potero, tecum semper ero, literas partim legens aut expectans tuas, partim scribens, aut mittens ad te meas. Hoc enim unum mihi relictum esse uideo, quo absentis tui desiderium mitigem atq; consoler. Quod si tu, quẽadmodum ostendis, mecum in scribendo certaris, cum magna me sanè leuaris molestia, tum uero te amici hominis officio fungi non modo iudicabo, uerum etiam ubiq; prædicabo. Sed uenio ad literas tuas, quas abs te non sine cura & angore animi scriptas esse intelligo, nec tamen eiusce rei causam ullam exponis. Tantũ tibi consilium opus esse significas meũ. Quod si ita est, ut tu homo prudentissimus sine me deliberare non facile possis, & tanta res agitur, ut eam literis consignare non audeas, iam uero absentiam nostram longe mihi grauius ferendam esse uideo, q̃ initio putaram. Nam quod ad fiduciarij illius sacerdotij, quo te à Leonte abdicare coactus es, procurationem pertinet, expectandum tibi censeo, dum uel res apud Insubres ex Gallorum sententia constituantur, uel Hadrianus noster uenerit, aut certe remq; Romanã composuerit. Nec enim dubito quin apud eum Pontificem ius tuum obtenturus sis, quem iã multis ætatibus unũ, sine uitio, sine obnunciatione, sine ulla ambitionis uel leuissima suspitione, summo amplissimi collegij consensu, sacris nostris omnibus præfectũ esse Antistitem, omnes & prædicant & admirantur. Ego id profecto diuinitus factum arbitror. Placet tamẽ interim, ut istic ad pontificias aliquot tabulas testere inuitum te, et metu Leontis adductum monasterij illius procurationem tum deposuisse, nunc autem constitutum tibi esse, ut primũ ius dici Romæ cœperit, recuperatorio iudicio experiri. Hæc cautio etiam, si minus necessaria est, opus tamen est, & ad uitandam tacitæ consensio-

nis suspicionem hoc tempore non inutilis. Sed hæc tu spero melius, uel tua, uel istorũ consultorum prudentia fretus. Vale. Patauij 7. No. Mart.

CHR. LONG. M. ANT. FLAMINIO S.

Gnosce, quod qui antea solitus sum mea sponte tibi scribere accuratius, nunc disertissima abs te prouocatus epistola respondeam negligentius, perturbato enim hæc scribimus animo. Turbarũt autẽ nos Saulinostri literæ, quibus ille mihi spem reditus uestri ademit omnem. Vix credas q̃ id moleste feram, quantoq; uestri desiderio nũc ardeam, qui (fatendum est enim) digressum à me uestrum haud ita grauiter tuleram. Nimirum maturæ uestræ confisus reuersioni, nec dum satis animaduertens quantam uobiscum suauitatem à me dimitterem. Iã uero me & res & tempus docuit, quantum in eo amiserim. Auget hunc meũ dolorem, stultitiæ meæ recordatio, qui id consilij proficiscenti Saulio dederim ut istic potius q̃ hic. Quod et si ne tum quidem mihi erat iucundum, habendam tamen maiorem illius rationem putaui q̃ mei. Ita cum absentia uestra, tum uero etiam magis consilij mei insania torqueor. Nam istic bellum exortum est, hic in summo uiximus ocio. Sed huic dolori meo, si minus frequentes à uobis literæ, tempus quidem certe ipsum, atq; nouarum necessitudinum coniunctio, ut spero, medebitur. Nunc ad literas tuas, ex quibus cognoui eas, quas uobis superiore mense misi ad iij. Cal. Febr. istuc nondum fuisse perlatas, atqui his ea complexus mihi uideor omnia, quæcunq; de uitæ ac studiorũ nostrorum ratione cupis intelligere. Quare eas eodem exemplo uobis mittendas putaui. Constituti uero abs te ocij tui consilium ita mihi probatur, ut eo tibi nomine etiam ualde gratuler, sed bona mehercule fide, non autem quẽadmodũ tu, qui mihi uere & iure optimo gratulatus, quod ad nostros homines summum peruenisset imperij ius, summus pontificatus, nescio quid etiam de eloquentiæ principatu adiunxisti, quem quidem in hominibus nostris non sanè uideo, nisi tu fortasse illi τῆς μωρίας ἐγκώμιον, aut etiam Silenis Scarabeisq; nostris tantum in eo genere tribuis, ut perfecti oratoris imaginem ab amico nostro effictam atq; expressam putes. Quod si ita est, est etiam quod te uehementer pudeat, qui eloquentiam uestram non tam uberiore ulla rerũ uerborumq; copia, quàm insigni illa Bataui oratoris stultitia uictam esse fateare. Sed nunc iocari præ stomacho non libet. Vacuo animo scribam liberius & diligentius, itemq; de Luteriana causa, quod de gustes, fortasse tibi mittetur aliquid. Vale. Patauij. 7. Non. Mart.

SCripsi ad te nuper de Simone Villanouano quàm potui diligentissime, non quo uemoriæ tuæ constantiæ'ue diffiderem. Sciebam enim quàm tu grauitati tuæ seruires, & in amicorum presertim rebus minime esses obliuiosus, sed id tum Villanouano ipsi à me dabatur, qui ut se tibi per literas quoq; accuratissime commendarem, mecum egerat. Quod autem nunc in eandem rationem de integro tibi scribo, id scilicet mea sponte facio, qui cum te currentem incitare cupio, tum uero quibus ille in malis iaceat uideo, & tantũ ex eo dolorem, quantum animo capere uix possum, trabo. Agitur mi Egnati nõ de honore eius aut dignitate, quod quidem optandũ nobis esset, sed quod me pudet scribere, ne summæ spei, summæ uirtutis adolescens in ipsa florentissima Italiæ parte fame pereat. Huic tu literarum ac literatorum omnium ignominiæ & turpitudini, quando unus hoc tempore mederi potes, aut nemo certe istic potest, non iam abs te peto, quod prioribus feci literis; sed per singularem illam tuã erga studiosos omneis omnibus perspectam & à me semper prædicatam liberalitatem tuam te obsecro, ut homini solo uirtutis studio & fortunæ iniuria calamitoso quibuscunq; rebus potes consulas atq; prospicias. Ego, quod ad me pertinet, amplius quàm feci facere nõ queo. Tuæ sunt iam partes ut quem officijs tuis multis es complexus, aliquo etiam beneficio tuo benigne cumulatum uelis. Non equidem audeo quicquam tibi istiusmodi oneris imponere, sed quia tamen dignam ista tui animi benignitate mihi uideris esse consecutus fortunam; sine hoc à te petam, quod quidem te libenter facturum esse mihi corãm ostendisti. Quid hoc ipsum? inquies. Tantisper tecũ sit dũ apud aliquem eũ collocas. Hoc si à te impetramus, faciam profecto ut apud memores & gratos homines beneficium à te positum esse cognoscas. Vale. Ex urbe Patauio. xi. Id. Februar.

CHR. LONG. PETR. BEMBO S.

ETsi nihil erat omnino quod scriberem, non potui tamen Flaminio nostro istuc proficiscenti non uel inaneis ad te dare literas potius quàm nullas. Sanè enim in rebus meis nihil est noui. Versamur adhuc in his, ad quæ tu me unus omnium semper es cohortatus, literarum studijs. De te uero, & si minus quàm cupimus, audimus tamen quàm uolumus. Tam leuem iam accedere quartanam, ut utrum tentatiuncula sit ea, an febricula, uix ipse tu sentias atq; dijudices. Hoc ipsum mihi quàm gratum sit, etiam tacente me, satis, puto, intelligis. Equidem, quod unũ absẽs & possum, & debeo, pro salute tua uota facio, & ut te planè confirma-

tum hic primo quoq; tempore uideam, etiam atque etiam exopto. Flaminium ipsum à me hic tibi commendandum esse non arbitror. Est enim iam pridem in ære tuo, ut quem tute mihi ipse accurate commendaris, testimonium modo mei de studio eius atq; industria iudicij, ei dabitur. Scito ex omni nobilitate Romana multis iam seculis extitisse neminem, qui ad summa ingenij atq; iudicij ornamenta tantum adiunxerit diligentiæ & in omni liberalis doctrinæ studio assiduitatis. Non enim politiorem modo humanitatem & communes literas attigit, sed etiam se utraq; lingua in recta dicendi, disserendiq; ratione ita exercuit, ut non credibile sit neq; q̃ longe iam processerit, neq; quo paucis annis tam pleno gradu peruẽturus sit. Pertexet enim, scio, quod exorsus est, nisi aliqua forte temporũ iniuria ab instituto cursu aliò rapiatur. Sed de Flaminio nimis multa, presertim ad te, qui cum de adolescẽtis indole summa semper sperasti, tũ uero fortasse libenter adhuc legere non potes. Valebis igitur, & à Polo nostro salutebis. Ex urbe Patauio. vi. Id Februar.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Flaminius noster eo tempore, nunquid ad te uellem, mihi denũciauit, cum quid à te expectarem magis haberem q̃ quid ipse tibi mitterem. Scis enim te nihildum ad posteriores meas duas respondisse. Mihi quidem certe nihil abs te adhuc est redditũ, tametsi multarum à me habes epistolarum argumenta. Verumtamen nihil urgeo, atque etiam occupationibus tuis faueo. Iam enim sentio q̃ tibi superiorũ mearum in tuis flagitandis, literarum crebritas molesta fuerit. Scripsi hodie ad Bembum & Egnatium, huic, ut Villanouani causam aliquã to acrius susciperet, illi, ne me negligentiæ damnaret, si se Flaminius istó & ad eum sine literis meis contulisset. Exitus hiemis cum initijs consentiunt. Maximis & assiduis aucta flumina hymbribus agros totos inundarunt. De Heluetiorũ aduẽtu nonnullus hic ẽ odor, itemq́ue de Frãc. Roboriani & Iulij Medicis coniunctione. Omnino sunt qui rem inter eos conuenturam suspicentur. Ego nihil esse reor, sed tamen si fiet, aut ille ad Gallum, aut hic ad Germanum transeat necesse est. De Frãcis mutum hic silentium, quanquam non desunt, qui treis Hispanas cohortes stipendij inopia coactas à Cæsare ad Venetos desciisse affirment. Sed hoc tu melius ac potius optime omnium. De studiorum nostrorum ratione, si quid scire uoles, Flaminium ipsum percuntator. Vale. Ex urbe Patauio. vi. Id. Febr.

no Hispanorum latrocinio infestaretur. Nã transalpinis gentibus ociũ, anni tempus attulit. Certe illinc ne leuis rumor quidem. Tu uero de Hadriano nostro nihil. Atqui Barcinone de Pontificatu suo nuncium accepisse fertur, & Gregorij nomen secutus, illo uidelicet ipso nobis indicans nomine, quanta uigilantia in hoc obeundo munere sit usurus. Ac profecto summa ea sit oportet atq; mirifica, si modo, uti spero & opto, is ipse est, qui superiorum Pontificum partim ignauia, partim scelere labefectatam christianæ pietatis religionem instauraturus est & confirmaturus. Deum quæso Opt. Maximũ, consilia eius reip. Christianæ salutaria sint, neq; ocio nostro parum accommodata. Vale.

Ex urbe Patauio. xvi. Cal. Mart.

CHR. LONG. ANT. MARCILIO. S.

Tentari abs te patientiam meam arbitror, qui nec nuncijs, nec literis, nec precibus deniq; commotus meis etiam nunc taceas. Quid enim, contemptum me putem? Non tam (opinor) superbus tu es, nec ego certe contemnendus. Ac uide quàm tu humanitati tuæ constes, qui hominem tibi tam amicum, tam familiarem literarum tuarũ iucunditate tam diu priues, presertim ab eo ad scribendum lacessitus. Ego enim mehercule cum omnibus in rebus, quas nobis ipsi præstare possumus, uinci turpe duco, tum uero officijs & amori eorum à quibus prouocere, non respondere turpissimum. Sed ut initio dixi, tentari abs te patientiam meam arbitror. Quare obdurabitur adhuc hic mensis. Sin autem, ut es, etiam tum cessabis, non te equidem scriptorum meorum desiderio excruciare tentabo, uideo enim quàm tu id facile sis laturus, sed tum longissimis epistolarum uoluminibus obtundam, tum uero quotidiano sumptu in tabellarios faciendo obruam. Sin id quoq; abs te contemni intellexero concitabo in te lucas istas boues, de quibus tu nihil adhuc ad me, credo, quod eas indignas existimes, de quibus tu uerbum facias. Verumtamẽ uide utrum malis (utrunq; enim uitare non potes) quotidiano ne istarũ belluarum barritu uexari, an de earum ingenio mihi aliquid perscribere. Equidem posterius hoc malim, tum quia te saluum cupio, tum quod etiam incredibili quodam leporum atq; facetiarum tuarum studio teneor, uel potius ardeo. Quo quidem in genere cum tu longe alijs excellas omnibus quos uel naturæ hilaritate, uel omnis liberalis doctrinæ humanitate uenustos & urbanos nouimus, fac, amabo te, ut saltem per literas, quando coràm non possumus, inter nos festiue, docteq; interdũ rideamus.

Vides'ne quantam iocandi materiam ipse tibi iam præbuerim, qui mi quoq; non insulsum esse tibi significarim? Sed uel me tuo arbitratu ludas licet, modo salsam aliquam, & lepidam epistolam mittas. Quiduis enim potius quam cessationem tuam ferre possum. Vale.

Patauij xij. Cal. Mart.

CHR. LONG. BAPT. EGNATIO. S.

Vereor ne tu me pudoris mei parum memorem esse iudices, qui rogandi finem faciam nullum, præsertim cum nihil abs te loci precibus nostris relictum esse ex Grimoaldi nostri literis potuerim intelligere, sed ea est Villanouani nostri tum uirtus, tum, quæ me dies noctesq; excruciat, egestas, ut mihi hoc in officio cessator esse uidear, qui me tibi molestum in scribendo esse iam non dubitem. Audio rationibus eius duo plurimum adhuc offuisse, ætatem & nationem. Atqui ea homi nis ætas est, quæ mea quidem sententia, sit huic muneri maxime idonea. Sextum enim supra uigesimum agit annum, ea iam prudentia atq; moderatione prædítus, ut his se uirtutibus senectus ipsa non magnum pondus allatura uideatur, de altero, non me quidem fugit quàm male Galli in Italia audiant, sed ego tibi Villanouanum præstabo, cum ab omnibus Gallicis uitijs, ineptijsq; liberum, tum planè Italica & grauitate, & lingua, & (quod maxime ad rem pertinet) pronunciatione in primis ornatum. Nam quibus potissimum gens illa uirtutibus commendatur, fide, probitate, religione, has quidem nemo in eo desiderarit, non sanè magis quàm ingenium, iudicium, studium, literas, excellentem deniq; in iure ciuili prudentiam atq; memoriam. Sex enim ipsos annos, sub optimis præceptoribus, Ticini, in eo studio euigilauit, atq; ita profecit, ut æquales suos omnes longe uicerit. Quare à te quæso, ut si quis ad eam uoluntatem & diligentiam, quam in eo iuuãdo adhuc adhibuisti, cumulus accedere potest, is hac mea commendatione accedat. Sin nihil addi potest, ne sedulitatem meam aut impudentiæ, aut ambitionis condemnes. Non enim liberalitati aut constantiæ diffisus tuæ, sed tum ijs, in quibus Villanouanus iacet, miserijs, tum mea etiam humanitate commotus eadem de re tecum ago & sæpius & accuratius. Vale.

Patauij xij. Cal. Mart.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Vllum ferè nunc haberem ad te scribendi argumentum, nisi nescio quid literarum Egnatio & Marcilio exarassem. Marcilio? inquis, & isti quidem uelim epistolam suam ipsemet reddas, sed prius à te lectam, ut cum uideris quanti is à me fiat, pœnas mihi des taciturnitatis tuæ, qui literarum tuarum silentio commisisti, ut ad illum nulla sententia scriberem, quem tu minime omnium æmulum feras. Tacet ipse quoq; etiam nunc, sed non hoc diu impune tulerit. Ad Egnatium porro scribendi hæc mihi causa fuit, quod nec eius etiam literas adhuc potuerim elicere, nec Villanouano ullo tempore, aut loco deesse uelim, cui quidem tamen ne iam desint omnia, ualde metuo. Istic enim à uobis lentius curatur negocium, quàm res & fortuna ipsius postulet. Sed hoc tu uideris, in quem, nisi mature prouideris, hoc quicquid est oneris, totum decidet. Admonitus es à me non nunc primum quare incumbe tu quoque, si sapis, in istam curam. Egnatium nisi perfecta re, aut desperata rescripturum non puto.

In citeriore Gallia audio Mediolanum ab Hispanis & Germanis summa ope muniri, pecunias imperari, delectum prouincialem haberi, pontes in Pado ad Placentiam fieri, omnia tumultus & trepidationis esse plena, presertim cum Cares inalpinos Gallis suis auxilio uenire dubium iam non sit. A Gallia & Germania nulla adhuc fama, clausis scilicet etiam nunc alpibus, & nostro mari, quæ tamen propediem aperiantur necesse est. Sed tuum est ista scribere. Huc enim istinc manant, illud quidem meum. Esse Bononiæ Hispanum hominem quendam, qui à se omnia Petr. Alcyonij in faciendo Aristotele latino errata collecta esse, ac propediem editum iri huc scripserit, de quo ipso, si tibi uidebitur, Alcyonium nostrum facies certiorem, & simul hominem meis uerbis salutabis. Vale. Patauij xij. Cal. Mart.

CHR. LONG. MARIANO CASTELLANO. S.

Accepi epistolam tuam ad ix. Cal. Mart. in qua quod officium desiderari abs te meum significas, est id mihi quidē submolestum, sed nihilominus tamē iucundum, ut qui nulla mea negligentia à me cessatum esse sciam, & te ista literarum mearum flagitatione mei memoriā adhuc tenere perspiciam. Nam, ne forte nescias, ego aliquanto magis, atq; adeo iustius à uobis aliquid expectaui q̄ uos a me. Etenim cum istuc perferuntur undiq; omnia, tum uero ea quotidie Romæ & fiunt & dicuntur, quæ scilicet epistola sunt

dignissima. Hic contra summum ocium, summum est de rep. silentium. Sed quando tantopere literas requiris meas, non committam posthac, ut in eo genere de me queri possis, tu modo fac ut de rebus urbanis ex te aliquid interdum cognoscam. Lælius enim Maximus nostri iampridē planè oblitus est, eques uidelicet Romanus, & idem uir fortissimus, hominis noui, & in ignauo literarum ocio intabescentis. Sed hoc fero eadem, qua Leontis mortem, animi æquitate, ex qua etsi mihi grauissimum uulnus impositum esse sentio, qui me ab omni humana ope desertum hic nūc uideam, non succumbo tamen, neq; mihi, neq; institutis meis desum studijs, in quibus eo etiam elaboro diligentius, & euigilo acrius, quo mihi præclarius aliquando fore spero, me non modo nulla fortunæ iniuria de sententia mea deijci potuisse, sed etiam aduersus omnes sæuissimas eius tēpestates rectum cursum tenuisse. Omnino Gallia mihi clausa est, quod cōtra meorum omnium uoluntatem Leontis promissa secutus in Italiam redierim. In ipsa autem Italia, cum Leonte ipso spes mea omnis interijt. Florentia tumultuatur. Bembus lōgo & difficili morbo prostratus iacet. Abest Sadoletus. Abest etiam Hadrianus noster, de quo quidem multa mihi & magna polliceor, sed ut uides longe abest gentium, nec modo de aduentu, sed omnino de salute eius nihil exploratum habemus. In Hispania esse dicitur, sed nec in utra, nec an in Italiam uenturus sit etiā nūc scitur. Si uenerit, spe sum optima. Sin Quintum Clementem sibi imitandum putarit, mihi tamen in Italia, dum studiorum meorum rationem explicaro, manere decretum est. Negociari enim iam cœpi ex ea pecunia, quam ad hosce fortunæ casus, sepositam habebam, resq; iam ita processit, ut ad multos annos ipse me ære meo tueri posse uidear. Neq; uero est quod uereare, ne hoc nouo uitæ genere studia conturbentur mea. Aliena hac in re & opera & fide utimur. Aliena, inquies, fide? prorsus aliena, sed hominis nobis amici, quid enim faciam, si nec literis meis deesse, nec ipse mercaturæ operam dare possum? homo cum in omni negociatione planè rudis, tum uero ocij & quietis longe cupidissimus? Adhibita est tamen eá à nobis cautio, ut nobis fraus nō facile fieri possit. Sed hoc fors uiderit. De Panegyricis, præstabo quod tibi sum pollicitus, & Romana mihi crede, fide præstabo, sed nondum satis maturuerunt, neq; tamen à maturitate absunt longius. Res est ardua & operosa, presertim cum id mihi sit cordi, non solum ut amicitia nostra, sed etiam ut urbe Roma non indignæ habeantur. Itaq; quoties tibi minus in eo maturare uidebor, fac illius tibi in mentem ueniat.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Flaminium ex tuis literis equidem accusare possum negligentiæ, quod nihil unquam ad te de me, sed eum nihilominus à me commendatum uelim habeas. Dignus est adolescens quem omni tua humanitate liberalitateq; complectare. Vsus es tu quidem aliquando summa in eum benignitate, sed tum cum non tam necesse esset q̃ nunc est, ucipse in tantam doctrinæ spem adhuc ingressus. Caue enim putes quicquam ei istic esse, aut iam multis etiam seculis fuisse simile uel ingenio, uel industria, uel probitate, uel etiam grauitate. Equidem sic de eo pronunciare soleo, ut dicam neq; natura benigniore quenquam hodie uti, neq; cum fortuna duriore conflictari. Quare cum id ei cumulatissime adsit, quod nullius beneficio assequi possit, id autem omnino absit, quod tu ei cumulatissime præstare potes, ne commissum uelis mi Mariane, ut tantæ spei, tantæ uirtutis adolescenti, & quod constat, propinquo tuo, tum deniq; defuisse uideare, cũ ad summam eruditionem, dignitatemq; pleno gradu contenderet. Perueniet enim quo tendit, & si tu paululum modo adiuueris, maiorum nostrorum gloriæ dignum se præbebit. Hoc ut facias uel mea, uel ipsius adolescentis, uel etiam honoris tui causa te tam rogo q̃ tibi nominis Romani dignitatem curæ & esse & semper fuisse certo scio. Ornithiam de litias tuas meis uerbis dissuauiabere, matriq; eius Iuliæ & materteræ Ludouicæ salutem referes plurimam. Bernardinæ uero tuæ etiam me diligenter excusabis. Questa est mecum grauiter de literarum mearum silentio, sed satius puto fuerit, ei rescribere, ne me superbiæ quoq; condemnet, qui per te excusari maluerim, q̃ literis eius respondere. Valebis igitur, et Bussios, Torquatos, Alterios, Salomonios, ac reliquos itẽ communes amicos à me iubebis saluere. Patauij yij. Cal. mart.

CHR. LONG. ST. SAVLIO S.

Ellem eo epistolæ initio tecum agere nũc possem, quo superioribus meis ad te literis sum usus, sed facit dispar tuarum ratio, ut hæ quoq; dissimile principij genus postulent. Scito igitur proximas tuas literas tantum mihi attulisse & molestiæ & doloris quãtum uel mihi dictu sit perdifficile, uel tibi, nisi meum erga te perspectum haberes amorem, creditu non facile. Ergo mihi te, utroq; nostrum uiuo, in perpetuum carendum erit? cuius ex suauissima consuetudine tantum capiebam uoluptatis? tantum in omni genere prudentiæ fructus & utilitatis? Equidem, & si tum ex miserrima horum temporum conditione, tum ex languidiore literarum tuarum significatione aduentui tuo subdiffidere cœperam, fruebar tamen interim quadam inanis spei usura libẽter, sperabamq; aliquando fore, ut expectationi nostræ reditu tuo tandẽ

satisfaceres. Nunc etiam illud, omni præcisa spe, literæ tuæ nobis eripue-
runt. Quo me igitur tandem esse censes animo? Nempe eo, quo esse debeo,
orbatus tali uiro, mihi amicissimo, familiarissimo, iucundissimo. Polus q;
dem noster, non tam eorum commemoratione, quæ à me de ista tua &
uirtute & industria persæpe audierat, q̃ literarum quas tu mihi scripsis-
ses, elegantia atq; prudentia commotus, te unum iam sibi destinarat, qui
cum societatem studiorum coiret sanctissimam regiæ scilicet indolis, &
accerrimi iudicij adolescens te, ex paucis epistolis tuis, quasi Leonem ex
unguibus, totum facile æstimauit, dignumq; quem unum ex omnibus
in omni studiorum suorum ratione comitem haberet & socium indica-
uit. Itaq; cum hunc tristissimum de te nuncium à me accæpisset, magnũ
etiam mihi uisus est dolorem accæpisse, qui se de tanta spe, & ea quidem
unica repente deturbatum uideret. Scis enim qualia hic sint uestri ordi-
nis ingenia, & quibus etiam studijs dedita. Verum ille, quidnam sibi cõ
silij capiendũ sit, uiderit. Ego certe qua una amoris inemoriæq; tui ratio-
ne potero, tecum semper ero, literas partim legens aut expectans tuas, par
tim scribens, aut mittens ad te meas. Hoc enim unum mihi relictum esse
uideo, quo absentis tui desiderium mitigem atq; consoler. Quod si tu, quẽ
admodum ostendis, mecum in scribendo certaris, cum magna me sanè
leuaris molestia, tum uero te amici hominis officio fungi non modo iudi-
cabo, uerum etiam ubiq; prædicabo. Sed uenio ad literas tuas, quas abs-
te non sine cura & angore animi scriptas esse intelligo, nec tamen eiusce
rei causam ullam exponis. Tantũ tibi consilium opus esse significas meũ.
Quod si ita est, ut tu homo prudentissimus sine me deliberare non facile
possis, & tanta res agitur, ut eam literis consignare non audeas, iam uero
absentiam nostram longe mihi grauius ferendam esse uideo, q̃ initio puta
ram. Nam quod ad fiduciarij illius sacerdotij, quo te à Leonte abdicare co
actus es, procurationem pertinet, expectandum tibi censeo, dum uel res
apud Insubres ex Gallorum sententia constituantur, uel Hadrianus noster
uenerit, aut certe rem q; Romanã composuerit. Nec enim dubito quin apud
eum Pontificem ius tuum obtenturus sis, quem iã multis ætatibus unũ,
sine uitio, sine obnunciatione, sine ulla ambitionis uel leuissima suspitione,
summo amplissimi collegij consensu, sacris nostris omnibus præfectũ esse
Antistitem, omnes & prædicant & admirantur. Ego id profecto diuini-
tus factum arbitror. Placeet tamẽ interim, ut istic ad pontificias aliquot ta-
bulas testere inuitum te, et metu Leontis adductum monasterij illius pro
curationem tum deposuisse, nunc autem constitutum tibi esse, ut primũ
ius dici Romæ cœperit, recuperatorio iudicio experiri. Hæc cautio etiam
si minus necessaria est, opus tamen est, & ad uitandam tacitæ consensio-

nis suspicionem hoc tempore non inutilis. Sed hæc tu spero melius, uel tua, uel istorũ consultorum prudentia fretus. Vale. Patauij 7. No. Mart.

CHR. LONG. M. ANT. FLAMINIO S.

Gnosce, quod qui antea solitus sum mea sponte tibi scribere accuratius, nunc disertissima abs te prouocatus epistola responde, am negligentius, perturbato enim hæc scribimus animo. Turbarũt autẽ nos Sauli nostri literæ, quibus ille mihi spem reditus uestri ademit omnem. Vix credas q̃ id moleste feram, quantoq; uestri desiderio nũc ardeam, qui (fatendum est enim) digressum à me uestrum haud ita grauiter tuleram. Nimirum maturæ uestræ confisus reuersioni, nec dum satis animaduertens quantam uobiscum suauitatem à me dimitterem. Iã uero me & res & tempus docuit, quantum in eo amiserim. Auget hunc meũ dolorem, stultitiæ meæ recordatio, qui id consilij proficiscenti Saulio dederim ut istic potius q̃ hic. Quod et si ne tum quidem mihi erat iucundum, habendam tamen maiorem illius rationem putaui q̃ mei. Ita cum absentia uestra, tum uero etiam magis consilij mei insania torqueor. Nam istic bellum exortum est, hic in summo uiximus ocio. Sed huic dolori meo, si minus frequentes à uobis literæ, tempus quidem certe ipsum, atq; noua nostra necessitudinum coniunctio, ut spero, medebitur. Nunc ad literas tuas, ex quibus cognoui eas, quas uobis superiore mense misi ad iij. Cal. Febr. istuc nondum fuisse perlatas, atqui his ea complexus mihi uideor omnia, quæcunq; de uitæ ac studiorũ nostrorum ratione cupis intelligere. Quare eas eodem exemplo uobis mittendas putaui. Constituti uero abs te ocij tui consilium ita mihi probatur, ut eo tibi nomine etiam ualde gratuler, sed bona mehercule fide, non autem queẽadmodũ tu, qui mihi uere & iure optimo gratulatus, quod ad nostros homines summum peruenisset imperij ius, summus pontificatus, nescio quid etiam de eloquentiæ principatu adiunxisti, quem quidem in hominibus nostris non sanè uideo, nisi tu fortasse illi τῆς μωρίας ἐγκώμιον, aut etiam Silenis Scarabeisq; nostris tantum in eo genere tribuis, ut perfecti oratoris imaginem ab amico nostro effictam atq; expressam putes. Quod si ita est, est etiam quod te uehementer pudeat, qui eloquentiam uestram non tam uberiore ulla rerũ uerborumq; copia, quàm insigni illa Bataui oratoris stultitia uictam esse fateare. Sed nunc iocari præ stomacho non libet. Vacuo animo scribam liberius & diligentius, itemq; de Luteriana causa, quod degustes, fortasse tibi mittetur aliquid. Vale. Patauij. 7. Non. Mart.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Llatæ mihi sunt heri à Steph. Saulio literæ, ex quibus intellexi fasciculum illum, quem ad te, ut Genuam mitteretur, proxime dederam, ei ad iij. Calen. Februar. nondum fuisse redditum, ut illum omnino aut intercæptum esse, aut tabellariorum negligentia amissum suspicer. Nam perscriptores tuos accusare non audeo, qui si mea causa parum uellent, imperio certe mouerentur tuo. Itaq; da, si me amas operam, ut illi etiam nunc descriptus fasciculus, ad eum omnino perferatur. Quod tu per literas tuas mutui inter nos officiorum certaminis contentionem tam auide accipis, est id mihi pergratum, perq; sane iucundum. Tu modo uide, ne dum me officijs tuis uincere contendis, nimia cupiditate prolabare, hoc est ne me fortunis spolies omnibus, quem industria tua mirifice locupletatum cupis. Scis eo consilio istam à nobis negociationem institutam esse, non quo rem augeremus, sed ut Platonis et Democriti exemplo, in hac peregrinatione ocio nostro præsidium aliquod pararemus. Sit quæstus igitur minor potius dum tutior & crebrior, q̃ cũ aliquo periculo fructuosus & rarus. Mare q̃ sit insidum, uides. Terras hodie pene omneis partim bellorum incendijs, partim militum latrocinijs infestas esse non ignoras. Istic q̃ certa sit fides, nescio. Sed sus Mineruam, qui hæc ad te, ac sum etiam profecto timidior q̃ mihi per te liceat, quare quam rationes nostræ cautionem postulent, tute uideris, qui unus omnium certe uides plurimum. Ego enim, siquidem tu, ut ostendis, istius tuæ industriæ fructum honore metiere, eum tibi habebo, quicunq; ex studijs nostris proficisci poterit, honestissimus atq; uberrimus. Et quoniã de Fr. Philelpho tam multa in literis tuis, equidem cum dixi coniunctionẽ nostram multo clariorem fore ea causa, quæ illi cum Nicol. Grimoaldo Cebæ auo tuo fuisset, Philelpho me comparare tum nolui, cuius quidem eloquẽtiæ, atq; doctrinæ tam facile cedo, q̃ tu auum tuũ cũ litterarum nostrarum studio, & totius uitæ splendore iam exæquasti, tum uero exquisitiore quadam, & mea etiam sententia expeditiore negociandi ratione lõge uicisti, qui istic in summo ocio ea & tractes & assequare, quæ ille ut conficeret, ab Italia procul ad extremam senectam uixit, non Græciã modo & Thraciam summis difficultatibus peragrans, sed maximis etiam periculis Syriam, Armeniam, Persidem, Arabiam, ac reliquas Orientis parteis percurrens. Cum igitur de necessitudinis nostræ claritate illa scriberem, non tibi immortalem posteritatis memoriam pollicebar, hoc enim promittere arrogantis esset hominis, atq; haud scio an etiam multo stultissimi, sed id significare uolui, pluribus à me necessitudinis nostræ uestigia/

gia monimentis impressum iri, q̃ is aui tui nomen nobis commendasset. Scis enim unam tantum & alteram ad Cebam nostrum extare epistolam. Sed de his alias, nisi hæc potius ipsa nimis multa. Verumtamen me pupugit longa illa literarum tuarum de Franc. Philelphi, & Christ. Lõgolij eruditione disputatio. Egnatius noster quid iam habeat animi, ne scio. Tribus à me ad rescribendum honorificentissime inuitatus epistolis, ne schedulam quidem adhuc, nec literam. Nihil, inquies, de Villanouano explicat. Ne tu quidem ipse, attamen scribis. Equidem malim causam initio non suscepisset, aut etiam omnem eius cogitationẽ postea abiecisset, q̃ me literarum suarum expectatione tam diu suspendisset, Sed ei posthac molesti non erimus, ne in scribendo quidem. Vale. Patauij. y. Non. Mart.

CHR. LONG. BAPT. EGNATIO. S.

Misit ad me literas tuas hodie Romulus Amaꝫæus, iucũdas illas quidem mihi & expectatas, sed eo sanè tempore ãte scriptas, cum hic de Villanouano iam confecissemus. Collocatus est enim a nobis apud adolescentem quendam cum honesto in primis loco natum, & optimis deditum studijs, tum eo etiam fortunæ splendore ornatum, & sic erga Villanouanum animatum, ut utriq; optime consultum arbitremur. Quamobrem cum iam nihil est qđ eius causa labores, tum uero tibi & meo & ipsius Villanouani nomine gratias ago q̃ possum maximas, non de eo solum, quod mea causa in eũ contulisti & studij, & officij, sed de tua quoq; ad eum suscipiendum, si res coegisset, uoluntate, quam mihi per literas tuas humanissime, atque liberalissime detulisti. Equidem, & si domo tua non est usus, tamen quia eam illi patere uoluisti, perinde me tibi astrictum iudico, ac si apud te uixisset. Quod autem in interiore tua epistola grauiorem te mihi aduersarium constituis, q̃ ij fuerint ipsi, qui me Romæ indignissime diuexarũt iocaris in eo tu quidem acute, nec amice minus q̃ opportune, qui nunc deniq; lite secundum me à Senatu P. Q. R. honorificentissime data, in capitis iudicium me tam longo interuallo retrahas, & unus ex omnibus iugulum hostiliter petas meum. Sed nihil agis. Veritas multorũ gladijs peti potest, iugulari non potest. Nec enim, quod tibi quasi telum acerrimum sumis, ingratus in patriam uideri possum, qui me Machliniẽsẽ semper & ubiq; sum professus, eaq; de Maclinia ornamentis & tum pdicaui, & postea scripsi, quæ perpetuo meæ i patriam charitatis testimonio fore non despero. At Gallus uideri mauis q̃ Germanus. Ne istius quidem unde coniecturam ducas, uideo. Tu quidem certe nihil affers, cur

icti ratione addidisti, tametsi nihil ego à Caribus illis bona fide actum iri puto. Nolim ita fit, sed mihi insignem aliquam cladem, non tam hostiũ uirtute q̃ Alpinorum auxiliorum perfidia Franci accepturi uidentur. Consilia Prosperi Columnæ eadem planè esse iam suspicabar, quæ tu prudenter auguraris. Est enim minime stultus, neq; in subeundis periculis nimium audax. Aliquid fit omnino oportet, quod eum ad perferenda obsidionis incommoda adduxerit. Sed hoc propediem res ipsa nos docebit, quæ quidem diu duci non potest. Noua ista alea ratio planè nostra est, & à nobis Loteria, quasi uascul ariam dicas, appellatur, ab argenteo scilicet uasorum ad abaci ornamentum apparatu, qui ita inter eos, quorum in sortem coniecta sunt nomina, distribuitur, ut cuiq; aliquod uas obtigerit. Quod autem eo ludi genere te minime delectari significas, nec committendum putasti, ut pecuniam tanto periculo exponeres tuam, agnosco prudentiam & tuam erga me beneuolentiam, q nihil de rationibus nostris statuas, quod non sit periculo uacuum. Marcilio uelim res ista bene & feliciter eueniat, quanquam uereor, ne, si ex animi nostri sententia ei ludus procedat, ita superbiat, ut nos contemnat. Sin damni aliquid faciat, ne iratus taceat, aut certe tristius q̃ expectamus rescribat. Tu modo da operam, ut de exitu negocij primo quoque tempore fiam certior. Sic enim ad id quod scripseris, literas meas accommodaro. Vellem in aliud tempus literæ tuæ incidissent, agerem tecũ subtilius. Nunc cum & Egnatij literis responderim, & hylaribus hæc ipsa scripserim, plus mihi fecisse uideor, quàm mihi per genialis huius diei hylaritatem liceret. Vale. Patauij. iij. Non. Mart.

CHR. LONG. ROGERIO BARMAE. S.

Pudet me qđ cũ rarissimas ad te dè literas, nullas ẽt mittã nisi cõmendatitias, sed cũ nihil ferè ẽ qđ scribã aliud, tũ uero tua in me beneuolentia uel hic tã nota ẽ, ut si cui uel authoritate uel potestate tua sit opus, is p me potissimũ tibi cõmendari uelit. Ego autem, & si ea te æquitate atq; animi cõstantia præditum esse exploratũ habeo, ut gratiæ locus apud te non sit, quiquid res ipsa, & causa postulet, nõ qđ homines cupiant pro singulari tua prudentia atque iustitia animaduertere soleas, tñ interdũ facere nõ possũ, qn necessarios meos hoc officij genere prosequar, eos præsertim, quos nec amicitia nostra indignos, & salua dignitate atq; fide tua abs te iuuari posse confidam, ut hoc maxime tpe. Narrauit enim mihi Leonardus Pomarus medicus, quid Lugduni Petro Pomaro filio suo accidisset, quem quadruplatorum delationibus oppressum, & in uincula coniectum, istuc tandem indignissime raptum

esse diceret, capitis apud uos dicturum causam, non de ullo qui dem suo scelere illum, quem læsæ religionis nemo insimularet, sed quod patrem suum impietatis falsò accusare noluisset. At qui nihil necesse est, omnia ut hic commemorem. Notam enim tibi eorum causam esse scio, q̃q̃ ut pater ipse tibi satis notus sit, uereor. Est autem uir planè bonus & doctus, & in ea quam profitetur, medendi arte longe peritissimus, mihi uero tum his de causis, tum quod ad me amandum iam olim accesserit, sanctiore quodam necessitudinis uinculo ita coniunctus, ut ad meum erga ipsum amorem nihil omnino addi possit. Ac quando in caput absentis patris, miser istic torquetur filius, bonaq; eius quasi hominis indicta causa impietatis damnati, publice iam possidentur, dicam tibi uere & ex animo quid de hominis sensu atque religione non nunc primum existimarim. Sic enim habeto, tam longe mihi semper abesse Leonardum ab illa Hispaniensi superstitione uisum, ut eum etiam cum primis optime de Christiana pietate persuasum iudicarem, quam quidem in sententiam fui adductus cum singulari hominis doctrina & probitate, tum uero quotidianis & accuratis eius sermonibus, quibus mecum ille & Lugduni persæpe, & Venetijs ita semper est usus, ut ipse me præ illo in Christianis literis rudem, in persuasione nostra etiam si non repugnantem, aut barbarum, tardum certe & duriorem esse arbitrarer. Neque uero me fugit, q̃ non sit temere de pia alterius uoluntate pronunciandum, ne ex uultu quidem, aut ex oratione ipsa, quæ & si quædam est animi imago, sæpe tamen mentiri potest & fallere, sed multo sanè est arrogantius & periculosius homini Christiano, solis suspicionibus commoto de nefaria ciuis sui cogitatione iudicium facere. Iesus quidem Christus ipse se unum occultæ hominum impietatis & iudicem esse uoluit & ultorem, grauissime ijs etiam minatus, qui de huiusmodi causis quicquam statuissent, nec eas ad se totas, integrasq; reiecissent. Nam quod Lugduno profectum esse Leonardum calumniantur, ne ei dies eo nomine diceretur, qui quidem aliquot ante annis, grassante illic sæuissima peste, discessit q̃ in hoc hominũ genus inquiri cœptum esset, num tamen continuo impius sit, si cum temporum nosset ratiõem, nec se mediocri ardere nesciret inuidia, quod & Hispanus esset, & locuples haberetur, sordidissimorum quorundã, & tamen gratiosissimorum hominum, à quibus fortunas suas certa iam spe deuoratas esse intelligeret, calumnijs sese subtraxit, atq; mature eripuit? Addunt delatores eius id, quod extra Hispaniam Hispanis penè omnibus uulgo obijci, & quod grauissimũ est, temere etiam credi uideo. Eiusdẽ criminis reum ex Hispania illũ iã pridem profugisse. Quod ipsum si tam uerum esset q̃ certe falsum est, esset tamen, mea quidem sententia, ini

quum, tanto preſertim interuallo, externis eñ præiudicijs damnare, eius in primis gentis, cuius ipſe odio in inuidiam ac periculum nunc uocaretur. Non enim ignoras totam iſtam cauſam inde pendere, quod in Hiſpania ſit natus. Sed fuerit ſanè uel publico iudicio & iure illic damnatus. An illi in huiuſmodi crimine, inter homines religioſiſſimos poſtea pœnitere non licuit? Profecto enim multis in Gallia annis uerſatus ſic uixit, ſic liberos Lugduni procreauit, ſic eos in iſto ſtudiorum domicilio, optimis & artibus & moribus inſtituēdos curauit, deniq; ſic ſe erga omneis geſſit, ut cum alios pleroſque homines prudentiſſimos atq; ſanctiſſimos ad amicitiam ſuam adiunxerit, tum uero etiam Iac. Fabrum, & Car. Bouillum uiros ſumma uirtute, atq; maximarum rerum ſcientia ornatiſſimos, ita ſibi deuinxerit, ut eum illi dignum iudicarint, quem immortalibus ſuorum ſcriptorum monimentis poſteritati commendarent. Ac uide mi Barma ꝗ̃ inique & præpoſtere eorum hodie imitemur mores, ꝗ Chriſtianos homines quondam proſcriberent. Dabant illi operam, ut quicunq; Chriſtiani numerarentur, non modo ſpe ſalutis, ſed etiam magnis propoſitis premijs ad priſtinam impietatem reuocarentur. Nos uero eos qui recte & nobiſcum ſentiunt, ad eiurandum Chriſtum ipſum cogimus. Profitentibus quidem certe illis ſe Chriſtianos eſſe, non credimus. Deteſtantes impietatem, quæſtioni ſubijcimus, tormentorum ui coactos fateri, hoſtium numero habemus. Apud illos, ſi quis uerbo Chriſtianum ſe negaſſet, ſtatim dimittebatur. Apud nos nec Chriſtianæ pietatis profeſſio nec ulla actæ uitæ innocentia ad diluendum impietatis crimen ſatis eſt. Adeo quædam hominū peſtes uel ſuſpicionibus ſuis ſcelerate īdulgent, uel etiam alienæ auaritiæ turpiter crudeliterq; inſeruiunt. Sed quid ago? cauſam hominis, & uehementius quidem ago, cuius modo religioni teſtimonium apud te per literas dare conſtitueram, & filiū tibi commendare, quem iſtic ex uinculis cauſam miſerabiliter dicere, audio. Commouit me ſcilicet rei indignitas, ſimul & illud ueritus ſum, ut ſi ī re minime uulgari & tanta, uſitato literarum genere eſſem uſus, ne tu hanc meam commendationem uulgarem duceres. Itaq; ſi quid unꝗ̃ mea cauſa uoluiſti, ſi me uirum bonum, ſi minime in rogando ambitioſum, ſi alieni ingenij exiſtimatorem non ſtultum eſſe putas, peto nunc à te, primum, ut tibi ꝑſuadeas ſic me de Pomaro patre ſentire, ut de eo, qui de perſuaſione noſtra ſentiat optime. Deinde, ut filium eius adoleſcentem optimum, & qđ conſtat, non ulla quidem ſua culpa, ſed pietate potius & patris fortuna calamitoſum, ſaluum eſſe, & incolumem per te uelis. Hoc ſi feceris cum ego te hominis planè Chriſtiani officio perfunctum eſſe iudicabo, tū abs te beneficium apud homines humanitate tua dignos & memores præ-

clare positum esse tibi præstabo. Mihi quidem ipsi gratissimum feceris, qui Leonardi Pomari causa omnia tũ uelle, tum cupere debeo. de rebus meis quod tibi scribam, habeo prorsus nihil, nisi me in summa suauissimi atq; hõestissimi ocij facultate studijs meis hic perfrui, ea nimirũ spe atq; mente, ut ista à me omnia non temere esse relicta homines nostri aliquando intelligant atq; cognoscant. Vale.

CHR. LONG. PETR. BEMBO. S.

n

On dicí potest, quãta me hodie Flauius Chrysolinus uoluptate affecerit, prorsus ĩcredibili. Confirmauit enim mihi ex Colæ nostri literis, depulsum esse abs te ueterem istum, et difficillimum morbum. Equidem et si superioribus diebus audieram, primum, quartanæ frigus à te prorsus discessisse, deinde, calorẽ q̃ leuissime accedere, postremo hunc quoq; reuerti desysse, ita ut et tu omnium sentẽtia febri omnino careres, & ego ipse mihi his timoribus atq; molestijs, in quibus propterea menses octo iacueram, planè liberatus uiderer, quia tamen longiore circuitu febres interdum redire, atq; omnẽ uim morbi in septimanam, aut in decumanam etiam conuerti posse ex medicorũ libris didiceram, nullam sum adhuc ausus literis meis gratulationem cõplecti. Nunc autem cum iam bis, ac, nisi me dierum fallit ratio, etiã ter nulla in diem tuum λῆψις incurrerit, sic ut partim diligentia, atq; temperantia tua, partim ipso anni tempore, & clementissimæ huius tempestatis beneficio recuperatam esse ualetudinem tuam mihi persuadeam, faciundum putaui, ut meis tibi literis, q̃ ista mihi res grata esset ac iucunda, statim significarem. Scio equidem mihi non necesse hoc esse apud te, qui pro mea tibi iam pridem perspecta & cognita erga te obseruantia id iudicatum habeas & exploratum, sed meo sanè gaudio aliter satisfacere non queo, nisi lætitiam meam per literas tibi quò quomodo deferã atq; declarẽ. Quare cum tibi etiam atq; etiam gratulor mi Bembe suauissime atque charissime, tum uero deum immortalẽ precor, ut te saluum & incolumen nobis in perpetuum, conseruet, &, quando huc iam diu spectas, Patauij te propediem firmum atq; ualentem sistat. Vale, Patauij. xiij. Cal. Apr.

CHR. LONG. HIERONYMO SAVORNIANO S.

u

Enit ad me hodie Constantinus tuus, qui cum me & tuis et suis etiam uerbis sanè q̃ liberaliter salutasset, multaq; à me tum de studijs, tũ de rationibus tuis familiariter rogatus pemodeste ac ingenue respondisset, uisus est mihi adolescens, ut nihil dicam aliud,

te tali ac tanto patre multo dignissimus. Tu uero quod in me tã officio-
sus es, ut nostrorum neminem huc unquam dimiseres, quin mihi ab eo salu-
tem tuo nomine impertiri uolueris plurimam, est id quidem mihi appri-
me gratũ, nec ab ista tua singulari humanitate sanè alienũ. Nam qđ me
ad Asopũ tuũ inuitas, currẽtem, ut aiunt, tu quidẽ incitas, feror eni istuc
iã diu mea sponte, tum ut cõsuetudine tua, quam unâ ex omnibus facio
plurimi, per ociũ aliq̃ndo fruar, tũ ut arcẽ istã, quã tua uirtute atq; animi
magnitudine defensam in omne tẽpus nobilitasti, uisam et spectẽ, sed ni-
hildum animo meo morem gerere potui, neque uero id ipsum tam pro-
pter institutam studiorum meorum rationem, quàm nulla peregrinatio-
ne conturbari libenter uellem, q̃ quod idoneum ad hoc iter uel ducem uel
comitem adhuc non sim nactus. Nunc uero cum Bembus etiã noster istò
spectare uideatur, sic enim de filio tuo audio, non committam ut is sine
me ad te ueniat. De reliquo, dabitur à me opera, ut istius tuæ erga me uo-
luntatis, ne te unquam pœniteat, quanquam enim ea fortuna mea est, ut
tecum, istius splendoris uiro, paria facere non queam, officio quidem, &
studio certe, & amore tecum ita certabo, ut in eo amicitiæ genere primas
haud quaq̃ laturus esse uideare Vale. Patauij xiij. Cal. Apr.

CHR. LÓNG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Ihil tã præter opinionem meam adhuc accidit, q̃ ut in tanta
n tabellariorũ copia, loco tam propinquo, tot nouis in dies singu-
los istuc allatis rebus, literas tam diu desiderarẽ tuas. Alter cer-
te ẽ hodie & uigesimus dies cum nihil abs te, qui me cum alijs de rebus
erudire potuisti multis, tum uero quid uel lucri uel damni sortes istæ Mar-
cilio nostro attulissent, diligenter docere. Hoc enim ut faceres posteriori-
bus meis ad te literis nominatim petieram. Itaq; quando tu tacendi finẽ
facis nullum, ego scribendi faciam initium, neq; me pudebit à te taciturr-
nitate uinci, modo te literarũ mearũ officio uictum esse fateare. Scis enim
cum mihi tecum initio conuenisset, ut ego ad duas epistolas tuas, septi-
mo quoq; die una responderem, rem contra omnino cecidisse. Tu enim ad
binas meas literas, uix singulis, idque maiore etiam interuallo, rescripsi-
sti, cum tamen tibi Italica lingua multo sit uti facilius q̃ mihi aliena et la-
tina. Scilicet nihil est quod scribas, tanto ardente bello Italia, tanto in In-
subribus partium conatu. Nam ualere te, ex multis qui istinc uenirent e t
tecũ multũ fuissẽt, nuper didici. At eni summis occupatiõibus distrĩgeris. De
hoc ipso ẽt Gallos illos homines cũ accurate pcũctatus eẽm, ociosum te et
admodũ hylarẽ uisũ à se affirmarũt. Reliquũ ẽ, ut i eos culpam cõferas
oẽm, q epistolas accipiãt, nec ad me pferãt. Veli ita sit. Nihil. n. nimus uolo

CHRISTOPHORI LONGOLII EPISTOLARVM, LIBER QVARTVS.

CHR. LONG. MARIANO CASTELLANO. S.

d Vodetriginta circiter diebus ad ſuperiores tuas literas reſcripſeram, cum alteras à te accæpi, ſed eodem penè exemplo datas. Tantum enim in his modo de ceſſatione mea quereris, de qua me tibi iam ſatis purgatum arbitror, ſiquidem proxima mea ad te epiſtola, tibi ē reddita. Panegyricos tuos uelim luculentius & accuratius deſcriptos mihi mittas. Quos enim habeo, ne ipſe quidem eos poſſum legere aut etiam itelligere, adeo ſunt mendoſi, & ruſtica neſcio cuius librarij manu, non tam deſcripti q̃ diſcerpti ac planè corrupti. Nam ut omnium, quas ad te et Lælium maximum dedi, litterarum exempla mihi curares, tecum ſæpe egi, nec quicquam adhuc profeci. Quare cum id quoque diligenter curabis, tum uero Lælium ipſum cohortaberè, ſi quod mittat, non ſit aliud, hoc ipſum ſaltem ut ſcribat, qui ſit hoc tēpore Auguſti noſtri uultus, quæ oratio, quænam iſtic de Hadriano noſtro expectato, quæ hominum opinio. Hic enim certe nobis de ipſo pollicemur omnia, quē iam multis ſeculis unum rite atq; ordine, ſine ullo omnino uitio Pont. Maximum factū eſſe omnes prædicant. In eius Pontificatu omnes à me ſpem poni uolunt, nec equidem habeo nullam, ſed non tantam, quantam uulgo uideor debere, non quin apud illum uel commune ciuitatum noſtrarū uinculū, uel linguæ ſocietatem, uel quandam literarum coniūctionem, uel patris mei memoriam, uel etiam quod ipſe apud Philippum Caroli Cæſaris patrē puer uixerim, ualiturum putem plurimum, ſed quod id haud ita laboro, qui, ut probe noſti, cum incredibili quodam tenear ocij & literarum ſtudio, tum etiam ſi minus natura, iudicio quidem meo, & ratione quadam ab omni regali comitatu abhorream. Sed ueniat in Italiam modo. Tum enim quid nobis capiēdum ſit conſilij uidebimus, ac tecum etiam deliberabimus. Bembus noſter etiam nunc Venetijs eſt, nudius deniq; octauus longa illa & graui quartana liberatus. Simulatq; ſe ad nos contulerit, quod quidem paucis diebus futurum ſperamus, ſalutabitur à me tuis uerbis diligenter, quod item officium tu, in referenda Petr. Caſarello ſalute, mihi uelim iſtic præſtes. Quæ apud Inſubres aguntur, quæq; ſunt acta, multorum ad uos literis & nuncijs perferri non dubito. Quid autē futurum ſit, propter incertos bellorum exitus, dictu eſt difficile, ſed tamen res in proximum diſcrimen uidetur adducta. Nam neq; Mediolani ma-

gnos esse commeatus intelligo, neq; eo sunt Galli ingenio, ut assidendo q̃ pugnando malint uincere. Ita fore suspicor, ut alteri fame coacti, finiendi belli cupiditate alteri de summa rei prælio decernere festinent & appro perent. Quod si continget, lugebit, mihi crede, uictor, unus autem commu nis omnium hostis Turca triumphabit. Vale. Patauij iiij. Cal. Apr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Vm mihi antea minime satisfaciebat Marcilius, quod nihil ad literas rescriberet meas, tum uero lecta epistola tua, ei grauiter succensui, quod ipse idem marum ad me literarum cursum tam diu impediuisset. Quid quæris? dabit mihi pœnas. Nondum dico quas, aut quando, sed dabit tamen opinione sua & citius & grauiores. Ipsum non scribere toties inuitatum. Eundem tibi scribere cupienti, esse impedi mento. Neutrum impune feret, idq; uelim ei meis uerbis denuncies, ex tra iocum. Tu posthac non quid alij cupiant, sed quid ego à te expectem, fac cogites, expecto autem septimo ad summum quoq; die tuas literas, et ut nihil magnopere sit quod scribas, q̃q̃ hæc eiusmodi sunt tempora, ut epistolæ argumentum tibi deesse non possit. Sed de his nimium, & sæpe, & multa. De rep. Hadrianus igitur noster in ultima adhuc est Hispa nia. Atqui maturo eius aduentu fore sperabam, ut si minus pax oriretur, bellum certe ex Italia depelleretur. Scis enim quantum is apud Cæsarem & gratia ualeat, & authoritate, apud Gallos sanctitatis opinione, et Pō tificatus maiestate. Profecto si quis est, qui extorquere arma possit ex mani bus iratorum Regum, Hadrianus noster est, qui cum pacis sit cupidissi mus, & uir omni laude ornatus, tum uero ea est & potestate & autho ritate præditus, ut eos ipsius arbitratu arma depositruros esse non desperē. Sed aduentu eius opus est, & in ipso Pontificatus domicilio Romæ com moretur oportet. Vix enim credas quantum transalpinæ gentes urbis no mini & dignitati adhuc tribuāt. A principibus istis omnes teneri, & iādiu tritas esse pecuniæ uias sciebam, tā immanem istic existere ambitū planè nesciebam. Sed hoc commune est rerum omnium publicarū uitiū. Instruendæ classis consilium ualde probo, nec quid tamen quadraginta triremes aduersus trecentum profuturæ sint, uideo, non sanè magis q̃ qui obsidionis illius futurus sit exitus, q̃q̃ si uera sunt quæ scribis, Cæsariani Gallis neq; opibus, neq; copijs cedunt, & sunt ipsa populorum beneuolē tia munitiores, ac ducum suorum prudentia, uigilantiaq; multo superio res. Gallos equitatu, & militum genere firmiores esse audio, et ad dimicā dum paratissimos, quibus se tamen initia parū prospere dederunt, amissis uno balistæ saxo, duobus simul clarissimis uiris M. Antonio Columna,

ēt Camillo Triuultio.Omnino uix tanti Gallis esse debuit Prosperū ipsū
capere,& Mediolanum expugnare,ut illis in tanta talium uiroꝝ penu
ria,& alienissimo tempore tam misere spoliarentur.Ego quidem ipse Co
lumnæ Interitum grauius tuli,quā eoꝝ quisquam sibi facile persuadeat,
qui eum male de me meritum esse non ignorant. Aduersatus est ille qdem
causæ nostræ Romæ,sed neq; tam uehementer q̄ potuit , neq; tam ullo ma
iore conatu,q̄ nominis sui authoritate atq; gratia, quā quidem apud Po.
Romanum labefactatum iri putauit,si quod mihi pollicitus erat,causæ no
stræ patrocinium suscæpisset.Itaque ut tum eius ambitioni facile ignosce-
bam,sic eius nunc & acerbissimum casum doleo , & qua una mortuis
ratione prodesse possumus,manibus bene precor & exopto. Camillum
Triuultiū Valentiæ quondam salutaui in hybernis, cū grauis armaturæ
equitum alæ præesset,familiaritas mihi cum eo nulla intercessit,sed ea ui-
xit modestia,uirtutis,prudentiæ fama, ut ex eius morte magnū cæperim
dolorem,& theatrum nostrum in perpetuum claudi optarim. Verum
quid agas? non modo libenter & inuitis nobis pugnant,sed nos etiam pu
gnarum suarum spectatores,nec id sine nostro periculo,esse cogunt.
De Io.Medice longe alia hic narrantur.Circumsideri hominē arctissime
Soncini,quo ēt Galli finitimos populos spe diripiēdi copiosissimi oppidi
euocasse dicuntur.Certe hic magna de eo sumus expectatiōe suspēsi.Frāc.
Roborianus bene ī præsens qeti suæ cōsuluit,quod cum Po.Florentino fœ
dus percusserit,sed ut sustinendæ parum grati animi inuidiæ,& erupturo
aliquando Galloꝝ Florentinoꝝ q; odio par sit futurus, etiam atq; etiā
uereor.Eadē est Æstensis Alphonsi causa,quem in tanto belli ardore , qd
presertim eius potissimum causa sit excitatum, ociosum esse non oportuit.
Baleares insulas à Cæsare defecisse huc nihildum allatum fuerat,tantū-
modo Cæsarē in Hispaniam cogitare audieramus , quē tu Bruxellis, si
deo placet,faciundis tum cœnis,tum ludis occupatum esse scribis.Omni
no nihil à principū nostroꝝ ingenijs facit alienū, qui imperij sui rationē
luxuria,uoluptate,licentia definiunt.Nam Lescutum aiunt in Galloꝝ ca
stra cum omnibus suis copijs iā peruenisse incolumem capta in itinere No
uaria,Vigleua,& alijs quibusdā ignobilioribus castellis . Quod autem
is inter scyphos & epulas Apuliæ minatur et Siciliæ et Hispaniæ, agno
sco Gallicam fortitudinē.Sed hæc,tametsi mala,sunt nobis tn̄ iā tolerabi
lia longo usu facta.Illud quod de Turcaꝝ regis terra,mariq; apparatu a-
scribis,plane exhorresco.Nam siue in Italiā,siue in Pannoniā is ueniet,
hoc ē si uincet,uincet.n.mihi crede, mō ueniat,seruiēdū nobis erit,et tur
pissime quidem seruiendū.Veꝝ hoc Deus uiderit,qui quid nobis maxime
expediat,unus & uidet,& dare potest.Habes quod optasti,ad longissi
mam,bene longam epistolam. Vale. Patauij.iij.Cal.Apr.

CHR. LONG. OCTAVIANO GRIMOALDO S.

e

Xpectaui heri die toto auidissime, si quid à te afferretur historia dignum. Eadem in expectatione hodie fui usq; ad horam sextam, quo quidem tempore scis tabellarios munere suo iam esse perfunctos. Quare cum tu nihil adhuc eorum quæ istic, accipe quæ multorum literis et nuncijs confirmata, hic pro certis habentur, atq; illud in primis ipsum. Falsum id esse quod nullo certo authore, sed ex opinione hominum atq; fama de Io. Medice nuper rescripsi. Transijt enim ad Gallos cum equitibus leuis armaturæ trecentis, grauis quinquaginta, militum uero cohortibus quatuor. Causam relinquendæ illi patriæ hanc fuisse aiunt, quod Vidonem Rangonium à Florentino Po. sibi in copiarum imperio prælatum ferre non posset. Nam tres illæ, quæ nuper Mediolano ad eosdem Gallos trāsfugerunt equitum turmæ, eò se extrema stipendij inopia adductos affirmabant. Nouariam in Gallorum uenisse potestatem proxime tibi scripsi, sed tum ui captam fuisse nesciebā, direpta est igitur, & cohortes partim Hispanæ, partim Germanæ tres, quæ illic præsidij causa essent, occidione occisæ. Viui uictoris manus deuenere N. Rusca, & Philippus Torellus eius ciuitatis longe principes, ac Cæsarianarum partium studiosissimi. Vigeuum quoq; expugnatum est, sed nondum arx recæpta, in cuius oppugnatione tormenti pila grauiter ictus Cotinus Martinengus alterum oculum amisit, nec an uulneri ferendo par futurus sit, etiam nunc satis constat. Florentinorum auxilia, laborantibus Mediolani Cæsarianis, nulla uentura existimantur. Sunt enim finitimo bello impediti, ducto in Senensem agrū exercitu, ad comprimendos Borghesiorum exulum conatus, q magnis Ballionum, & nonnullorum item Vrsinorum principum copijs nixi, reditum sibi in patriam moliantur. Alphonsus Aestensis quo Bagnacauallum modo recuperarit audisse te arbitror. Istinc enim id missum est. Mediolanum inter & Ticinum quicquid fuit agri consiti, à Gallis uastatū est, cōpletæ fossæ, æquata omnia, ita ut ab utroq; oppido alterius portā conspici posse affirment. Id eo à Gallis consilio factum arbitror, cū ut si in aciē descēdendū sit, equitatu, quo maxime ualent, commodius utantur, tum uero ne subitis eruptionibus opprimi possint. Non enim ignoras q̄ iniquo castra fecerint loco. Inter duo maxima oppida, eaq; hostiū copijs refertissima atque munitissima consederunt. Mediolanū fame urgeri uerisimile est in tanta oppidanorū multitudine, tamque arcte iam diu obsesso oppido, ut nihil, nisi furtim importetur. Consilia Prosperi quæ iā sint, exputare non queo, presertim cum & Heluetij ex animo res

Gallorum iuuare uideātur, nec subsidij spes ulla circunscisso ex Germania ostendatur, nec re frumentaria Galli tā anguste, q̄ initio nūciatū est, utantur. Huc accedit q̄d pacificator Britannus à Gallo paucorū mensium inducias iam postulat, quo commodius de compositione agatur. Id ego sic interpretor. Summis difficultatibus, atq; rerum Italicarum desperatione adductum Cæsarem nostrum, inducias per Britannum tentare. Sed nihil, scio, impetrabimus. Nec enim tā stulti sunt Galli, tametsi stulti, quin quo ista spectent, aperte intelligant. Vereor etiam ne nos irrideant, qui nos huiusmodi nugis aliquid profecturos speremus. Omnino aut nouis auxilijs opus ē, ijsq; pr̄ntibus, aut præclara aliqua simul qua Ticino, qua Mediolano eruptione. Tertium nihil uideo, nisi fœdam, omni consumpto commeatu, deditionem, aut certe fugam, qua iam sibi nudius quartus aliquot Prosperi turmas ægre consuluisse audio. Nam Rheti & Vindelici, quos secum Barrianus adduxerat, sensim dilabi dicuntur, & in Germaniam reuerti. Barrianus quidem ipse quasi spe & animo fractus, se iam Placentiam recæpit, inde Mantuam cum eius ciuitatis principe petiturus. Quæ si uera sunt, non modo meliore loco res Francorum sunt, sed nostræ etiam planè deploratæ ac perditæ. Hadrianus noster cum priuatas ad multos, tum ad ampliss. collegium literas publice misit, quibus uerecunde, dubitanterq; scriptis, ad extremum tamen significet, susceptam esse à se Romani sacerdotij procurationem, neq; sibi quicquam fore antiquius q̄ ut primo quoq; tempore ad gerendum Pontificatum in Italiam, Romamq; ueniat, oneraria Venetorum triremi usurus putatur, quam ad Cantabriæ littus nescio quomodo appulsam, præsidio suo instruxerit, & ut circumacta Hispania sibi Barcinone præsto esset imperarit. Equidem pro mea in eum beneuolentia mallem pedibus ueniret, q̄ se maritimis periculis & iactationibus id ætatis homo obijceret. Per Narbonensem prouinciam & tutius & honestius iter facturus mihi uideretur, nec ullam abalienati Francisco animi suspitionem daturus. Mare q̄ à prædonibus Gallis sit infestum, cum aliæ ab eis intercæptæ naues plurimæ declarant, tum uero duæ illæ maximæ, quarum altera superiore autumno cum omnibus Valentinæ nobilitatis reliquijs, opibusq; capta est, altera nuper, cum principibus Hispanis uiris duodecim, qui ad gratulandum Hadriano nostro in Hispaniam proficiscerētur, qua etiam uehebatur fœlix ille Iulij Medicis arcanorum consiliorum omnium scriptor, de quo tu quoq; ad me proxime. De Marcilio. Incidi nuper in epistolam quandā Egnatij nostri, qua illum raræ probitatis uirum appellat, ego uero raræ etiam humanitatis, & si tacere pergat, nullius officij hominem ipsum esse indicabo. De elephanti Barritu aliquid à te expecto. Vale.

Patauij yij. Id. Apr.

autem non grauissime ferre non potest, quod præter damnatæ sectæ ignominiam, & in absentis etiam fortunas quadruplatores iam inuaserint, et in suū caput de filio suo acerbissime istic quæratur. Ac filium quidem qui in Gallia sit natus, atq; Lugduni sancte institutus, tum ipsius probitas, atq; innocentia, tum uero illa, quæ in eius ore elucet gallicæ liberalitatis simplicitas atq; facilitas, facile ab isto crimine uindicabit. De patre uero, quem tibi minime cognitum esse reor, sic tibi uelim me authore persuadeas, uirum esse planè bonum illum, & doctum, & ab illa, cuius nunc insimuletur, superstitione longe alienissimum. Scio equidem non esse prudentis affirmare de uoluntate alterius, sed si tamen ex uultu, ex oculis, ex sermone, breuiter, si ex longo usu, et consuetudine penè quotidiana cuiusq̃ sensus & mens perspici potest, ausim tibi recipere nihil minus in Pomarium cadere q̃ uanam istam, propter quam nunc in periculum uocatur, superstitionem. Quanquam nisi me fallit opinio, nō tam ulla læsæ religionis suspicione periclitatur, quàm quod magnam pecuniam Lugduni habere existimatur. Nosti etiam tu, quæ sit & horum tempoꝝ ratio, & q̃ impium hodie istic & graue crimen, Hispanum esse atq; locupletem. Sed non faciam, ut te aut istorum improbitatis accuratius admoneam, qui religionis nomine ad quæstum suum sceleratissime abutuntur, aut q̃ ab hominis christiani officio sit alienum, doceam, eos impietatis, non dico damnare, sed omnino insimulare, qui se Christianos esse homines aperte profiteantur. Tantum à te peto, ut si ullam in me fidem esse putas, tantum huic meo testimonio tribuas, quantum de his alicui, qui in Pomari perniciem, uel stultitia, uel cupiditate aliqua occæcatus incumbat. Sic enim certe de ipso existimo, ut de uiro optimo, atq; religionis nostræ studiosissimo. Tum uero illud postulo, ut salua existimatione, atq; religiōe tua, quibuscunq; rebus poteris præsentem filium & absentem patrem iuuare, ijs omnibus eos mea causa diligenter complectare atq; tueare. Nec enim dubito quin uel tu isti quæstioni ipse intersis, uel multos eorum ex quibus consilium istud cogitur familiaritate atq; amicitia coniunctos habeas. Caput commendationis meæ hoc est, ut uel iudicio & beneficio tuo, uel etiā gratia & authoritate tua, qua te in isto ordine ualere plurimum scio enitare, contendas ut Pomari nobis salui atq; incolumes præstentur. Quod si feceris, cum eos uiros optimos atq; gratissimos cognosces, tum uero me ipsum singulari beneficio afficies, qui hac de re tam laboro, q̃ qui uehementissime. Hoc ut uelis te uehementer etiam atq; etiam rogo. De me autem, ualeo dei benignitate, ut cum maxime. Versor autem summa cum uoluptate in ijs studijs, quibus ego nec suauius quicquam nec honestius unquā esse duxi. Vale. Patauij y. Id. Apr.

CHR.LONG.OCTAVIANO GRIMOALDO S.

Rgo non fugam Barrianus meditabatur, sed strategema, illud
e *fuit, quo deceptis noctu hostibus se cum* Prospero *commodius*
coniungeret, ego uero quid ea coniunctio illis profutura sit nõ
*dispicio.*Nam *si dimicandum est,* Gallos *à tergo & à fronte ancipiti præ*
lio distineri fuit satius. Sin *bellum ducendum,* Ticino *eis omnia infestio*
ra reddi potuerunt. Sanè *ne illud quidem mihi probatur, quod ipse cuius*
maxime peteretur caput, rebus adhuc dubijs uel aduersis potius, tanto pe
riculo se in tantum periculum coniecerit. Aut Gallos *planè cæcos esse fate*
amur necesse est, aut omnem eos daturos operam, ut ne is è manibus ela
batur, quo aut in potestatem redacto, aut cæso belli finem sibi statim fore
non dubitant. Quare *non modo omnes præsidiorum suorum exitus post*
hac diligentius custodient, sed maioribus etiam, si res coget, animis depu
gnabunt. Neq; *tamen, si sapient, in aciem descenderint, non quia Mars sit*
communis, sed quod assidendo incruentam uictoriam consequi possunt,
nisi fortasse eorum castra ad extremum oppugnaturi sumus, quod ipsum
à Prospero *minime commissum iri certo scio.* Sed *si* Galli *eo quo dixi consi*
lio, pugnam detrectabunt, qui omni tum copiarum, tum opum gene
re hostibus longe præstant, quid imperatoris nostri prudentiæ relinque
tur loci? Non *tantum, inquies, in* Gallos *homines cadit, uel consilij uel cõ*
stantiæ. Si *ita est, summis utrinq; pugnabitur odijs, idq; inter* Heluetios et
Germanos, *qui de uirtute sua hoc prælio decretum iri arbitrantur.* Quem
porro sit acies habitura exitum dici non potest, sed tamen, nisi quis Pani
cus existat casus, magno uictoribus stabit uictoria. Nam Aethrusci *belli ra*
tionem ab eius, quæ hic instat, pugnæ euentu totam pendere uideo. Ego
certe animi uehementer pendeo, nec quid ad te scribam magnopere iam
reperio, nisi hic uituperari Hispanos *in* Viguanæ *arcis deditione, quod*
cum Italis *commilitonibus suis non minus ac sibi consulere potuissent,*
irati hostis arbitrio eos reliquerint. Nam *de* Alexandria *à* Gallis *recepta*
hic iampridem audieramus. Vale.

CHR.LONG.STEPH.SAVLIO S.

Rancíscum Deuarium Corcyrensem, *cuius ministerio in rebus*
f *domesticis biennium ferè sum usus, tibi unice commendo.* Dimi
si autem illum à me, non quo mihi non satisfaceret operis suis.
Satisfecit *enim cumulate & fide, & beneuolentia, & modestia, & pro*
bitate, sed quod in animo sibi esse diceret Romam *hoc tempore uisere, &*

dum per

dum per ætatem liceret, multorum hominum mores nosse, & urbes, quã quidem in opinionem quocunq; ille modo nunc uenerit, est tamen à nobis in hoc conatu adiuuandus. Quare per mihi gratum erit, si curaris, ut apud uirum aliquem grauem & honestum istic ei esse liceat. Quod ut uelis te etiam atq; etiam rogo. Nunc uenio ad tuas literas, quas hic duabus deinceps epistolis accæpi. In earum priore paululum me recreasti, qui spem reditus tui nobis aliquam atuleris, obscure tu quidem illud, sed (ut opinor) non temere. Itaq; quod me istò uocas, idq; mihi das consilij, quod rationibus nostris sit omnino accommodatius q̃ tuis, agnosco tuũ in me amorem, sed nihil mihi scito usu atq; consuetudine tua esse iucundius, ut ne si istic quidem Pontifex sit Maximus, apud eum malim uiuere, q̃ hic prudentia, & suauitate tua aliquando perfrui. Quare si tu Patauium uenturus es, nulla me hinc profecto ratio abduxerit. Sin minus, cũ Hadrianus noster in Italiam aduentarit, tum aut tecum de eo quod scribis, per literas deliberabimus, aut consilium tibi nostrum statim expediemus. Interea quod prouidendum mihi censes, ne nimium operæ in rẽ minime necessariam conferam, atq; doctrinæ studio abstrahar à rebus agẽdis. Ego uero neq; ingenuarum artium tam sum studiosus, ut eo quidẽ nomine adhuc uituperari à quoquam recte possim, neq; ullam sanè hodie magnopere uideo actionem, quæ literarum nostrarum usui, delectationi, honestati sit anteponenda, nisi tu fortasse in ea es sententia, ut principibus istis seruire, sit hodie remp. gerere, atq; administrare. Sed hoc quoq; ipsum alias. Literas, quas Genua proficiscens mihi abs te scriptas ais, nihildũ accæpi. Brisso mecum erat, cum superiores tuæ mihi sunt Patauij redditæ. Is cum mihi de te alia multa, tum illud etiam, ut domum tuam & rem familiarem sibi patere uoluisses, quod ipsum, & si ab ista singulari tua liberalitate non erat alienum, fuit mihi tamen auditu iucundissimum. Scriptorum eum ex Mutinensi, quemadmodum tibi pollicitus est confido. Nã mihi quoq; ex literis tuis à me appellatus, id se facturum recæpit. De Hadriani ad collegium amplissimum, & S.P.Q. Romanum literarum exemplis ualde te amamus. Respondi priori, uenio ad alteram, in qua illud etiam mihi fuit gratissimum, quod ex consilio nostro omnia prius à te acta essent q̃ literæ meæ tibi uenirent. Ex eo enim iudicaui q̃ consentientibus essemus inter nos sensibus, qui quod ipse hic cogitarem, tu tam lõge à nobis gentium eodem tempore faceres. Nam quod Bẽdinelli fratris tui iniuriam legibus & iudicio persequi statuisti, laudo equidem pietatem tuam, sed tẽporis in eo oportunitatem uehementer desidero, uereor enim mi Stephane charissime ne cum in summa inimicorum tuorum potentia, tum in ista gladiorum licentia tibi non satis tutum sit inermẽ contra ar-

matos contendere. Memento te esse Romæ, & quod me maxime commo-uet, in urbe, quæ non solum sine imperio ipsa hodie sit, sed magnis aduer sariorum tuorum opibus etiam nunc teneatur. Sed quoniã eò res iam à te dedu cta est, ut honeste pedem referre non queas, etiam atque etiam diligenter uideto quantum unicuique uel tuorum committendum sit. Quin aduentu Pont. Maximi omnia istic tutiora sint futura, & tibi etiam æquiora, non equidem dubito, sed ut eo usque saluum te & incolumem nobis conserues, cum tuæ cautionis est & prudentiæ, tum uero diuinæ, opinor, cuiusdam prouidentiæ. Proinde quanti nos facis, uel te à nobis fieri non ignoras, tã-tum (quæso) fac in te custodiendo consilij & diligentiæ adhibeas. Satis maturum & uberem pietatis tuæ fructum tuleris, si saluti tuæ his tempo ribus consulueris. Hector noster mandata ad me tua nulla adhuc pertu-lit, literas tantum Venetijs reddidit. Ex eius sermone scribam ad te accu ratius, siquid modo erit huiusmodi, quod literis recte committi possit. Vale. Patauij. iij. Id. Mai.

CHR. LONG. MAR. ANT. FLAMINIO S.

Hectorem nostrum, qui mihi literas tuas attulit, per ocium non-dum conueni, eo conuento alteras ad te dabo. Interim ain tu periculũ esse, ne Lælio nostro non modo equester census, sed etiã equus adimatur? Atqui censu in eum ordinem à Leonte nostro lectus est, et statim ab eius morte, turmæ, ut audio, præfectus. Sanè nudius decimus ab eo mihi sunt redditæ literæ, quibus non modo tale quiddam mihi uisus est nihil metuere, sed altos etiam illos decurionis spiritus gerere. Sic enim cessationem suam mihi excusat, ut me, quod de ea apud Marianum Ca stellanum per literas queri leuiter sum ausus, etiam acerbissime accuset. Sed hoc nobis humaniter ferendum est, illud autem quod de Alexandri no ascripsisti equite, minime dissimulandum. Hominem nobis tam ami-cum, tam probum, tam doctum, spirantem adhuc & uiuum à scelerato isto Chiromante domi suæ defossum esse. Hoc Lælius uidet, nec cum uni uerso equitatu subuenit, equiti presertim Romano? Nam de agresti illa, in quam sese abstrusurum esse Furnius Molsa affirmaret, spelunca, factus sũ à Brissone nostro certior. Ac de Furnio quidem non ualde sum miratus. Vult enim Furniam suam imitari, quam sese in recẽtem istum Luparum furnum iam abdidisse intelligo. Brissonem ipsum sum miratus eo insaniæ perduci potuisse, ut ab ista hominum luce in solitudinem & tenebras cõ fugeret. Equidem uereor ne tu quoque quasi fatali quodam malo, eodẽ pro-labare, qui à grammatistis istis tam contumeliose sis acceptus, ut ne inter poetas quidem tibi iam quicquam relictum sit loci, qui etiam in disertos

tum fueras numero, & utriusq; generis hominum existimator habebare acerrimus. Sed istuc tua culpa est, qui Academicorum tuorum instituti oblitus, ausus sis aliquid de me certius affirmare non modo q̃ res ipsa, sed istorum etiã aures paterentur. An nescis ab Erasmo nostro laudatos esse Scarabaeos & Crabrones? eosdem à nobis perpetua oratione uituperatos? Quid igitur tibi uenit in mentem, ut me illi non modo & comparares, et aequares, sed etiam asseueranter anteponeres? Ergo aut tibi stilum uertendum est, ne apud istos indoctus habeare, qui cum ignorantiae professoribus iamdudũ uerseris, aut ex Academiae ipsius disciplina commutes orationem, ostendasq; me Erasmo non modo non anteferendum, sed ne conferendum omnino. Quod si feceris, cum tu uoluntates eorum facile recuperaris, tũ uero me magna inuidia etiã liberaris. Sed haec hactenus iocati. Franciscum Deuariũ Corcyrensem, qui has tibi reddidit, uelim à me etiã atq; etiam commendatum habeas. Nam cum mihi ministerio suo cumulate satisfecit, tum ea est probitate, & fide, et pudore, ut tametsi ipsum studijs meis minime accommodatum esse intelligam, tñ inuitus eũ à me dimittam. Caput commendationis meae hoc est, ut tantisper eum suscipiatis & tueamini, dũ aliquid in quo spes sit, istic nanciscamini, quod ipsum nec longum, nec difficile fore spero. Hoc te tam rogo q̃ quod uehementissime. Vix enim credas quantopere laborem, ut mea commendatione, tuo studio, Saulij nostri uel officio uel beneficio rebus suis non male consultum probus adolescens intelligat. Fuisset ad literas nostras uel aetate, uel natura aptior, profecto non tam facile à nobis discessisset. Reliqua enim indoles eius ita mihi probatur, ut nihil supra. Vale & communes amicos à me saluere iube. Patauij iij. Id. Mai.

His scriptis, necdũ datis, accepi à Mariano literas, ex quibus cognoui qđ Molsae nostro istic accidisset. O casum acerbũ. Ait ille q̃dem à medicis hominem nondũ esse deploratum q̃q̃ ad septum transuersum uulnus pertineat. Verum me sollicitũ habet continens ista febris, quae nisi cito dissoluitur. Sed non queo plura prae dolore scribere. Tantum à te peto, ut quicunq; erit exitus, de eo me quãprimum facias certiorem.

CHR. LONG. LAELIO MAXIMO S.

Ae tu homo mirus es, qui cum in epistolae tuae initio aperte posueris, nulla dicendi ui taciturnitatem posse purgari tuam, idem tamen statim te mihi de ea sic excusare conere, ut me etiam perpetua oratiõe grauissime accuses, quod literas à me tuas desiderari Mariano significassem. Quid quaeris? minime miratus sum me tam longo temporum locorumq; interuallo, ex animo effluxisse tuo, qui ne in breui quidẽ

CHR. LONG. CAMILLO THEOLO S.

Axima sum ex tuis literis affectus uoluptate, non eo solum, quod suauissime atq; perhonorifice scriptæ, magnam tuæ erga me obseruantiæ significationem haberent, quanquam id ipsum mihi pro eo sanè ac debuit, fuit gratissimum, sed q̃ ea etiam uerborum puritate atq; elegantia essent bellissime contextæ, ut illam, quam de studiorum tuorum cursu præceptam animo habebã opinionem planè confirmarent, atq; haud scio an etiam uincerent. Omnino mihi non solum æqualibus tuis quos quidem norim, præstare iam uideris omnibus, sed eò quoq; singulari quadam naturæ indulgentia peruenisse, quo haud ita multos adolescentes pari studio atq; diligentia aspirasse exploratum habeo. Quare cum tibi de ista tui in percipiendis literis ingenij facilitate atq; processu gratulor, tum uero te hortor, ut quibus artibus operam tuam omnem adhuc dedisti, in ijs ipsis tibi tam diu elaborãdum putes, quoad tam uberes atq; maturos studiorum tuorũ nobis edas fructus, q̃ pulchros atq; suaueis literatæ istius tuæ pueritiæ flores iam protulisti. Quod si feceris, cum rationibus tuis optime consulueris, tum uero & ex industria tua magnam aliquãdo uoluptatem cæperis, & nomen tuum immortalitati commendatum confecraris. Quod autem me ad reditum amantissimis uerbis inuitas, facis ut in acerba grauissimæ iniuriæ recordatione, summa tamen delecter orationis tuæ dulcedine. Ne uiuam, si quid adhuc hoc in genere scriptum legi humanius, uel etiam accuratius. Verum ea est, ne forte nescias, mea causa, ut tanta de re nihil dum à me constitui possit. Si quorum tamen uolũtatibus aut precibus unquam in eo cessurus sum, faciam ut intelligas, magnũ ad id ipsum literas tuas pondus attulisse. De reliquo sic tibi uelim persuadeas, nullum esse neque officij, neq; studij genus, quod quidem à me proficisci possit, quo non ego ad te ornandum, extollendum sim libentissime usurus. Tu modo fac, ut in me amando perseueres, & literis tuis nos interdum apelles. Hoc mihi, hoc tẽpore, facere nihil potes gratius. Saluta meis uerbis fratres tuos, pueros optimos atq; humanissimos. Vale. Patauij Id. Maij.

CHR. LONG. STEPH. THEOLO S.

Egi Camilli tui, pueri humanissimi atq; optimi ad me epistolam. Vix dici potest quantum ex eo perceperim uoluptatis. Equidẽ, ea lecta facere non potui, quin & puero ipsi statim rescriberem, & tibi, quo potissimum authore in recta studia incumberet,

etiam gratularer. Scito enim neq; suauius neq; aptius quicquam non modo ab ista aetate, sed nec à multo quoq; adultiore postulandum fuisse ijs literis, quas ille ad me nuper dedit. Ne me hoc putes auribus tuis dare. Non uulgare quidem fuit, quod de ingenio eius & industria expectaui, sed uicit tamen opinionem meam, atq; ita sanè uicit, ut istas paucorũ annorum accessiones non ex currentis alicuius naturae incrementa, sed euolantis praeclare cuiusdam indolis processus esse iudicem. Tu (quaeso) fac, ut in quam ingressus est discendi uiam, ab ea ne trãsuersum quidẽ unguẽ. Habeat Ciceronẽ semper in manibus, hũc legat ex oibus unũ, hũc amet, hunc admiretur, ab eodem ipso si quid scribendum erit aut dicendum, non dubitanter sumat & mutuetur. Sors enim, ut ille ait, fit ex usura. Reliquos, cum erit ocium, & iudicium ipse facere poterit, tum attinget. Interim hunc nunquã de manibus deponat, ex eo, quasi ex purissimo quodam, atq; uberrimo latini sermonis fonte, omnem emendate loquendi, copioseq; dicendi rationem hauriat. Afferrem hanc in rationem, uulgo non satis probatam plura, nisi tecum agerem, qui scias & uideas q̃ inquinata sit, & absurda eorum hodie oratio, qui alio atq; Cicerone ipso dicendi scribendi ue magistro sunt usi. Illuc igitur redeo. Sic mihi placuerunt Camilli tui literae, ut gaudium meum ad te continuo per epistolam deferendũ esse duxerim, idq; cum pro mea in nomen Romanum beneuolentia feci, qui ingenijs uestris supra omnem fidem faueam, tum uero ut eius quam tibi debeo, memoriae, uoluntatisq; significationem nonnullam darem, qui me uobis, ut nunc quidem est, ratione alia memorem & gratũ ostendere possum nulla. Nam Camillum ipsum, siquid de istiusmodi aetate certi pronunciari potest, in eorum certe q̃ paucorum refero numerum, quos parentibus laetitiam, sibi opes & gratiam, posteris etiam suis gloriam aliquando allaturos esse sperem. Quae res quoniam ad te uel maxime pertinet, qui eum talem tum procrearis, tum liberali tua institutione finxeris, uide ne quid uel de ista tua diligentia, uel de studiorum eius ratione in hoc aetatis flexu remittatur. Vale. & uxori tuae Ludouicae foeminae primariae meis uerbis gratulare. Patauij Idib. Maij.

CHR. LONG. IAC. SADOLETO S.

b Binas ad te iam diu dedi literas, alteras perpaucis ante Leonis nostri obitum diebus, alteras statim ab eiusdem interitu. Eas ut acceperis, sanè uereor. Nihil enim tu adhuc rescripsisti, homo cũ caeteris in rebus diligentissimus, tum uero in scribendo impiger & officiosissimus. Sin autem respondisti, uide cui dederis. Ego enim his quinque mensibus nihil neque à te, neque de te. Itaque faciundum putaui, ut

eodem exemplo tecum agerem, & hic te, ne me literarum tuarum desi-
derio diutius torqueres, rogarem. Nihilo enim meliore etiam nunc loco res
nostræ sunt quam tum erant, cum superiores tibi mitterem. Spes tantummodo
quædam ex Hadriani pontificatu, mihi iniecta est. Omnino ualiturum
apud eum uel commune ciuitatum nostrarum uinculum, uel quod ipse
cum Philippo Caroli Cæsaris patre in Hispania uixerim non despero,
sed ut usque dum ille aduenerit, & nobis ad eum ipsum aditus patefa-
ctus sit, ocium nostrum honeste tueri possimus, quoquo enim adhuc mo-
do possumus, tui est mi Sadolete tum consilij, tum etiam auxilij. Verum
hoc ex re, & cōmodo tuo. Nam illud à te etiā atq; etiā uehementer peto, ut
si, quod futurum certo scio, singulari istius tuæ uirtutis, doctrinæq; laude
Pont. Maximo commendatus, in familiaritatem eius aut amicitiam ue-
neris, idem me tibi quadam studiorum societate uel opinione potius cō-
iunctum atque necessarium esse intelligat. Hoc si feceris, & me uel iu-
dicij uel beneuolentiæ tuæ testimonio apud eum ornaris, faciam ut eius te
officij ne unquam pœniteat, memorem quidem me semper, & gratum
certe experiere. Vale. Patauij xvi Cal. Iun.

CHR. LONG. MARIANO CASTELLANO S.

Quod tibi Lælius Maximus, de scribendo receperat, in eo fidē
suam liberauit. Dedit enim ad me literas, uberrimas quidem
illas & elegantissime perscriptas, sed in quibus me grauissime
accuset, quod de cessatione sua apud te familiarius queri sim ausus. Hoc
eo pertinet, ut tibi posthac literas meas uni missas existimes, præsertim si
quid ijs huiusmodi consignaro, quod homines nobis parum amici in ali-
am atque uelimus partem accipere possint. Nam si iocationibus ad te no-
stris, quasi grauioribus quibusdam aculeis Lælij animus ita offensus est,
ut stomachosioribus literis ea de re mecum expostulandum putarit, quid
cæteros censes, quos nec ulla erga me beneuolentia, nec politior ulla huma-
nitas mihi coiunxit? Sed de his nimis multa, præsertim ad te, qui semel
tamen à me admonendus fuisti, ne dum alios ex tuo in me amore mu-
ris nouas nobis istic turbas incautus excites. De Flaminio, quod benigne
polliceris, respondes illi omnino, quam de prolixa ista tua atque benefica
in studiosos omnes natura semper habui, opinioni, sed nihil eo quod ostē-
dis etiam nunc est opus. Inita est enim à nobis ratio, quemadmodum
hic adolescentem tueamur. In uestiario tantum laboramus, in quo si adiu-
tus à te fuerit, ocium eius liberalitate tua, constitū esse iudicabo. De Pane-
gyricis, res tota tui est consilij. Mea quidem non magnopere interest, nisi

quod istos emendatiores esse scio, ijs, quos describendos curares. Noui librariorum uestrorum somnolentiam, imperitiam. Sed de hoc ut dixi, ipse tu statues, cuius potissimum res agitur. P. Bembo mandata tua exposui, erã enim apud eum cum literæ tuæ mihi sunt redditæ, narrabat is illo ipso tẽpore, quæ tu in extremis tuis literis de acerbissimo Molsæ nostri casu ascripseras. O male factum. Verum ita se habent res humanæ, ut hæc nobis neq; inusitata, neq; intolerabilia uideri debeant. Ad hos enim fortunæ casus nascimur. Quid etiam? Accæpi à Camillo Theolo literas, quas is te authore mihi miserit. Visa est mihi elucere in ijs, supra pueri ætatem, quædam ingenij, eruditionisq; forma, qua qu dem de re & cum ipso, & cum patre eius eo statim egi consilio, ut alter à me laudatus magis excitaretur ad laudem, alter omnem in excolendo filij ingenio adhiberet diligentiam. Vale. Patauij. xyi. Cal. Iun.

CHR. LONG. OCT. GRIMOALDO. S.

Ereris, opinor, ne quid mihi literis tuis molestiæ afferas, quam enim ego aliam cessatiõis tuæ causam esse suspicer? Atqui ego nihil tale uerius scribendum ad te putaui, & eum, qui has tibi reddidisset etiam diligenter commendandum. Peto igitur abs te, ut ipsum tantisper apud te esse uelis, dum nauem & tempestatem sit nactus idoneam. Dimittendi à me hominis causa nulla planè est alia, nisi quod & ipse urbem uisere cupiat hoc tempore, nec ego eum studijs meis satis accomodatum intelligam, præterea enim sic fideliter beneuoleq; operam suã mihi nauauit, ut tametsi ocij nostri rationibus sit minime omnium aptus, tamen me non libente discedat, neq; id uero ipsum mea causa, cui ministri deesse non possunt, sed quod uerear ne rerum omnium ignoratione perditus planè perdatur miser adolescens. Vides ætatem, uides formam. Prosecutus sum eũ uiatico satis liberali, uberiore quidẽ certe q̃ facultates meæ paterentur. Habet etiam à me ad Steph. Saulium, & M. Ant. Flaminiũ literas commendatitias, ueruntamen si quos tu Romæ habes amicos, quibus eum recte commendare possis, de eo ipso uelim ad eos diligenter scribas, istic uero, ut honoris mei causa, dum conscenderit, ei de habitatiõe accommodes, te etiam atq; etiam uehementer rogo. De Hieronymo Sauorniano, siquid habes, fac sciam. Bembus hic te ad Id. Iun. expectat, ego uero etiam ante eum diẽ literas tuas auidissime. Nec uero te deterreo, quominus in Gallos iam scribas, qui cum à pecunia tam flagitiose essent imparati, tantos tamen tota Italia tumultus commorint, sed me magis mouent qui ab ista Turcarum classe impendent reip. Christianæ casus, et mi-

stria, q̃q̃ Pannones, Germanos, Sarmatas, Sauromatas magnis hac æstate copijs impetum in Thraciam facturos audio. Certe qui illinc ueniūt Pannones, Byzantium suum iam numerant. Sed de his abs te doceri malim. Vale. Patauij. xyi. Cal. Iun.

CHR. LONG. OTC. GRIMOALDO S.

Vàm perturbato ad me animo scripsisses, etiam te tacente, uel ex eo facillime collegissem, quod nihil de ijs quæ potissimum abs te expectabam, mihi misisses. Ac profecto ea perturbationis istius est causa, quæ uel fortissimum quemuis de statu suo deijciat. Nos tamē hic ea de re nihil omnino accæpimus, contra potius heri, Adornios nostros male acceptos & repulsos, sese in citeriorem Galliam trepide ægreq; recæpisse. Nam uel Prospero, uel Piscariano Genuam cum exercitu proficisci saluis Gallorum pactionibus non licuit. Sic enim ijs nominatim cautum audio, ut ne'ue Prosper, ne'ue Piscarianus, ne'ue eorū exercitus quinq; passuum milibus Cremona longius discedat, quod ipsum à Gallis cum alijs de causis exceptum esse suspicor, tum uero ne sine iusto exercitu turpissime obsessi uiderētur. Sed quæcunq; uel his id postulandi causa fuerit, uel illis eo descendendi, certum est, siquidem uera nunciant ij q illinc ueniunt, neq; Prosperum neq; Piscarianum cum omnibus copijs in Liguriam profectos esse, & haud ita à Cremona lōge nudius etiam tertius castra habuisse. Sed hodie, cras ad summum, firmiora sciemus. Nec enim res tanta diu celari potest. Confirmauit mihi nuper iterum Pe. Bembus, te hic propediem futurū, quod si erit, erit id mihi optatissimum, qui corām cupiam de rebus communibus tecum commentari. Sin minus, agam per literas accuratius, aut ipse etiam ad octauum Idus istò me conferam. Literas tuas simulatq; accæpi, statim ipsi Panegarolæ reddidi. Rogatus à me nunquid ad te uellet, constitutum sibi esse respondit tabellarios suos tibi hodie mittere. Vale. Patauij. iij. Non. Iun.

C. L. EGIDIO VITERBIENSI CARDINALI S.

Vm nuper essem apud P. Bembum, hominem amplitudinis tuæ studiosissimum, lecta est mihi ab eo quædam epistola tua, quam is paucis à te sibi missam diebus, & tua etiam manu suauissime atq; humanissime scriptam esse diceret. Ea q̃ illi iucunda fuerit, tute uel pro uestra consuetudine, uel ex eo etiam quod totam mihi recitandam ipse putarit, facile existimare potes. Mihi quidem infinitum eius

caput, quod quidem unum ad me pertinebat, tantæ fuit uoluptati, quã-
tam uix ullis uerbis hic aperire queam, tametsi idem nonnihil admiratio-
nis attulit, quod aditum mihi ad cognitionem tuam patefactum esse et iã
munitum significaret, qui me tibi ne nomine quidem adhuc notum esse
arbitrarer. Sed tamen uoluptas ipsa incredibilis fuit, cum me tanti abs te
fieri perspicerem, ut me tuis uerbis, tanti uiri ore, perquam amice, & ho
norifice salutatum esse uelles. Scio equidẽ nihil esse in me eiusmodi, quod
te ista doctrina atque dignitate uirum, ad amicitiam expetendam meã
adducere debuerit, sed tamen facere non possum, quin isto tuo uel beneuo
lentiæ, uel iudicij testimonio plurimum delecter, & de eo etiam tibi gra-
tias agam immortaleis, quod me ad tuorum numerum prius ascripse-
ris q̃ id ego aut optare, aut oio sperare fuerim ausus, qua quidem ex re fa-
cile quoq; intelligo, q̃ non sim facile expectationi de me tuæ responsurus,
cui tamen, uti spero, satis à nobis quoquo fiet modo, si uel perpetua grati
animi memoria, uel ullo studiorum nostrorum fructu testimonij tui lau-
dem sustinere atq; tueri potuero. Sic enim uelim tibi persuadeas, ita me tu
is literis animatum esse, ut iam sim cum ocium nostrum, quod minime
fieri posse uidebatur, complexurus multo ardentius, tum uero te eo habi-
turus & obseruantiæ, & sanctitatis loco, quo is apud me debeat esse uir,
quem & mihi amicissimum, & in amplissimo ciuitatis nostræ gradu
singulari quadam, & eximia tum optimarum artium atq; uirtutum cõ-
mendatione, tum uero etiam diuinæ cuiusdam eloquentiæ laude floren-
tem, collocatum esse non ignorem. Extremum illud erit, quod equidem
non ascriberem, nisi & grauissimos uiros idem rogare atq; rogari solitos
esse scirem, & ipse parum his confiderem artibus, quibus me tibi commẽ
datum esse suspicor. Sentio enim quàm parum ab ijs sim uel ornatus, uel
instructus. Peto igitur abs te, ut, quando me tua sponte in fidem atq; ami
citiam recæpisti tuam, si minus studiosæ nostræ uitæ gratia, constantiæ
quidem planè tuæ causa in ista ad me amandum animi inductione
atque uoluntate perseueres. Ego enim ne quod studium aut officium in
colenda amplitudine tua meum unquam requiratur, perficiam, opera
quidem certe, ut ne quis id ullo tempore iure desideret, à me dabitur, eaq;
optima atq; perpetua. Vale. Patauij. iiij. Cal. Iun.

CHR. LONG. NICOLAO DRACONI. S.

Etsi de tua erga me beneuolentia minime dubitabam, qui q̃ cũ cæteris in rebus omnibus, tum uero in tuendis amicitijs constans esses & firmus, exploratum haberem, tamen scito mihi literas tuas, ex ea etiam parte fuisse iucundissimas, quatenus me de perpetuo isto tuo in me amore, certiorem faciundum putasti. Nam quod scribis te, uetere illo depulso morbo, ac pristina planè recuperata ualetudine, cum mansuetioribus musis rationem habere, & in literis totum prorsus uiuere cœpisse, id uero ipsum huiusmodi est, ut siquis politiori humanitati faueat, ab eo tibi uere gratulandum existimem, ego quidem certe eo maxime nomine & gaudeo, & ut tibi ista tum ualetudine, tum ocij suauitate in perpetuum frui liceat, mirifice cupio atq; uehementer exopto. Nec enim mihi dubium est, quin si id continget, eos sis aliquando editurus ingenij & industriæ tuæ fructus, qui & nobis, qui te facimus plurimi, uoluptatem afferant maximam, & tibi etiam ipsi gloriam pariant sempiternam. Sed de mea erga te uoluntate, neq; mihi hic scribendum puto, & siquid de ea unquam significare uelim, eris tu mihi imitandus, qui arrepto ex Fuluij literis testificandi amoris tui loco, non prius uerbis q̃ re ipsa declararis, quàm tibi res meæ essent curæ, idq; cum à me ne leuissime quidem fuisses admonitus. Sic enim uelim tibi persuadeas, nihil abs te potuisse hoc quidem tẽpore, proficisci ad me gratius ijs, quæ de Vincentio Varamiano tua sponte tam diligenter curasti. Oio enim aliquis ista uirtutis & ingenij indole mihi opus est, id est is, qui tum meis, tum suis pariter studijs bene consultum uelit, & prospicere possit. Nodus hac in re unus occurrit, neq; is sanè facilis, quod discipulum iste se apud me fore, nõ ministrum arbitratur, cum ea, ut nosti, mea sit ratio, ut ludus mihi nunc aperiendus non sit, sed uno eiusmodi aliquo opus, qui operas ea mihi conditione locet & præstet suas, qua tecum Fuluius & Candidus hic uixerunt, tametsi multo minus negocij apud me habiturus iste sit, q̃ illi tecum sustinuerũt. Primum enim sic is quàm ipse raro in publicum prodeam, & siquando domo exeam, ut nunquam pedissequo, semper utar aut comite aliquo, aut ipse etiam solus urbem obeam. Deinde si quod est domi sordidius ministerium, suis id operis curatur. Lectus modo unus eisternendus est, præterea nihil quod eum à studijs abducat, aut pudeat, quanquam ne hoc omnino seruile iudico, tantum ocij tam parua opera, eaq; liberis hominibus hodie usitatissima, & plerisque etiam optatissima, redimere atque comparare. Ita si Vincentius tuus, quem tu mihi & honesto admodum loco natum, & fortuna esse scribis optima, eo est animo, ut literarum causa eò descensurus sit, faciet

me q̄primum certiorem, ut Franciscum à me dimittam, & eius rationibus quoquomodo consulam. Sin tanti literas & artes non facit nostras, curato mihi alium, cui si affuerint cætera quibus istum ornatissimū esse prædicas, non magnopere desideraturus sum in eo neq; generis nobilitatem, neq; ullum sanè fortunæ splēdorem. Habeat modo tātum pecuniæ, quantum ad librorum sumptus, & uestiarium tuendum satis sit, reliquā à me suppeditabuntur abunde omnia. Quinetiam illud nobis in primis erit curæ, non modo ut temporis ei satis sit, quo ad magistros eat, sed ut in hanc quoq; nostram discendi rationem, atq; consuetudinem ingressus, me sibi & hortatorem semper, & si res postulabit, etiam interdum doctorē domi esse sciat atq; intelligat. Quid quæris? ita à me tractabitur, ut dēpta cubiculi mei cura, nec à parēte liberalius quicquam, nec à magistro sāctius cuiuis hoc in genere postulandum sit aut etiam expectandum. Habes ferè quasi adumbratam & informatam eius qui mecum uicturus ē, uitæ rationem. In quo illud tu etiam atq; etiam uideto mi Draco, tanta cura dignus is ut sit, quem ad me ea spe missurus es, ne, si forte minus aut ille mihi sit utilis, aut ego ei accommodatus, utrunque nostrum tandem pœniteat, te tui iudicij, qui talem delegeris, me meæ fortunæ, qui neminē reperiam quem meo studio meisq; officijs libenter complecti debeam. De Steph. Saulio quod quæris, est is Romæ, eò statim profectus, ut Hadrianus noster Pont. Maximus renunciatus est, rogatus à me per literas, q̄d tam alieno tempore ad urbē properasset, rescripsit nihil sibi fuisse longius quàm ut ibi esset, ubi Bendinelli fratris sui iniuriam ac mortem aliquando ulcisceretur, simul & de fructuosissima illius sacerdotij procuratione, recuperatorio iudicio primo quoq; tempore experiretur. Est cum eo M. Ant. Flaminius homo, ut scis, nobis cum perpetua animorum uoluntate, tum firma studiorum societate coniunctissimus. Ambos à te, si uoles, saluere meis literis iubebo. Sed quid quæro uelis ne, qui pro uestra inter uos necessitudine, id te nō nolle, atq; adeo cupere certo sciam? Sic igitur propediem faciam. Tu uero meis uerbis uelim ijs salutem impertias omnibus plurimam, quoscunq; prædicatione tua nobis istic adiunctos et cōciliatos esse uoluisti. Vale, & sic te, in isto laudis atq; industriæ cursu gere, ut ualetudini tuæ in primis seruias. Patauij xvij. Cal. Iul.

Quæ tibi supra de pueri apud me uicturi conditione recæpi, præstabuntur ea quidem bona à me fide omnia, atq; etiam aliquanto quàm scripsi commodius & prolixius, sed quando ab existimatione mea alienum uidetur, ut mihi hac in re à quoquā præscribatur, eū ad me uelim mittas, qui se fidei meæ penitus commissum, atque mihi planè traditum esse arbitretur.

CHR. LONG. IO. PETRO MACHIAVELLO S.

Cum ipsius Antonij Francini aduentus mihi per se iucundissimus fuit, tum hoc iucundior, quod ex multo & accurato eius sermone facile cognoui, eam mihi abs te adhuc praestari memoriam atq; beneuolentiam, quae sit ab homine amicissimo & longo usu coniunctissimo expectanda. Omnino enim uerebar, ne diuturna mea cessatione offensus, alieniore à me esses animo, praesertim qui nec in eo, quod tibi anno superiore per literas pollicitus, essem, fidē meam liberassem. Verum ea, ut nosti, repente inciderunt tempora, quae mihi nō modo istuc ueniendi, sed mittendi facultatem, omnem prorsus eriperent, quibus ipsis rebus, & si me tibi satis purgatum esse debere arbitrabar, tamen optatissimum mihi fuisse scito & gratissimū, quod de mea erga me uoluntatis cōstantia atq; perpetuitate Francinus noster mihi nūciauit. Nam de me sic tibi uelim persuadeas, ita à me absentis tui coli memoriam, non modo ut quicquam de meo in te amore imminutum non sit, sed id ipsum quod fuit, etiam longo consuetudinis tuae desiderio sic auctum atq; incensum, ut nihil hoc tempore, q̄ ut te uideam mihi sit longius atq; antiquius. Perscriberem hic tibi omnem uitae studiorumq; nostrorum rationem, nisi eam Frācino, ea sanè lege aperuissem, ut te, eo de genere toto, certiorem ipse faceret. Ex ipso igitur subtilius singula. Haec à me summatim pauca. Sic Dei benignitate ualeo, ut cum maxime, sic ocio fruor, ut qui suauissime, ea deniq; tum spe uiuo, tum conscientia sustentor, ut si homini Christiano in animo sint omnia, neq; miser neq; sanè sim infelix. Vale. Patauij xij. Cal. Iul.

CHR. LONG. ANDREAE NAVGERIO S.

Cum ad xv. Cal. Iul. hac potissimum de causa Venetias uenissem, ut ab Rhamnusio naturalem C. Plinij historiam auferrē, intellexi nihil ei abs te, ea de re, adhuc missum esse ego uero ijsdem, quibus ei Clementem Britannum literis cōmendasses, promissi tui rationem complexam esse arbitrabar, quod ipsū quando non accidit (festinanter enim, et eo tempore properante Clemente scripsisti, ut mihi mirum nō sit, te, de eo quod mihi pollicitus esses, fugisse, tum scribere, fac, si me amas, ut ex literis tuis liber is nobis primo quoque tempore curetur. Vix enim credas quantam nobis illius inspiciend cupiditatem ex citaris, simul & hoc tempore nactus sim aliquid ocij, qd libenter in eius generis lectione sim omne positurus. Narrauit mihi Calcaganus noster, te totum esse in literis, quod equidem non sum miratus, q

scirem te istò profectum ut studijs tuis fruerere liberius, quod autem addit, te etiam suauissima Baptistæ Turriani doctissimi hominis consuetudine uti, istuc uero ipsum tibi & gratulor, & penè etiã subinuideo. Sed siqñ in ista loca uenero, quod quidem primo autumno futurũ spero, faciã ut tu item mihi fortasse gratulere. Interim hominem meis uerbis uelim salutere iubeas, atq; ipse tu ualetudinis tuæ rationem in primis habeas. Apud Bembum est ut uolumus. Vale. Patauij. ix. Cal. Iul.

CHR. LONG. LAVRENTIO BERTOLINO S.

n Vnquam fore putauit aut res de qua ad te scriberem, aut etiam uerba, quibus tecum agerem, mihi deessent, presertim si tam lõgo interuallo literas darem, sed planè nunc desunt nec quid scribam, nec quomodo scribã satis occurrit. Equidẽ & si ipse me non ab omni culpa omnino uindico, qui commiserim, ut qui, sit rerum tuarum status etiam nunc ignorem, atq; ex eo genus scribendi nullum reperiam, tamen tuum fuerat, etiam tacente me, de eo ipso mihi aliquid mittere. Nam de uitæ meæ ratione, tum istic, tum Romæ uel ex P. Bembo certior fieri potuisti, de te uero quem rogarem adhuc habui neminem, præter Verardum fratrem tuum, qui me anno superiore tuis uerbis quidem salutauit, sed eo sanè tempore, cum hinc profecturus, equum iam admitteret. Idem cum nuper fecisset Antonius Francinus, & nunquid ad te uellem, rogasset, quanquam quod scriberem, non habebam, tamen hæc tibi breuiter significanda existimaui. Primum eo me adhuc erga te esse animo, quem cum singularis tua probitas atq; humanitas, tum uero innumerabilia tua in me officia mereantur & postulent. Deinde fixum meum manere consilium, quod tibi Lugduno decedens aperui, cum mihi decretũ esse dicerẽ, quiduis potius perpeti, q̃ à sperata studiorum meorum laude ante aliquot annos discedere. Postremo ea me frui tũ corporis ualetudine tum animi trãquillitate, ut si nobis res paulo sit uberior, beati planè & esse & numerari possimus. Sed hoc fortuna uiderit. Tu si posthac literas meas uoles elicere, mitte ipse aliquid, unde mihi epistolæ argumentum nascatur & sententia. Ioanni, Zenobio, Verardo fratribus tuis uiris optimis plurimam uelim à me salutem impertias. Vale. Patauij. vi. Cal. Iul.

CHR. LONG. ANT. FRANCINO S.

S Olueram istinc eo, ut scis, animo atq; consilio, ut simulac, Patauium appulissem, exararem literarum aliquid cum ad alios nonnullos, tum uero ad Philippum Strozam, Alexandrum

Paccium, Vetardum Bertolinum, de quibus nobis multus tum hic, 'tu istic fuisset sermo. Verum cum nihil in mentem ueniret, quod hoc quidē tempore illis à me recte mitteretur, supersedendum putaui, non ullo quidem scribendi labore, qui mihi uel omnino nullus, uel certe fuisset suauissimus, sed inepta potius & odiosa, & à me profecto aliena inaniū literarum ostentatione, prǽsertim cum tu is esses, qui & mea causa uelles, & rationē consiliorum, rerumq; mearum omnium ad eos aliquāto elegātius deferre posses, q̄ id ego ullis exequi literis. Sic igitur, ut spero, facies, hoc est eos meis uerbis diligenter salutabis, simul, & si nostra audire cupient, dabis operam, ut ne ulla in re literas meas desiderent. Nosti enim omnē status mei conditionem Literas porro, quas ad Laurentiū Bertolinū, & Ioānnē Petrum Machiauellū do, uelim primo quoq; tempore eis reddendas cures, nisi tu forte ipse Florentiā propediē cogitas, id si est, malim eas abs te accipiant, ut earum sermonē ipse oratione tua statim subsequare. Sic enim ad eos scribo, quasi ex te plenius omnia cogrituri sint, quæ literis meis leuiter attingenda existimaui. Sed hoc commodo tuo. Illud te etiam atq; etiam uehementer rogo, ut cum illò ueneris, mandata nostra tibi curæ esse uelis, ego quidem hic & memoriā tui summa beneuolentia tuebor & literas tuas ea, quam mihi ostendisti, spe expectabo. Vale. Patauij ad.iij. Cal. Iun.

CHR. LONG. BERNARDINO CORTONAE S.

CVm nuper Fuluium fratrē tuū ubi esses, et qd ageres, rogarē, esse te quidē ille Foroiulij Carnorum respōdit, qd uero ageres, id se nō modo nescire, sed ne tuas omnino literas ulla iāpridē ratione elicere potuisse. Vereri aūt se, ne qd ad te delatū esset, quo animus tuus sibi esset offensior. Tū ego q te nō sine causa ista taciturnitate aduersus fratrē tuū uti arbitrarer, et ipm ēt sibi parū utilē adhuc fuisse suspicarer, uide inquam ne te hic ita geras, ut merito ille tibi succenseat. Studiū inqt, in me fortasse desideret, grauius admissum nullū reperiet. Quid tu, inq̄, an sceleribus modo putas, et atrocioribus delictis animos bonorum offendi, non etiam ignauia, inertia, luxuria, lascinia, eorum prǽsertim qui spem aliquam industriæ & uirtutis nobis aliquando prǽbuerint? Multa in hāc rationem cum disputassem, simul & illud ab eo expressissem, auersam esse à se cistellam quandam tuam cum aliquot sudariolis, & si rem leuiorē esse iudicabam, tamen grauissime eū corripui, perfeciq; ut ille lachrymas uix tenens tum iustam aduersus se indignationem tuam esse fateretur, tū mihi gratias etiam magnas ageret, quod admonendi sui curam suscepissem. Quid multa? pollicitus est se in potestate tua futurum, ac iussi

uili, aut ēt literis, nā dialecticis qdē et physicis nō admodū delectatur, ex authoritate mea posthac operam daturum. Vno se tantum angi dixit quemadmodum tibi satisfaceret, quem à se mirandum in modum abalienatum esse non dubitaret. Pœnitentia satisfeceris, inquam, & reliqui tēporis diligentia. Hic ille cum perturbato uultu obiurgationis tuæ acerbitatem horrere uideretur, nec eo à me adduci, ut ad te proficisceretur, facile posset, recæpi me curaturum per literas, ut omnem tu prius offensionem deponeres, q̄ ipse in conspectum tuum ueniret. Quare, si quid forte propter infirmitatem ætatis minus ab eo studiose, uel etiam prudenter factum esse uideatur, peto abs te, ut uel humanitatis tuæ, uel fraternæ necessitudinis, uel mea deniq; causa adolescentiæ eius ignotum esse uelis. Magnum tibi sit, quod se respexerit, quod superioris uitæ detestatus errata, id consilij cæperit, quod ipsi fructuosum fore non dubitem, tibi certe gratum esse debeat et iucundū. Confirmauit enim mihi, se in studio ita euigilaturum, ut paucis mensibus tantum sis ex sua industria percæpturus uoluptatis, q̄tum ex actæ uitæ inertia traxeris doloris. Scio equidem tibi hoc non facile persuaderi posse, nec item meum esse, alienæ uoluntatis ac sententiæ, presertim adolescentis hominis, sponsorem fieri, sed tamen ea ipsius fuit tū oratio, tū ēt asseueratio, ut mihi fidē faceret, et eū talē, qualē uolumus, futurū confiderē. Quod cū ita sit, uelim eū quoq; posthac omni fraterna pietate cōplectare, id est in hoc bonæ mentis cursu eū sic adiuuādū cures, ut intuēdis studijs suis neq; fortunæ iniquitatem, neq; cuiusquā accusare queat iniuriam, aut illiberalitatem. Hoc ut facias te, non tam mea iam aut ipsius, q̄ tua planè causa, rogo. Tua enim maxime omnium interest fratrem tuum, id ætatis, cui nemo non facile concedat, ea indole, de qua optime sperare liceat, omni potius officio & lenitate ad optimam spem excitari, q̄ nimia seueritate ad nouissima cōsilia traduci atq; detrudi. Sed hæc tu pro tua prudentia considerabis melius. Mihi tamen gratissimum feceris, si, quod has ad te scribens fore mihi persuadebam, ei te facilem et exorabilē præbueris, quod ut uelis te uehemēter etiam atq; etiam rogo. Vale. Patauij prid. Cal. Iul.

CHR. LONG. NIC. DRACONI S.

Vid tu istic de Varamiano, aut alio quouis ad studiorum nostrorum rationes apto & idoneo confeceris, nescio. Nam ex literis quas mihi Paulus Sauornianus nuper à te reddidit, incerta adhuc omnia esse cognoui, ego quidem interim hic Fuluium tuum, uel nostrum potius, in hanc, sententiam perduxi, ut ad bonam frugem sibi iam tandem redeundū putaret, ac se uobis suisq; dignum

dignum aliquando præbere uellet. Visus est mihi adolescens neq; in errore esse pertinax, neq; ad ea quæ honestiora sunt, percipienda, tardus. Certe .n. mihi statim pollicitus est se curaturū, ut omnem superioris uitæ inertiā à se abiectam esse intelligeremus, atq; ita abiectam, ut nulli suorū æqualium neq; studio, neq; labore, neq; assiduitate cedere iudicaretur. Sed quoniam huiusce inductionis animi atq; recentis uoluntatis fidem uobis à se fieri posse desperaret, contendit à me ut sibi ad te, & ad Bernardinum fratrem suum literas de se accurate scriptas darem, quod ipsum hoc feci libentius, quod eum hac ratione, quæ ad ocium eius tuendum sunt necessaria, facilius consecuturum uiderem, præsertim te authore, qui quantum apud fratres eius ualeas, & mea etiam causa uelis, non dubitem. Sic igitur hominem tibi commendo, ut magis ex animo, iustiore'ue de causa possim neminem. Peterem hoc à te pluribus uerbis & uehementius, nisi eas esset adolescentis ipsius tum causa tum pudor, qui te uel sua sponte ad rem suscipiendam, complectendamq; inuitaret. Quin fratrem apud fratres in gratia facile positurus sis, ambiguum non habeo, illud tantū bonus adolescens reformidat, ne acerbioribus illi uerbis secū agere uelint, q̃ fraternæ pietatis uinculum patiatur. Huic tu malo, mi Draco, accommodato ad eam rationem sermonis tui lepore, uelim in primis medeare, atq; ita occurras, ut priusquam congrediantur, omnē isti ex animo offensionem deposuerint, placatosq; se, & æquos uenienti fratri præbere parati sint. Sed de Fuluio hactenus. De me uero, sic habeto, nullius me rei expectatione æque suspensum esse hoc tēpore, atq; illius, de qua inter nos proxime scripsimus. Quare, si me amas, uel potius quantum me amas, tantum in eā rē incumbe, facq; ut abs te propediem aliquid ex animi nostri sententia confectum esse intelligamus. Ego & si ad uos, ex Idibus, aut etiā Calendis Septembr. cogito, tum ut ultimam istam Venetiæ oram, & Carnorum regiōem perlustrem, tum uero ut eos quos mihi istic comparasti, amicos uisam & complectar, uelim tamen interim Camillo Colloretano salutem diligenter referas, eaq; amplissimis uerbis à me polliceare omnia, quæ sint ab homine amicissimo expectanda, faciam, ut nihil ei temere de me recæperis. Vale. Patauij Prid. Cal. Iul.

CHR. LONG. OCT. GRIMOALDO S.

C Vm Ludouico Stephaniano qui tibi has literas reddidit, nulla mihi quidem intercedit familiaritas aut consuetudo, sed ea est necessitudine atq; amicitia Nicolao Leonico, cuius me causa omnia tum uelle, tum etiam debere non ignoras, coniunctus, ut si amico-

rum communes sunt etiã amici, mihi nõ possit esse nõ necessarius. De hoc ipso mecum egit accurate Leonicus, ut eum tibi diligenter commendarē, quod facio, teq; uehementer etiam atq; etiam rogo, ut si quid unquam honoris mei causa factum esse uoluisti, in ipsius Stefaniani negocio quanti à te fiam declares. Quibus rebus ei possis commodare, nec tibi obscurum esse arbitror, qui rationes eius iam pridem cõsolidaris, & si forte dubitas ab ipso diligenter edocebere. Librum Rodolphi Agricolæ de inuentione dialectica, quem, ut scis, diu sum oblitus Egnatio mittere, & ipse aliquã do tandem cum ad eum pertulissem, oblitus quoq; sum istinc discẽdes auferre, uelim mihi referendum cures, uidetur enim Egnatius noster tã in eo remittendo indormire, q̃ ego in eo mittendo immemor fui, & obliuiosus. Verumtamen ipsius commodo, hoc est, si eo, ut constituerat, & ut ego opinor iam satis est usus. De rep. mirum in tanta rerum omnium pturbatione silentium, quod tamen diuturnum fore nõ puto. Sed nihil in his malis tam horreo q̃ Turcarũ Classem, quæ cum in cursu esse dicatur quo tamen cursum teneat, adhuc ignoratur. Tu si quid de Regum nostrorum insania uel furore potius habes exploratum, fac, amabo te, sciã. Vale. Patauij prid. Cal. Iul.

CHR. LONG. FRANCISCO BELLINO S.

Escio q̃ tu hodie mei uisendi cupidus fueris, qui, ut me domi, in aduentum continerem tuum, heri non difficulter impetraras. Me quidem lõga tui expectatione suspensum acriter torsisti, sed non impune feres, neq; ullam sanè maximi hymbris excusationem accipiam. Quo enim dies ipse tẽpestatibus extitit fœdior, hoc scilicet fuit ad horas multas suauissimo sermone consumendas aptior & accommodatior. Nunc autem commisisti, non modo ut tua, qua quidẽ delector plurimũ, sed ut Bembi etiam iucũdissima ꝯsuetudine hoc ocioso die carerẽ. Oio. n. ad eum aditurus fui, nisi ut te domi opperirer heri tam diligenter mecũ egisses. Hoc te scire uolui, cum ut ne me posthac aduentus tui expectatione frustrere, tum ut ad querelam meam, si quid forte potes præter nimbos & tonitrua, meditere. Nolo enim te imparatum & mutum offendere, quanquam ea tua est ratio, ut quid causæ afferre possis, non dispiciã, nisi hoc fortasse ais, tanti tibi sermones nostros nõ esse, ut pluuio ad me cœlo, ac lutulenta uia accedas, qui sericatis calceis utare. Atqui ppetuis porticibus tectus uenire potuisti, & fuerunt nonnulla nimborum interualla. Sed hæc ex te malo cognoscere. Tu, si commodo tuo potes, fac statim à cœna congrediamur. Est enim quod te uelim.

CHR. LONG. IAC. SADOLETO PONTIFICI. S.

e Go quidem mi Sadolete, sine me (quæso) quod ẽ nec studijs nec
amicitia nostra indignum, paulo tecũ familiarius agere q̃ uel
summa tua authoritas, uel perpetuum meum de tua singulari
uirtute iudicium patiatur. Ego igitur mi Sadolete sic mihi antea persuase-
ram, esse te uirum omnino cum omni literarum genere præstantissimũ;
tum uero incredibili quadam integritate, atq; animi constantia admira-
bilem, tanta autem te uel humanitate, uel suauitate preditum esse, planè
nesciebam. Sic enim uitam hominum esse arbitrabar, uti quisq; gravita-
te, temperantia, dignitate, doctrina maxime excelleret, ita se ad hac famili-
aria quidem officia minime demitteret. Nunc uero lectis tuis literis, quas
tu ad me eodem etiam exemplo plurimas, & suauissimas dedisti, sanè
expectationem meam longe superasti, perfecistiq; ut ipse à me sis posthac
etiam ualde amandus, non ut antea laudandus modo & suspiciendus.
Nam quod me turbulentissimo illo tempore Melliniano, cum incredibi-
li omnium ordinum inuidia istic arderẽ, tuis sententijs persæpe ornasti,
qđ causam nostrã & in Senatu, magno cũ tuo periculo, et apud Pont.
Maximum, summa mea cum laude egisti, deniq; quod certorum homi-
num offensiones, et multitudinis calũnias fortiter subieris, nihilq; tibi uel
salute, uel dignitate nostra antiquius esse ostẽderis, multũ tibi quidẽ, im-
mo uero tantũ ijs nominibus debeo, ut si subductis rationibus tabulas con
ferre libeat, soluẽdo sim nunq̃ futurus. Verũ ista ut neq; tuo erga me amo
ri dedisse, neq; mẽdi iudicij tui, cõstãtiaq; tua causa potius q̃ qđ id æquũ
esse putares, fecisse uideare, sunt tibi quidẽ certe cum P. Bẽbo, P. Paccio,
ac nonnullis item alijs uiris clarissimis cõmunia, quos in innocentia no-
stra tuẽda pari tecũ studio, industria, gratia, authoritate contendisse non
ignoras. At uero qđ tu ista doctrina, dignitate, amplitudine uir, tot priua
tis, tot publicis distẽtus negocijs, ad me, ne literis qdẽ meis subinuitatus,
ea quæ discessũ meũ cõsecuta sunt oĩa, tã accurate, nec id una epistola,
nec aliena manu pscripsisti, presertim cum id ut scirẽ, tua nullã in partẽ
referret, mea plurimũ interesset, in hoc qdẽ sociũ habes neminẽ, hæc scili-
cet animi tui probitas, hæc facilitas, hæc in hominẽ exterũ, et multitudi-
nis inuidia abiectũ humanitas, planè tota, q̃tacũq; ẽ q̃ certe apud me ma
xima ẽ, tota ẽ inq̃ tua, itaq; me tibi deuinxit, ut nulla iã orõne cõseq pos
sim, quãti te faciã, quantũ tibi debeã, quãtũ mihi omnẽ in partem enitẽ-
dũ esse uideã, ut me gratũ, memoremq; semp intelligas. Sed hæc suo loco,
suo tpe cõmodius Nũc uenio ad tuas literas q̃s hic q̃tuor epistolis accæpi
q̃q̃ id iã supuacaneũ ĩ plerisq; eaꝝ uideri possit, sed, q̃do ita uis, geretur

tibi mos, et singulis ordine quemadmodum postulas, à me rescribetur. Ad primam, quam ad vi. Id. Septembr. cum in Britanniam iter haberem, dedisti, tibi hoc rescribo, me uero ea iam inde ab ineunte adolescentia fuisse mente atq; animo, ut ne cui æqualium meorum ingenuarum artium cognitione concederem. Nunc autē summo studio conniti, ut me cum uobis patronis fuisse non indignum, tum insolēti atq; scelerata istorum insectatione multo indignissimū æqui & iniqui aliquando intelligant. Nam quod statim à profectione mea, in celeberrimo amplissimi collegij consessu, ipso quoq; audiente Pont. Maximo, ita sint in me inuecti, ut parum absuerit, quin omnium propè sententijs hostis absens iudicarer, id equidē multorum literis Genuæ primum, deinde Lugduni cognoueram, plenius autem apud extremos hominum Morinos, atq; adeo apud ipsos toto diuisos orbe Britannos eadem omnia intellexeram. Quo non.n. gentium contumeliosæ illius & peracerbæ actionis fama peruenit? quas non terras Vrbanus ille tumultus peruasit, ipsis nimirum (opinor, ut se exteris nationibus aliquid & esse et fecisse ostenderent) tum suis, tum amicorum literis hosce rumores dissipantibus? Profectò meorū pleriq; ut primum in conspectum ueni, nec oculis suis satis credere, nec me saluum arbitrari, cæteri uero, quod quidem Gallis in more positum non est, arctius ēt me amplexari, etenim quibus nihil æque præter spē accidisset atq; ut me incolumem intuerentur. Vt autem à me reditum in Italiam adornari intellectum est, non dicī potest, quibus precibus, quibus promissis animū meum ab eo consilio ad remanendum traducere sint conati. Quod postq̄ se frustra moliri uiderunt, ad minas conuersi, diris atq; execrationibus me defigere, qui spem suam tam crudeliter fallerem, nullo me non supplicio dignum iudicare, qui sciens ac prudens in ipsam inuidiæ flammam me conijcerem, qui contumaciter spretis necessariorum, propinquorumq;, et optime de me meritorum hominum precibus, ad inimicorum meorum carnificinam festinarem, quam me semel euasisse magni miraculi instar esse ducerent. Sed extremum istuc parum ad literas tuas, in quibus quod ais Pont. Max. accusatoris nostri actiones ita laudasse, ut causam meam superiorem diceret, fuit id mihi quidem, pro eo sanè ac debuit, apprime gratum, uerum illud tibi minime assentior, illum nominis nostri delatorem optimo omnia animo fecisse, atq; summis uirtutibus ornatissimū esse. Quibus ille uel naturæ, uel fortunæ ornamētis sit præditus, planè nescio, est quidem pessime tum de me, tum etiam de se ipso meritus, qui contra bonorum omnium uoluntatem, præter ius omne ac fas, ausus sit me absentem, immo ne in ius uocatum quidem, in magno conuentu, apud Principem ipsum, non tam accusare, q̄ probris omnibus impudenter perfunde-

re, quod cuiusmodi sit, ipse æquius tu multo dijudicares, sicut es infamia insolens, eodem loci impuris conuicijs, nõ magno tantum silentio, sed mirifica etiam quadam conuiciatorum tuorum laude iactarere. Tu optimum illum mihi. Tu ornatissimum, qui alieni capitis periculo histrionicæ nescio cuius gesticulationis famam aucupetur? qui ueræ pietatis oblitus, apud ipsos religionis Christianæ Principes, in hominem Christianũ immaniter debacchetur? qui fœdam illam ciuium suorum seditionẽ sibi concitandam putarit, ut per hominis noui, innocentisq; contumeliã, uel apertum potius exitium nomen illustraret suum? Tantum abest ut causam eius mihi probaris, ut ne rationem omnino inire possim, quemadmodum mihi Pont. Maximũ & purpuratos istos patres excusem, quos certe nihil minus decuit, q̃ isti in me declamandi potestatem facere. Sed dixit perquàm apposite, hoc perinde est mi Sadolete ac si tu eum apud me de eo laudares, quod conuiciũ mihi egregie fecisset. Nolim equidem ipse quẽquam odisse, nec si iustis etiam de causis odi, alios uelim in sententiã meã trahere, atqui permagni interest, purges ne apud me aduersarios meos, an omnes, quanquam nebulonem istum ne excusari quidem abs te posse reor, qui cum sub profectionis meæ tempus per communes amicos, ac etiam Regis Francã legatum mecum egisset, sicuti meq; impetrasset (Quis enim me humanior?) ut in gratiã rediremus, continuo tamen à discessu meo, non contentus ijs scilicet, quæ in præsentem tota urbe euomuisset, ausus ẽ; sed non faciam ut uulnera mea sæpius refricem, ulciscar hominem, quid dixi? immo hominem amabo, petulantiam eius & perfidiam semper auersabor. Parum tibi ẽ religione Christianus adhuc uideor? Sit igitur sanè per me quidem, quando ita tu uis, nec ipse mihi immitior q̃ sibi fuit, uel optimus, uel ornatissimus, nec tã ipse accusandus q̃ scelesti illius subscriptores insectandi, quorum consilijs actus insanire cœperit. Quod autem me mones, ut aliquanto maiorem ualetudinis meæ q̃ studiorũ nostrorum rationem habeam. Agnosco humanitatem tuam, sed mehercule non sum tam studiosus q̃ tu fortasse existimas, nec salutis meæ tam securus, quin malim hoc ocio diu perfrui q̃ nihil statim nescire. Nam quod ais prolata defensione nostra, non modo causam meam omnibus probatam fuisse, sed magni etiam inde me oratoris nomen retulisse. Ego uerò utrum molestius ferre debuerim, nescio, inimicorum, ne uulnus, an potius amicorum remedium? Illo enim in me totius propè Italiæ odia cõcitata audio, hoc me uobis ridiculum præbuisse, non dubito. Etenim doctis hominibus eam orationem tantopere probari ut credam, fieri qui potest? quæ ne meum quidem iudicium unquam promereri potuerit. Solati me scilicet in tanta calamitate uoluisti, εἰμὴ τις μᾶλλον εἰρωνεία

φῦ κῶν μυχ πῆρα, ὅ ἴον γὰρ ἀπλικὸν προσεῖναι τῷ ἐπαίνῳ quã tñ in sententiam adduci non possum, qui in te non minus fidei, & humanitatis, quàm prudentiæ semper & consilij esse iudicaui. Verum quoquo modo res se habet, dabitur à nobis opera, ut & Italorum uoluntates recuperemus, & labefectatam ingenij nostri fidẽ aliquando recipiamus. Singularem erga me P. Paccij & fidem & animum, uehemẽtem itẽ Bapti. Casalij in tuenda dignitate nostra propugnationem, & si coràm perspexeram neque de eorum constantia quic q̃ dubitabam, fuit mihi tamen ex literis tuis cognoscere periucundum q̃ fideliter, quamq; honorifice etiam absentis causam defendissent. Istius patrocinij ne eos unquã pœniteat diligenter curabimus. Quod me ad extremum hortaris, ut forti animo inimicorum iniurias sufferam, simul & quantum mihi elaborandum sit uideam, ut incredibili quæ de me excitata est, expectationi satisfaciam. Ego uero præclare utrunque mihi facere uideor, qui & illas iam pridẽ deuoraui, iamq; concoquere incipio, & ad eam quam de me concitastis, sustinendam opinionem me dudum comparaui. Equidẽ in hoc sum uno dies ac noctes totus, ut (quod initio tibi sum testatus) tum me uobis patronis fuisse non indignũ, tum uero capitali illa & famosa insectatione multo indignissimum, non solum hæc hominum ætas, uerum etiam omnis posteritas intelligat. Iam uenio ad epistolam, quam prid. Id. Decembr. cum Mediolani (opinor) essem, dedisti, cui quidem tamen quid respõdeã non sanè habeo. Tantum enim mihi de meo in Italiam reditu gratularis sed ita mehercule, ut humanitatis amorisq; erga me tui uestigia nullis quidem literis imprimere potueris illustriora. Nam cum nullum meũ extet in te officium, tua uero in me toti iam Italiæ nota sint merita, sic tamen negas quæ in me contuleris, conferasq; beneficia prætermitti abs te sine scelere, & summa inhumanitatis nota potuisse. Hæc ipsa sunt mi Sadolete charissime, quæ me tibi magis q̃ illa ipsa beneficia deuinciũt, quæ mihi somnum subinde excutiunt. nec me uigilare sine cura, opinor patientur, quoad præclarum aliquod grati erga te animi documentum protulerim. Ad Pont. Maximum scribendi sic mihi author es, ut interim nec qua ratione, nec quatenus cum illo nos agere uelis præscribas. Atqui id in primis abs te expectabam. Verumtamen si quemadmodum tu scribis, literæ illi meæ silentio gratiores futuræ sunt, non committam ut in eo officiũ nostrum diutius à quoquam desideretur. Nicolaus Tepolus talem se nobis hic præbuit, qualem tu mihi illum fore prædixeras, studiosus est, & doctus, & homo apprime temperatus, humanitate uero tanta præditus quantam ab eius ordinis nemine expectaram. Hæc ad alteram epistolã. Nam ex tertia perspexi q̃ uel in scribũdis ad me literis esses officiosus ac

diligens, qui simul atq; tuas mihi nondũ redditas esse intellexeris, duas illas superiores cum ea, quam ad Gul. Budæũ dedisses, eodem mihi exemplo statim curaris. In quo illud quidẽ peropportune cecidit, qđ hac mihi ratione tuã ad Budæũ, legendi potestas facta sit qua sanè ex re tanta sum uoluptate affectus, ut hoc equidem tempore nulla potuerim magis. Sed quoniam idem Budæus ad Bembum quoq; nostrũ scripsit, literasq; eius elicuit, mitto tibi illarum exempla, sed ea mediusfidius lege, ut tu me item Budæi ad te epistolæ participem facias. Nam quod Lælium Maximũ in mittendis tuis ad me literis negligentiæ accusas, ille autem statim ut me Venetias appulisse audiuit, officio functus est, postridie enim q̃ tibi scripseram, tuas omnes accepi. Vellem idem Lælius se mihi tam facile de taciturnitate sua purgaret, q̃ eũ tibi hoc nomine excuso. Addebas Leonti nostrum ad urbem aduentum in expectatione esse maxima, frequentemq; & perhonorificam atq; amicæ uoluntatis plenam ab eo de nobis mẽtionem fieri. Id si ita est, nondum planè abiecti sumus, speramusq; istorum iniuriam nobis aliquando & honori & emolumento fore. Consedi autem hoc potissimum loco, quod & ab urbano isto tumultu sit alienissimus & eorum mihi librorum hic fiat potestas, sine quibus instituta à nobis opera rectè perfici atq; perpoliri nõ possint. Nam quod suspicaris me Bembi nostri consuetudine adductum huc migrasse, ualuit illa quidem ad id plurimum, sed magis (mihi crede) locus ipse, & Nicenæ bibliothecæ, quoties libeat, excutiendæ facultas. Iam deinceps epistolæ, quam ad me proxime, idest ante xi. Cal. Februar. dedisti, respondeo, atq; illud equidem primum. Mihi iam non esse nouum, me abs te eorum fieri certiorem omniũ, quæ tu ad rationes nostras pertinere arbitraris. Deinde mihi gratissimũ fuisse, quod qui tuus esset ea de re tota sensus libere aperueris. Ego enim pari libertate animi, quod quidem te non nolle ostendis, quæcunq; mihi in mentem ueniunt, diligenter perscribam. Sic enim te rebus meis consulere certo scio, ut salutis atq; dignitatis nostræ rationem in primis haberi uelis. Atq hoc in genere utraq; nobis constare ut possit, non planè dispicio. Nã ut sit incredibile totius erga me Florentini populi studiũ, ut p̃claræ nobilissimæ atq; sapientissimæ ciuitatis iuuẽtutẽ optimis tũ moribus, tũ literis instituere, deniq; ut ijs cõditionibus et p̃mijs hõ trãsalpinus accersar, q̃ supbũ sit homini Italo uel q̃libet excellẽti doctrina p̃dito repudiare, uide tñ mi Sadolete ne mea ea sit cã, ut ego id muneris uel honeste subire, uel ẽt sustinere nõ possim, q ius ciuile iã olim profiteri cœpim, q in foro Lutetiæ Parisiorũ ita sim uersatus, ut i cẽtũuirale illud iudiciũ adlegerer, q nec Pãnoniæ regũ nec Galliæ promissis cesserĩ, nec eos qbus nos Leõ. Pont. Max. ornatos eẽ uoluit, honores abijcere possim, p̃sertim cũ is ociũ

noſtrum perhonorifice, copioſiſſimeq; adhuc tueatur. Hic tu mihi, ſcio, Iu-
lium Firmicum, Lucianum Syrum, Lactantium Firmianum narrabis,
quos conſtat relicto foro atq; iudicijs, ad hanc ſe uitæ partem totos contu-
liſſe. Ego uero etiam ipſum M. T. Ciceronem poſt felicem illam nunquã
ſatis laudatũ conſulatus ſortem, poſt fortiter & integerrime adminiſtratã
prouinciã, relatumq; inde imperatoris nomen, & laureatos faſces, quaſi
ludum amicis aperuiſſe ſcio, hac etiam ætate docuiſſe literas Hermolaũ
Barbarum, & Hieronymum Donatum patricios Venetos non ignoro.
Addo illud, multos hoc ſibi inſtituto uiam partim ad conſularia inſignia
partim ad conſulatum ipſum muniuiſſe, Senecas, Quintilianos, Auſoni-
os, Floros, Frontones. Sed ij illis temporibus docuerunt, cum ea res multũ
etiam dignitatis afferret. Nunc cum & hæ iaceant artes, ad quas tu me
uocas, & mihi populo, ſcenæq; ſeruiendum ſit, & tuenda in primis gra-
uitas, uereor ut familiæ noſtræ honori ſatis à me conſultum homines iudi-
cent, ſi huc deſcendero. Sed contemnamus ſanè uulgi opinionem, ſtatua-
musq;, non poſſe cuiquam eſſe turpe id docere, quod ſit multis glorioſum
ſcripſiſſe, omnibus honeſtum didiciſſe, etiam ne me obeundo muneri pa-
rem fore putas? Ego ſanè, quod me fateri quidem pudet, ſed hic fatear ne-
ceſſe eſt, nondum ad eum doctrinæ gradum perueni, ut quiſquam ea in
re optima mea opera uti poſſit. Magnum eſt, mihi crede, negociũ et labo-
ris & deſperationis plenum, acerrimo eruditæ illius ciuitatis iudicio ſa-
tisfacere, cui haud ſcio an Argyropoli, Chalcondyli, Laſcares, Aretini, Po-
lytiani, Landini, Marcelli omnino ſatisfecerint. Auget hanc meam diffi-
dentiam non tam conſcientia mediocritatis noſtræ, quæ tamen ipſa maxi-
ma eſt, q̃ quod incredibilem expectationem illic eſſe uel aduentus uel do-
ctrinæ noſtræ prædicas. Quis.n. tantæ opinioni reſpondeat? Ne tu hic il-
lud modo ſpectes, quid de me aut certi homines, docti quidem illi & gra-
ues, ſed nimis amantes mei iudicent, aut etiam ipſe tu ſperes, illud potius
tibi fac occurrat, quantulum id ſit quod à nobis nunc præſtari poſſe exiſti-
mes. Præſenti enim & numerata pecunia opus eſt, non ea quæ annua, bi-
ma, trima die curetur. Verum fac à nobis uel ſtudio uel diligentia effici
poſſe quæcunq; deſideratis, uacuũ ne etiam periculo conſilium tuũ, & me
inuidiæ parem fore mihi præſtabis? Scis quanto capitis mei periculo Ro-
mæ certatum ſit. Vicimus nos quidem, et iuſte, deus immortalis, uicimus,
ſed tamen plus offenſionis apud multitudinem ipſa uictoria contractum
eſſe q̃ cauſa, non ignoras. Quàm tu me uel fortem, uel prudentem hic eſſe
uelis, neſcio. Equidẽ ſæuiſſimas inuidiæ tempeſtates excitari iam proſpi-
cio, & imperitoꝝ in me renouari odia. Hominum certe nobis aperte ira-
torũ illa mihi iam audire uideor. Vnde nobis ab ultima barbaria nouus

Anacharsis iste? An non ille Italiæ inimicus? Populi Ro. hostis? Apage sis longum et infelix istud lolium. Eorum uero qui nobis obscurius sunt iniqui, aut etiam patriæ studiosi, paulo forte mitior fuerit oratio, sed haud ita dispar ad disturbanda consilia nostra ratio. Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes? Non adeo neq; effœtam, neq; ægram esse Italiam, quin ipsa sibi dicendi magistros suppeditare possit. Non modo ad Aethruriæ populos, sed ad uniuersos Italos hanc pertinere, nec omnino dissimulandã esse contumeliam, ut usq; trans alpeis accersatur barbarus aliquis qui latinas in ipso Latio literas conserat. Præclare nimiũ mecum actum, quod in Romanam ciuitatem uestra paucorum factione irruperim. Iam non esse tolerandum, ut Romanos ipsos latinas artes atq; literas tanta unus gloria in Italia doceam. Quid quæris? eo me certe nomine, quasi ex iure manũ consertum uocabunt, quæso, quid tum tu? quid ego, qui cum inueterata illa ardeo inuidia, & sum istiusmodi hominum iniurijs nescio quo meo fato opportunus, tum uero meapte natura litium fugiens, nec ad subitas eorum uelitationes satis exercitatus. Age uero, uincantur omnes facile à nobis, uel iustis uel tumultuarijs prælijs. Horreo tamen adhuc τρῶας καὶ τρωάδας ἑλκεσιπέπλους, sed aliter profecto atq; Hector ille Homericus. Nemo enim istorum est, quin se de Italiæ nomine atq; dignitate optime mereri arbitraretur, si me inde, quando aliter non posset, uel ueneno, uel ferro exturbaret. Vides iniquũ pugnæ genus, in quo turpis infamiæ plaga uicto accipienda sit, uictori paratum exitium, mortuo etiam misericordia defutura? Quis enim uel meorum, uicem meam doleat, si semel facto naufragio, ipsisq; multum & diu reclamantibus, eò me iterum demisero, unde exitum nullum uideam? Quibusnam igitur, inquies, rebus adductus in Italiam reuertisti? Primum, ut fidem, quam de meo reditu uobis dederam, liberarem. Deinde, ut uestra doctissimorum atq; optimorum uirorum consuetudine fruerer. Postremo, quod ad excitanda, fouendaq; studiosorum hominum ingenia plurimum conferre sum arbitratus cœli uestri clementiam, terræ halitum, maris afflatum, atq; ut uno uerbo complectar omnia, felicem illum, ac planè diuinum Italiæ geniũ sum secutus, qui & si nobis, hoc est transalpinis gentibus, sua sponte non admodum fauet, exorari tamen se nonunquam patitur, obseruantiaq; nostra, & assiduo cultu delinitus non minore nos interdum indulgẽtia q̃ indigenas ipsos complectitur. Hæc ferè sunt mi Sadolete cur uicenis illis quinis in annos singulos sestertiorum nummum millibus haud ita mouear, & rem totam ad uestrorum hominum quempiã deferri malim, quæ si tibi probabuntur, ocio nostro & institutis à nobis studijs bene consultum iudicabo. Sin minus, in potestate tua tamen sum futurus. Nec enim

is ego sum, qui consilium meum anteponi uelim tuo, quē toto de me animo, ac ornamentis commodisq; nostris prudentissime cogitare exploratū habeo. Sed fuit tibi gerendus mos, qui cū multa sententiæ tuæ conuenientia disputasses, quare munus istud à me recusandum esse non putares, ad extremum uolueris, ut si à te in eo dissentirem, diligenter & continuo rescriberem, quod quidem à me factum est, eo etiam die quo tuæ mihi sunt redditæ, facturus id tamen ipsum accuratius & per ociū, nisi mihi tuis literis hanc festinandi necessitatem imposuisses. Quod si tu bona fide, tuæ in scribendo incuriæ, tibi à me ignosci postulasti, quid me hic tandem facere par est, qui ad te, idq; subito scribam? Sed non cōmittam, ut tu me uel ineptum, uel delitias hic facere existimes, presertim cū iandudū epistolæ modum excesserim, si modo hæc una epistola appellanda est, qua ad quatuor tuas uberrimas & elegantissimas respondi, & q̄ multa si nō q̄ paucis, haud ita certe multis explicui. In eo tantum te admonitum uelim, ut siue propter literaꝝ exilitatem, & πεπυκνωμένως compressos uersus, siue etiam propter manus nostræ rusticitatem, difficilior tibi uidebitur haꝝ lectio, cures eas tibi per librariū tuū luculentius describendas, quod quidē inter se Budæū & Erasmū nostrū factitare audio, quos tu, si me audies, hoc in genere authores nō aspernabere. Vale. Venetijs. Pri. cal. Ianu.

C. L. BERNARDINO CORTONAE S.

INcredibilem cæpi ex literis tuis uoluptatem, neq; eam tamen ex ea potissimum parte, quod & honorificæ & amoris erga me tui essent plenæ, q̄q̄ id sanè ipsum quoq; mihi fuit gratissimū, sed quod commendatione mea adductus cum fratre tuo in gratiā statim redieris, atq; omnes eius in te siue iniurias, siue ineptias appellare oportet, mihi condonaris, qua etiam de causa maximas tibi, ut debeo, gratias ago, simul & ut de ipso bene sperare uelis, à te postulo. Mihi.n. subuereri uideris ne is rem ad uerba non conferat. Depone (quæso) hanc suspicionem, quæ quid tibi profutura sit, non uideo, mihi certe grauis & molesta est, qui te ista prudentia uiꝝ, eo, quod nunq̄ fortasse futuꝝ est, malo iā laborare sentiam. Omnino.n. aut, quod spero, in officio erat, aut (quod Deus auertat) ad pristinos mores redibit. Si quod mihi pollicitus est, exitu præstiterit, gaudebis tu unus ex omnibus uel maxime. Sin indulgentia tua abutetur, sibi totum nihil tibi peccarit. Deinde etiam illud tibi erit solatio, quod in eo sanando, quæcunq; potuerint adhiberi remedia, ea ipse tu adhibueris. Et quando medicinæ facta est mentio, tu uelim eo sis in fratrē tuum animo, quo clementes medicos erga ægrotos esse non ignoras, etiam eos qui sua culpa in morbum de integro inciderunt. Neq; enim corporis

humani magis esse arbitror sæpius ægrotare, quàm animi ipsius persæpe falli, labi, errare. Atqui morbos curare ut alicuius sit non contemnendæ industriæ & artis, nullius est tñ uirtutis, concedere autem delinquentibus, & se tam lenem deprecantibus præbere, q̄ placatum uitijs nostris Deum optamus, hoc uero quiddam planè diuinum est, id est tuũ, qui quominus uel ætatis, uel Dei ipsius beneficio iam delinquis, hoc te magis eos miserari non odisse decet, quos aliqbus animi perturbationibus uexatos, & occæcatos huc illuc temere raptari atq; ferri uideamus. Quare te cũ de Fuluio tuo spē etiãnũc abijcere nolim, tum uero ita posthac animatũ esse uelim, ut si is iterũ atq; iterũ offendat, ei tamen sæpius ignoscendum esse putes, ego quidem ipse iterũ atq; iterũ deprecabor, & si bene te noui, etiam fortasse ueniam ei impetrabo. Sed de his nimis multa, præsertim ad te, qui si fraternæ pietatis ui & sensu nihil tangerere, Francisci quidem Assisiatis uiri sanctissimi, cuius te æmulum profiteris, exemplo cõmouerere, quē qdem omniũ mortalium mitissimũ fuisse atq; lenissimũ oēs prædicant. Quod autē in extrema tua epistola studere te ostendis, ut idem frater tuus apud me uiuat, de eo ipso, ille mecum prius egis, q̄ me authore istuc proficiscere tur, ac tum quidē eã attuli causam, quam ipse mihi uisus ē facile accipere. nunc uero nihil uerebor me tibi indicare, atq; illud simpliciter fateri, tam longum mihi fuisse cum eo consuetudinis usum, tantam intercessisse familiaritatem, ut nullũ mihi in eũ neq; imperij, neq; arbitrij ius relictum esse intelligam. Huc accedit, quod ea uestra est fortuna, ut nihil ei mecum uiuere sit necesse. Mihi autem huiusmodi aliquo est opus, cui cũ omnia adsint fratris tui ornamenta, tñ ea desit facultas, ut se hic suo sumptu commodè tueri possit. Nec enim ullo æque alio, ac necessitatis uinculo ministros in officio contineri iudico, hoc est, si illis exploratum sit, se suis rationibus sine eo qui cũ uiuant, rectè non posse consulere. Habes cõsilij mei ratiōem, quã tibi probatũ iri cõfido, spero qdem certe, cæteris autē in rebus qbuscunq; tibi cõmodare potero, faciã ut mihi tua uoluntate nihil esse cognoscas antiquius. Fuluio qdē ipsi neq; monēdo, neq; hortando, neq; si res coget meo labore ēt subdocēdo ullo sim loco defuturus. Val. Pat. xvi. cal. Aug.

C. L. FVL. CORTONAE. S.

Adē ferè hora accæpi hodie abs te, et à Bernardino fratre tuo literas, ut eodem mihi tēpore redditas, sic in eandē oĩo, qua de uestro in gratiã reditu, qua de Draconis nostri absentia, rōnem breuissime ɔscriptas, quorũ qdē altero nihil nobis potuit esse gratius atq; iucũdius, altero nihil facile molestius, ut qui rē nostram istiusmodi absentia desperatam, aut certe neglectam istic iacere perspicerent, quorũ utrum minus uelim, non facile dixerim, sed tamen malo rem nihil facultatis

habuisse, q̃ hominis amici diligentiam in ea desiderare. Tu eum, quod te facere ostendis, rure uelim excites, & cum ipso mandata mea digeras, atq; diligenter persequare. Nam de Camillo Colloretano quod fecisti, scito mihi quidem fuisse gratissimum, sed illud non minus fore accaptum, si, cũ de Varamiano aut alio quouis confeceris, ita ad nos confirmatus ipse reuertare, ut eo mihi gratias aliquando Bernardinus agat modo, quod te in ueterem suam gratiam restituerim, quo sunt illi hodie à me per litteras actæ, quod se tibi tam facilem atq; placabilem præbuerit. Draconem nostrum uelim saluere iubeas, meisq; uerbis roges, ut quod initio sua spõte suscepit, ac sanè diligenter uisus est gerere negociũ, id mea causa ad exitum aliquando tandem perducã uelit. Quod si uobis nihil istic occurrit, quod ex re mea esse uideatur, facite me q̃ primũ de eo ipso certiorem. Hic enim aut Venetijs facile reperturi sumus, quod nobis sit usui futurũ. Equidem mihi iandudum ipse nullo negocio prospexissem, nisi rem totam, te authore, Draconi permisissemus, qua de re ad ipsum quoq; scribere cum in animo haberem, ac potius iam instituissem, impeditus sum uerecundia. Metui scilicet ne me is parum in scribendo pudentem iudicaret, si crebras eadem de re literas à me acciperet. Tu si nihildum ad nos cogitas, aut etiam si propediem cogitas, fac tamen ante q̃ uenias, litteræ mihi à te ueniãt. Vale. Patauij .xyi. Cal. Aug.

CHR. LONG. NICOLAO DRACONI S.

IAm literas tuas desiderare incipiebam, cum mihi opportune ad. ix. Cal. Sextil. epistola est à te reddita, in qua illud mihi sanè iucundum fuit, atq; haud scio an etiam iucundissimum, quod te M. Tullij Ciceronis studiosiorem iam factum esse cognoui. Certe enim non modo quædam aspersisti, quæ mihi eiusce rei significationẽ darent minime obscuram, sed etiam genere toto Ciceronianũ quiddam mihi uisa est redolere. Laudo consilium, ac simul te, pro mutuo inter nos amore, ad eius scriptoris lectionem etiam atq; etiam uehementer cohortor, uel currentem potius incito. Etenim si latina lingua, non iam domestico aut forensi ullo usu, sed tacita quadam mutorũ doctorũ consuetudine percipiẽda est, cui nos tandem potius ad discendum demus, q̃ illi, q omnium ætatũ iudicio habitus sit omniũ eruditorũ eloquẽtissimus, eloquẽtiũ eruditissimus? Eqdẽ sic ipse statuo, primũ, fieri nõ posse, ut qs cogitata sua pclare satis et ornate latinis uerbis cõplectatur, q nõ Cicerõis scripta diligẽter et attẽte pleg erit. Deinde, eũ q illius libros multũ et studiose uoluerit, siquidẽ mediocri aliqua sit prudentia pditus, ea ipsa multis aliquãdo

fore admirabilē. Sin modica, uel etiam exigua tinctus, sic tamen inuenta sua literis mandaturum, ut in his nihil neq; putidum, neque ineptum à quoquam deprehendatur. Nec enim ego Ciceronem ex ea solum parte solitus sum mirari, quod accurata quadam orationis ubertate & copia omneis, qui unquam usquam floruerunt, oratores facile superarit, sed qđ ea sit tum in excogitando ingenij subtilitate, ut nemo acutior, tum, in collocandis & distribuendis rebus prudentia atque iudicio, ut nihil ne fingi quidem possit cautius atq; omnino aptius. Huc accedit non iam humana illa, sed planè diuina quædam orationis forma, quæ cum elegantia & dignitate sit præstantissima, tum uero ea est facilitate atq; uenustate condita, ut quæ grauissima sunt & ornatissime, & certis numeris studiosius astricta, illaborata tamen & simplicia & soluta liberius fluere uideantur. Hunc tu igitur, quod facis, & admirabere in primis, & quoad eius fieri poterit, etiam imitabere. Vt enim nulla eius laudem consequare industria, magnum tamen id erit, & egregium, quod assequere, si optimo, quamuis magno interuallo, fueris proximus, aut etiam in tertijs, atq; adeo in quartis constiteris. Sed aliò delapsus sum qui ad literas modo tuas rescribere in animo haberem. Non potui scilicet facere, quin tibi paulo uberius explicarem, q̃ mihi in Cicerone persequendo consiliũ probaretur tuum. Ergo ad literas tuas, in quibus quod ais Fuluio nihil authoritate tua fuisse opus, idem ille mihi quoq; scripsit, qua ex re duplicem cæpi uoluptatē, & quod tu ea molestia caruisses (molestum enim tibi scio futurum fuisse, tum in urbem uenire hoc tempore, tum uero magis ab institutis studijs tuis abduci) & quod affines illi tui sese fratri suo æquos & faciles præstitissent. Verumtamen est quod tibi gratias nihilominus agam, qui te mea causa omnia fuisse facturum, & adhuc esse, si res coget, ostendas. Fuluiũ ipsum uelim in hac studiosæ uitæ uolũtate oratione tua confirmes, confirmatum & uiatico instructum ad nos primo quoq; tempore remittas. Nam tu quidem, si sapis, ex istis locis migrabis nunq̃, qui eam istic degas uitam, præ qua meum mihi iam ingratum sit ocium, de quo tamen, uix credas, quàm ipse me beatum aliquãdo existimarim. Aui um concẽtu è lectulo ad literas mane excitari, à libris circùm florida prata, circùm amœnissimos colles oberrare, ab ambulatione, conuiuis istiusmodi & sermonibus perfrui. Dum calor se frangat aut in opaca suauiter umbra meridiari, aut alsiore in loco, leuioribus balistis & scorpionibus certioris dexteræ & obtutus periculum facere. Inde admissis equis ad uenandum exire, postea se in bibliothecam abdere, ubi lectioni modũ non satietas, sed ratio ipsa statuat. Adijcis ad hæc lautas & magnificas nescio quas cœnas, ab ijs uero ipsis molliores quasdam alias ambulatiũ-

culas,& literatas collocutiones.Postremo suaues & delicatos illos somnos.Ne uiuam,ni ista eiusmodi sunt,ut ad ea uel spectanda mare transiturus fuerim,siquid usquam tale existere suspicatus essem.Quid nunc censes cum me istò,ad tantæ coeundam felicitatis societatem tam liberaliter inuitatum uocetis?Noctes,mihi crede,ac dies istuc cogito,uel potius euolare cupio.Quare fac me circiter Id.Septembr.expectes.Adero.n.ad eá diē Deo iuuante,nec ante ad reliquū peregrinationis obeundū progrediar q̄ oēm uitæ,studiorūq; uestrorū rationē penitus perspexero,id est ipse me uobiscum aliquot dies in ista agrorū amœnitate oblectaro. Vale. Patauij.

CHR.LONG.IAC.SADOLETO PONTIFICI S.

Is literis,quas mihi à te heri M.Antonius Michael Venetijs misit,magnum cæpi cum officij,tum uero etiam tui de me iudicij fructum.Officij,quod te mihi de literarum tuarum silentio tá accurate excusandum putaris.Iudicij,quod me tecum uiuere,& tua omnia mihi uolueris patere.Omnino,& si mea est fortuna,hoc tempore,ut nihil abs te mihi potuerit deferri gratius,scito tamen egregiam tuam istá erga me uoluntatem,promissorum tuorum exitu mihi multo esse gratiorem,non quo ijs quæ ostendis opinionem uiceris meam(pollicitus enim mihi sum de te semper omnia,quæcunq; ab homine amicissimo & eodē liberalissimo expectanda essent)sed quod literas legens tuas,prolixam istam & benificam tuam naturam mihi cernere atq; planè intueri uiderer.Itaq; cum gratias tibi,ut debeo,ago maximas,tum ut isto in me animo in perpetuum esse uelis,te uehementer etiam atq; etiam rogo. Ego enim ne quod unquam memoris à me & grati hominis officium aduersum te prætermissum esse intelligas,obseruantia,studio, assiduitate,uti spero,perficiam.Nam quod ais nullam tibi uideri causam,quare Patauinum urbis domicilio anteponá,ut ne'ue quid hic de mea inuidia,ne'ue de isto urbis statu afferam,ego uero si tam expeditas uiuendi rationes haberem, q̄ tu,mea non magnopere interesse arbitrarer,utrobi ætatem agerem. Nunc cum & tu rem familiarem ita constitutam habeas,ut ubiuis gentium,copiosissime te & honorificentissime pro pristinæ tuæ fortunæ splendore,& amplissima ista tua dignitate tueri possis,mea uero ea sit conditio,ut uel in hac rerum omnium ubertate & copia,tamen ipse me cum unico assecla uix sustentem,quid me tandem Romæ facturum putas? Verum quando mihi domum tuam patere uis,hoc est me istò perducere, non committam ut conuictu & optatissima mihi tua consuetudine diutius caream.Sed quia res meæ hic ita contractæ sunt,ut neq; facile neq; statim explicari queant,nondum habeo quid ad te de aduentu meo perscri

bam, simul atq; me expediero, faciam te certiorem. Interim memineris eo me esse animo, ut liberalitate & familiaritate tua aliquando uelim uti, tũ etiam idem à te, quod superioribus literis, hic peto, ut cum primum facultas erit, aditum mihi ad Pont. Maximum tua commendatione patefieri uelis atq; communiri. Hoc te tam rogo q̃ quod uehementissime. Vale. Patauij ad .iij. Cal. Sextil.

CHR. LONG. OCT. GRIMOALDO. S.

IAmpridem nihil scribis, opinor, propter inanem lætitiam eorum quæ de recæpta à Fulgosijs Genua proxime misisti, aut certe quia quod scribas noui nihil habeas, nisi forte utraq; de causa etiam nunc taces. Atqui erroris illius culpã uel ego, qui omnia mihi abs te significari uolebam, uel eorum qui falsum illum rumorem disjiparant, pertinax impudentia sustinuerit. Nã si quod mittas nihil habes noui, hoc uero ipsum mihi erit planè nouum, præsertim in tanto rerũ motu, uel potius tumultu, & bello undiq; ardentibus Gallia, Britannia, nec ipsa satis pacata Hispania, in quam tamen Cæsarem nostrum ex Britannia Non. Quintil. transmisisse audio. De appulsu eius nihildum certi nũciatum. Rhodum uero maximis terra mariq; Turcarum copijs arctissime circumsideri, constantior hic erat fama, q̃ uellem. Quod si ita est, mirũ in tanta rei gerendæ facultate Pannones & Sauromatas domi ociosos sedere, aut si occasione utũtur, nihil de eo illinc ad nos literarum affluere. Tu uelim ad omnia, simul & de re nostra aliquid, quam nihil adhuc tinnisse ualde miror. Hieronymum Sauornianum, si nondum exijt, uelim à me saluere iubeas, itemq; Ant. Marcilium, à quo mirificam aliq̃ de Elephanto in Aethruria literas docente epistolam diu expectaui. Memini cum à me Mutianus ille ter Consul rideretur, quod sibi Elephantum esse uisum memoriæ mandasset, qui literarum ductus græcarum didicisset & scriberet. Nunc uereor ne si, quod uidemus ipsi, id à nobis literis mandetur, impudentissimi ab omni posteritate iudicemur. Quis enim tanta futurus est animi facilitate, cui tam explorata rerum naturæ uis atq; potentia, ut tametsi proximum humanis sensibus, & terrestrium animaliũ esse Elephantem sciat maximum, tamen his temporibus Elephantũ quẽdam extitisse credat, qui cum humana uteretur uoce suauissima, tum uero etiam omni literarum genere perpolitus, atque optimarum artium cognitione instructus & ornatus, tota Italia longe haberetur & doctissimus & eloquentissimus? Prorsus res noua est, & mira, & inaudita, & quæ apud posteros plus admirationis habitura sit quàm fidei, nisi Marcilij nostri ingenio ita memoriæ tradatur, ut facta non ficta esse uideantur.

Vices ut omnia colligam, quo uel te, uel Marcilium ipsum excitem, extra iocum, cessationem tuam iam ferre non possum, superioribus diebus eā quoquomodo tuli, quod te ipsum in dies singulos expectarem. Nunc cū ex Theoceni sermone aduentum tuum desperarem, hæc tibi qualiacunq; mittenda existimaui. Literas quas Iac. Sadoleto descriptas esse uides, dabis M. Antonio Michaeli Romam perferendas, idq; statim quod ut facias, à te etiam atq; etiam peto. Vale. Patauij ad iij. Cal. Sextil.

CHR. LONG. RAYNOLDOPOLO S.

Etsi mihi nihil erat optatius q̄ Paccæum nostrū primo quoque tempore uisere, tamen utar literarum tuarum consilio, sed non ex ea parte, quo minus hac profectione studia interpellentur mea. Nullum enim ego literarum studium officio atque humanitate duco antiquius, sed ne ipse potius collocutiones uestras aduentu meo interpellem, quæ quidem sanè causa fuit, cur ei tecum obuiam, ad fossam Clodiam non prodierim. Videbam enim eiusmodi uestrum fore congressum, cui uel intimi cuiusuis, nedum alieni hominis, interuentus molestus esse posset. Nam quod de illius erga me beneuolentia & amore scribis, est id mihi omnino gratum atq; in primis iucūdum, sed in quo nihil ipse fallatur. Habet enim me cupidissimum sui, dignitatisq; suæ studiosissimum, cuius ipsius rei, quem ego ei locupletiorem edā testem quàm te? qui, quàm ab eo humaniter in Britānia fuissem acceptus, de me persæpe audisti, quanquam alia sunt omnino, quæ mihi hominem, nondum à me uisum, mirifice commēdarint. Eruditio, doctrina, et, quod in plerisq; omnibus studiosis hodie desideres, ingenium ad gerendam remp. aptissimum. Nunc uero cum ipsum mecum in amore certare ex literis eius tuisq; perspexerim, dabo operam ut ne ipsum istius inductionis animi & ad me amandum uoluntatis unquam pœniteat. Sed hæc malo coràm ex me cognoscat. Veniat modo, sed propediem. Nam si procrastinatis, ego uero istuc aduolo, neque iam sermonum consuetudinisq; uestræ rationem ullam habeo. Scis in qua tu me solitudine reliqueris. Abest Flaminius, abest Bellinus, tu denique cum toto comitatu. Adest unus Iacobus, cui me curæ esse uoluisti, & sum equidem ei etiam cordi, sed non item ille mihi. Nam posteaquam rumores aliquos mihi renunciauit, non iam homo sed litus & aer, nosti cætera, fac igitur per deum, qd te facturum ostendis, ut mature uenias, nisi forte me hospitem paucis diebus istic habere mauis. Non enim committam, ut cum tam propinquis in locis simus, neq; ego uobis fruar, & uos me diu careatis. Leonico nostro

ſtro decretum erat, cras iſtò ſe, ſalutandi Paccæi gratia, conferre. Ego, qui hominem minus adhuc belle habere, nihildum certe ad iter faciendũ ſatis confirmatum eſſe iudicarem, author ei magnopere fui, in uiam uti ne ſe daret hoc tempore. Metui ſcilicet ne uel ineuntis autumni uel ſuperioris morbi grauitate imbecillior, facile offenderet. Huic meo conſilio cũ manus ad extremum ille dediſſet, præſertim cum eum de aduentu ueſtro ex literis tuis certiorem feciſſem, ſalutem hic tibi à ſe aſcriptam eſſe uoluit plurimam. Vale. Ex urbe Patauio ad xi. cal. Septembr.

CHR. LONG. RAYNOLDO POLO S.

Tti ſummis totius corporis doloribus oppreſſus dubia ſpe uitæ ſpiritum miſere duco, fecit tamen ſummum meum & perpetuum de te iudicium ut hos cruciatus neſcio quo modo frangerem, dum ſupremo hoc literarum munere ad te perfungor. Nam poſtridie quàm ad te ſcripſi ſæuiſſima me febris arripuit, quæ ita me hoc triduum torſit ut nihil unq̃ acerbius in uita ſim perpeſſus, ſcilicet quaſi diuinarem ita futurum. Volui quemadmodum tibi proficiſcenti oſtenderã ut bibliotheca mea omnis tibi obueniret ſiquid mihi in ea, quam adornabam peregrinatione accidiſſet. Verum ut uides propius erat q̃ arbitrarenur ſummus ille noſter dies. Peto igitur abs te per amicitiam noſtram quam ad ſummum perueniſſe exiſtimo, ut mortuo mihi memoriã beneuolentiamq; quam neceſſitudo noſtra poſtulat humaniter ac pie praſtes. Da operam ut ualeas & Paccæo meis uerbis ſalutem impertias plurimam. Patauij viii. Cal. Septembr.

u

PETRI BEMBI ET IACOBI SADOLETI EPISTOLARUM LIBER.

PETRVS BEMBVS CHR. LONG. P. S. D.

Vraui mandata tua Florentiæ diligenter, idq; amplius, quod Protonotario Bartholino, qui mihi uisus est mirifice de te & sentire & loqui, defensionum tuarum librum dedi. Cum Iulio Cardinale multus de te sermo, is mihi significauit, quod ad te Iacobus Sadoletus de Florentinorum erga te uoluntate scripserit, se authore factum. Romam cum uenissem, Cardinali Columnæ defensiones tuas misi, Sadoletum ipsum. Paccium. Adornium Lælium, reliquosq;, de quibus me tu is in literis admones, tuo nomine salutaui. Postremo etiam Leonis x. Pont. Maximi pedibus, cũ is è Mãliano rediisset, dedi osculum tuis uerbis. Nam me in urbe propter imbecillitatem ualitudinis meæ Apennini traiectu uiaq; tædio & laboribus auctã decẽ ipsos dies ꝯtinuerã, Ille uero me, ubi esses, qd ageres quid cogitares, satis quidem familiariter, atq; (ut mihi uisus est) etiam amanter interrogauit. Aderat Paccius, qui & ipse de te, deq; illo ipso tuo libro, quẽ iam legerat, multa praeclare. Idem, cum ego Principi respondissem te Patauium esse profectum eo consilio, ut consumandis ijs studijs, quibus te totum tradideras, biennium uel certe quantum ad id temporis satis tibi esset, impenderes, habere dixit se abs te literas, in quibus erat scriptum, te Florentinorum conditionem uelle accipere, quæ quidem ad uerba nihil omnino Princeps, cum antea adeuntibus illum Romanis Consulibus, ut eius sententiam elicerent, num te donatum esse uellet ciuitate, cum alia multa singulari cum tui commendatione, tum illud etiam dixisset, fouere se tua studia, annuamq; ad id pecuniã tibi curariiussisse, ut quod statueras Patauium secedere, ut'ea in urbe doctissimorumq; hominũ conuentu institutis iam abs te commentationibus aliquot annos dares, eius tibi conficiendi facultas ne deesset, totumq; illud consilium profectionis tuæ uehementer à se probari significauisset. Quod eo tibi scripsi, ut scires quam iam ille opinionem atq; spem de te ocioq; tuo isto Patauino conceperit. De rumoribus, qui hic iactabantur, male te de Romanis sentire, cum hos montes nihil solidum crepare diceres, planè nihil est, quod labores. Primum incerto authore, deinde parum adhibetur fidei. Postremo quicqd est, id omne nostro aduentu iã euanescit. Amicos quidẽ habes oẽs uel do

ctos uel bonos, ꝑter unũ Sinonem illũ tuũ, quem tñ doctum esse nunquã iudicaui, bonum credebam, in quo q̃ me fefellerit, uides. Itaq; oderit, diligat, æque habendum, nisi tibi etiam iocundum esse debet, te ab illo non diligi, quem tua causa nemo bonus diligit. De Bembini Catelli mœrore suscæpto ex discessu nostro quod scribis, uide quid egeris. Auxisti tu quidẽ desiderium uel etiam dolorem meum. Valde me pœnitet illum domi reliquisse tam fidum, tam nullius oneris comitem, tantæ sedulitatis, festiuitatis, ioci. Vt omnibus delicijs carere mihi uideor, qui eius blãditijs careo. Numos Principis sex mensium nomine tibi dependi curauimus. Eos habebis cum his literis. Protonotario Saulio & Lazaro et Flaminio plurimã salutẽ dicito meis uerbis. Vale. Romæ quarto kalẽdas Iunias.

PETRVS BEMBVS CHR. LONG. S.

r Espõdeo ad tres tuas suauissimas atq; amantissimas literas, diuersis temporibus datas, et quidem breuiter, teneor .n. satietate quadã uel potius tædio scribẽdi, ut nihil omnino difficilius, nihil morosius faciã, q̃ cum calamum sumo, nihil libentius, q̃ cum depono. Cur? inquies, Quia, quoniã multos iã annos ea cogor scribere, quæ ad stomachũ meũ nõ faciunt, ẽt illa, quæ mihi grata solent esse, nunc displicent, cũ sunt scribenda, ita scriptio ipsa oĩs permolesta. Nisi forte diuturnus morbus segnẽ me atq; ignauũ ad oĩa reddidit. Quod si ẽ, spero me ad pristinã meã in scribẽdo alacritatẽ breui rediturũ. Satis .n. belle, ut nũc qdẽ est, me habeo, oẽsq; iã propè morbi reliquias abieci. Sin altera illa causa ẽ, hinc euolẽ oportet, abdamq; me aliquò in studia scilicet, atq; in literulas nostras; quemadmodũ tu quidẽ fecisti, dũ illa dedisco, q̃ inuito mihi adhæserunt; ut à me pagellã accipias libẽti animo, ne dicã impigro scriptam. Sed uenio ad tuas literas. Bolducus noster quod tã in te officiosus fuerit, gaudeo, eoq; magis, quod nihil eorum, quæ commemoras, meo rogatu, egi tamen illi per literas gratias cum tuo nomine, tum meo, qui quidem quasi Pollux omnia, quæ in te honoris causa tanquam in Castorem conferũtur, in me etiam conferri puto. De Naugerio meo quæ scribis, mihi grata sunt, ille uero non modo in literarum studijs, sed etiam in amicis colẽdis mirificus. Qui quod æstatem in suis Muranianis hortis cõfecerit, ualde lætor, neq; enim uereor, quin illi cõstiterit fructus ocij tã iocũdi, ad quẽ quidẽ oblectandum, ab æstuq; tuendũ, ut audio, etiã è Benaco multæ Citriorum arbores suas umbras adduxerint. Respondi ferè ad tuas priores literas. In secundis literis quod de Ioanne Pino Gallorum Regis Legato me admones, id erit mihi curæ. Semel illum conueni, cum esset

P. BEMBVS CHR. LONG. S.

Cœpi tuas literas Non. Ianuarij datas ad xvi. kl. Martias heri, cum exercendi mei causa extra urbem equo uectus claro & placidissimo die, aprica uia domum peruesperi rediissem, ab adolescente illo, quem mihi ipsæ illæ tuæ literæ commendabant, redditas meis pueris, cum eis, si quid uellem, se ad te postridie reuersurum dixisset, atq; ubi se conuenirent, ostendisset. Itaq; cum ipsũ non uidissem, has ad te literas dedi ante lucem, qua me quidem somnus hora singulis propè noctibus deserit, adhuc enim uigilia nos exercet, qua una si relinqueremur, essemus planè restituti. Sed uenio ad tuas literas. Quod meum de tuorum studiorum ratione iudicium tam diligenter exquiris, in eo & amori erga te meo multũ, & authoritati non nihil sanè tribuere te ostendis, quorũ in altero q̃ rectè facias, tu uideris, cuius planè interest, si deceptus sis, ab altero ne te nunquam deceptum possis dicere, cumulate ipse diligentissimeq; præstabo. Ad eam autem partem, in qua scribis, quid tibi causæ fuerit, ut aueres scire quid sentirem, ut scilicet intelligeres rectè ne operam posuisses, an secus, quo, uel pergeres ut cœpisses, uel, aut aliam ingredereris uiam, aut in ea ipsa, quam es ingressus, cursu corrigeres tarditatem, existimabam satis me quidem superioribus literis respondisse, quibus te literis profecisse quidem multum scripseram, superesse autem aliquantum etiam, quo progredere. Itaq; te hortabar, ut quod reliquum erat, conficeres, quod mehercule etiam nunc te hortor, hoc est, ut Ciceronem ipsum, quem tibi unum scribendi magistrum me authore proposuisti, eundem uniuersum non solum uores, sed etiam concoquas, ac in succũ & sanguinem conuertas tuum. Id autem spero te assequi posse, si diutius hoc idem feceris, quod adhuc facis, assecutum omnino esse, quemadmodum tibi antea scripserã, non existimo. Neq; hoc ideo dico, quasi tu parum profeceris annua propè ad id cogitatione laboreq; adhibito. Multũ est. n. adde etiam si uis, maximũ q̃dem illud, quod iam actum abs te est, ut mihi quidem uideri solet, cum tuas litteras lego, meamq; de eo expectationem atq; spem non æquatam modo abs te, sed lõge etiam superatã tibi uere atq; persanctè affirmo ac denuntio. Sed quia nollem eo te maximo esse contentum, & tanquam ad metam perueneris curriculo confecto, conquiescere; propterea dico. Nam quoniam ea ẽ ingenij tui uis, atq; præstantia, nihil omnino ut sit tam arduum tamq; difficile, quo si animum intenderis, non te id posse complecti: atq; conficere breui & luculenter putem, nulla te quidem in laudis mediocritate consistere facile patior. Itaq; quanquã minus fortasse uiæ superest, ut ad excel

lens illud atq; summum scribendi genus atq; formam peruenias, quo te uoco, q̃ est id, quo perrexisti, tamen nisi tu etiam, quod restat, confeceris, non tam mihi gratum futurum est praeclare sanè ac splendide id te muneris inchoauisse, q̃ molestum, non absoluisse, quod abs te commissum iri minime puto. Recordor enim quid tibi ad eam absolutionem tu te temporis sumpseris, atq; hoc cum recordor, magis miror quicquam nunc te cũ de commutanda studiorum tuoꝝ ratione, qui rectissima es ingressus, tũ uero num tibi sit, quasi tarde adhuc ambulanti, deinceps festinandum, sciscitari. Festines ãt? ut quid? incidas in aliquem morbum? Ego uero te mi Longoli malo tranquilla nauigatione utentem aliquanto serius eũ adipisci eloquẽtiae quasi portum, quem petis, q̃ propter nimiam uentoꝝ uim iactura facta celerrime nauigare. Quamobrem si meum consilium sequi uolueris (quanquam est haec quidem mentis, potius sensusq; nostri, q̃ ullius consilij significatio) neq; hunc tu cursum commutabis, cur enim? neque remo ullo plus utere σπεύσει; autẽ tẽperate ac planè βραδέως ut dicitur, ualitudinique in primis seruies. Sed iam satis aut etiam nimis multa de ijs. De Ioanne Pino, erit mihi curae cũ ut omnia mandata tua exauriam, tũ illud maxime, ut quicunq; percipi ex hominis te amantis beniuolentia potest fructus atque utilitas, percipiatur. Id totum quale sit, quoniam satis exploratum non habeo, non committam, ut eius te rei expectatione saepius excitem. Extremum est, quod erat primũ in tuis litteris. Eius ad nos epistolae tuae exemplum, quae perlata non est, quod scribis mihi te mittere, scito nullum fuisse cum tuis literis. Id uelim describi mandes, mihiq; mittas, ne ulla tua lucubratiũcula nobis perierit. Habes ad omnia. Nunc quae praeterea scire te nonnolle arbitror, haec sunt. Apud Sadoletum reliquosq; amicos recte est. Thebaldeus & Beatianus etiam fortunis aucti tibi hilarius salutem ascribunt. Ego domum cogito. Quid est aliud? Intellexi de Alexandro capella uiro sanè bono, & docto, & (ut mihi uisus est) etiam amantissimo tui, te cum Nicolao Leonico homine uere Philosopho singulari beniuolentia, coniunctim cum eo familiariter saepe esse, uel propterea, quod nõ longe ab illius aedibus incolis. O praeclaram uiciniam, teq; hominem mirificum ad praestantiũ & clarorum uirorum amicitiam conciliandam. Nae ego horum procerum prensationes appellationesq; honorificas omnium una cum uestra de ambulatiuncula & sermone libenter commutauerim. Nunc ei quod possum, multum salutem uolo impertias meis uerbis. Etiam Marinum Georgium Patauij praetorem, quem scis à me unice di'igi, ex me si salue re iusseris, mihi gratissimum feceris, idque ut facias, planè te rogo, tum et Saulium & Flaminium. Tu ualebis, nosque diliges. Romae

P. BEMBVS GVLIELMO BVDAEO. S.

Mabam te quidem antea plurimum. Quid enim nō te amarē
a cum uirum optimum, & rectitudine animi uitæq́; probitatē
atq; constantia grauissimum, tum de præstantissimaꝝ artium
disciplinis, studijsq́; nostris mitioribus, et literis uel latinis uel græcis opti
me meritū, atq; in isto doctissimoꝝ hominū ꝯuentu & tanq̄ officina semp
qdem celebri, nūc uero etiā solito uberiore Parisioꝝ Lutecia opinione oīm
facile principē? Itaq; amabā te profecto antea sanè plurimū, idq; mea spō
te atq; iudicio uirtutis & doctrinæ splendore admonitus et excitatus tuæ
tantummodo faciebam. Nunc uero, cū ad me perhumaniter honorificeq́;
scriptis literis me amari abs te, beniuolentiamq́; meā etiā expetere te ma/
gnopere ostendas, ad illam pristinā in te amando inductionē animi uo/
luntatemq́; meā tantum ardoris adiecisti, ut non mod o id, quod scribis cu
pere te, ut amemus inter nos, sis assecutus, sed illud effeceris, ut ipse magno
pere cupiam me tibi esse eo noīe maxime oīm coniunctissimū. Quā sanè
ad rem abs te impetrandā si minus ea, quæ tu fortasse quia in te sunt mihi
tribuis, ipse in me non agnosco, multa et præclara ingenij et naturæ mu
nera attulero, amantissimi certe hominis & beneuolentissimi studia offi
ciaq́; omnia confido, uel planè etiā tibi recipio me cumulate præstaturū.
Quod me de Longolij patrocinio Romæ suscepto tantopere laudas, eq/
dem Iuuenē incensum bonaꝝ artium studijs eaq́; causa domo tam longin
qua profectum, ac nil aliud dies & noctes non modo agentē sed ne cogi
tantem qdem, optimis præterea moribus, excellenti doctrina, summo inge
nio, incredibili studio præditum, ab inuidis neq; infimis hoībus nefarie
circunuentum, una cū uiro grauissimo omnibusq́; uirtutibus omni disci/
plinaꝝ genere, omni cultu literaꝝ nostra ætate longe præstanti Iacobo Sa
doleto Collega meo, eodemq́; mihi uetere beneuolentia, consuetudine, stu/
dijs, sententijs, uolūtate, tota deniq; uita ꝯsociatissimo, alijsq; ꝑmultis libē
tissime, atq; ēt multo uerius cupidissime defendi. Tā etsi eo tēpore aduer-
sa ualitudine implicitus uoluntatē in eo defendēdo ardorēq; animi, q̄tū
par erat, adhibere fortasse potui, diligentiā, industriā, laborēq; non potui.
Sed res ipsa et causa eiusmodi fuit, ut non tam sim laudandus, quod Lon/
golio affuerim, q̄ essem improbandus, si defuissem. Valde tñ gaudeo meū
in eo studiū atq; officiū tibi magno & præclaro uiro gratum optatumq́;
accidisse. Quod uero etiā propterea tuā sim beneuolentiā ꝯsecutus, rideo
meæ me nō multæ operæ maximū uberrimūq; fructum percæpisse. Reli/
qua puto te cognouisse ab ipso Longolio, cuius aduentus eo nobis gratior
fuit, quod nihil de illo ad nos aliquot iam menses afferrebant. Eius ego

consuetudine & coniunctu, tum doctrina & studijs mirabiliter delector. Quid dixi ego? est iam in oculis nostrorum ciuium non mò priuatorum, sed planè etiam Senatus principumq; ciuitatis. Itaq; habet quosdam præstantis ingenij literisq; interioribus eruditos uiros, quibus cum est ferè quotidie utiturq; ijs ualde familiariter, inuisitur à multis, amatur ab omnibus. Huius autem quod reliquum est hyemis nobiscum, ut arbitror, conficiet rogatu meo, & simul quod ei potestas facta est è bibliotheca, quam publice magis illam quidem instructam atq; uberem, q̃ propositam & explicatam habemus, quos uolet libros promendi. Nam cum sit in eo, ut de Catone scribit Cicero, inexhausta auiditas legendi, sitq; is quasi librorum helluo libri uero ipsi præclari atq; multi, breui exauraturum se se illũ in legendo nõ puto. Quanq̃ de his deq; tota ratione studiorum suorum nõ dubito quin te ipse diligenter reddat suis literis certiorem. Qui et si omnibus in sermonibus, collocutionibus nostris me mirifice semper delectat, suauissimeq; detinet, nullis tñ de rebus illius sermo tam mihi est iocundus, q̃ de te, quod q̃dem fit planè sæpissime, sed & hæc malo te ab illo. Tu si me tibi esse amicissimum existimabis, quæq; à coniunctissimis expectantur proficisciq; solent, ea tibi de me pollicebere, nõ fallã opinionem tuã. Etenim ut tibi non assentior, ut existimem fieri non posse ut tu mihi indigenti cuiuspiã rei copiam facere possis, in quo tamen uerborum tuorum modestia sum delectatus, sic arbitror posse accidere, ut mea beneuolentia meaq; opera tibi quoq; usui sit futura. Quod si accidet, me in aere tuo esse ut existimes, te etiam atq; etiam rogo. Vale. Venetijs Pr. Non. Ianuar.

P. BEMBVS GVLIELMO BVDAEO. S.

Esti existimem nihil necesse esse Christophorum Longolium tibi à me commendatum iri, cum intelligam uel ex tuis ad me literis, quantum tu illum ames, uel ex eius perpetuo de te sermone, ipse quanti te faciat, quantis doctrinam & uirtutes laudibus celebret et prosequatur tuas, tamen faciendũ mihi non putaui, ut Leone. x. Pont. Max. illum Regi tuo per literas perq; suos & Regios oratores diligentisſime cõmendante, ipse nihil ad te literarum darem, non quo te putem ea re intellecturũ nõ per te omnia, quæ illi esse usui possint, omni cura, studio, labore deniq; curaturum, quippe, cum mihi gratias etiam egeris, quod illius turbulentis temporibus eius salutis propugnator extiterim, aut ut currentem hortarer, qui sciam nullius apud te hortationes tantum habere ponderis, quãtum in amicis colendis constantiam ipsius tuam, mores, probitatem, fidẽ, sed ut egregiam atq; mirificam in illo ornando Principis mei uoluntatẽ tibi notam q̃primum facerem, ut si quid initio posses, rem confestim iuuares.

Id autem totum cuiusmodi sit, ex ipsius Principis ad Regem suum literis, quarum exemplum ad te mitto, facile perspicies. Quid te facere expediat, tu pro tua prudentia considerabis. Oneris tibi quidem imponere neq; audeo praecipue quicquam, nec debeo. Tantum dicam, huius negocij conficiendi multo me maximam spem in te uno posuisse. De ipso Longolio non dubito, quin, cum haec illi nuntiata fuerint (est enim adhuc quidem harum expers rerum ignarusq; omnium) nihil non his cõmendationibus se ab Rege impetraturum existimet, cum te hominem ea apud illum gratia, eo loci habeat tã (ut caetera sileam) planè beniuolũ et amãtem sui. Extremum est, ut scias nihil te mihi gratius, nihil iocundius, nihil sanè optatius facere posse, quàm si & authoritatem tuam, qua plurimum apud Regem polles, & ingenium, quod quidem iam est omnibus planè gentibus summa cum tua laude atq; gloria cognitum, ad illum fouendum, augendum, ornandum, honestandumq; conferes, quod ut facias, ut iam tibi nihil non oneris generatim imponam, etiam atq; etiam abs te peto. Vale. Romae viii. Id. April.

LEO PP. X. FRANCORVM REGI.

Harissime in Christo fili sal. &c. Christophorus Longolius homo Gallus & cum tuae Maiestati notus, tum uero etiam tuo nomini deditissimus, optimarũ artium studijs, quibus à puero in Gallia incubuerat, egregie eruditus graecarũ literarũ facilius adipiscendarũ causa Romam aliquot ante annos uenit, quibus quidem literis mirificã operã triennio cum dedisset, fuitq; interea cũ ingenij & doctrinae, tum planè uirtutis nomine ac morũ probitate in nostrã familiaritatem cũ uenisset, nobis nõ solum uolentibus, sed eius etiã studia stipe annua fouentibus Patauiũ secessit, ut ea etiam in urbe celeberrimoq; doctrinarũ omniũ Gymnasio sese coleret & erudiret, qua in urbe atq; ludo ita nunc quidẽ proficit, oẽs ut homines, quibus est ipse notus atq; cognitus, (est autem propè uniuersae Italiae) magna sui spe expectatiõeq; impleuerit, cogatq; credere, si uita ei suppetat, in maximũ clarissimũq; uirũ ac nostris temporibus satis qdem eruditis longe praestantem breui illum facile euasurũ, uel potius etiã iã euasisse. Quae cũ ita sint, sciamus autem tam docto & praeclaro iuueni nullas opes esse, quibus se alere, suaq; studia & uirtutes non solũ illustrare (quod esset profectò aequissimũ) uerũ ne sustentare quidem ipse per se ualeat, scribendum Maiestati tuae duximus, teq;, si unq̃ alias, nunc qdẽ planè diligentissime hortandum, uelis pro tua liberalitate uere Regia, ac propenso in claros & excellentes uiros, insigniq; doctrina praeditos animo, mandare atq; efficere, ut ex primo quoq; tempore uacaturis in ditione

tua beneficiis ecclesiasticis aliqđ eius tā singulari uirtute dignū illi bñficiū conferatur, quo ipse munere deuinctus confectis suis studiis, quæ iam iāq;, ut intelligimus, conficiet, & ad te reuerti, id, quod in primis cupit, et tuæ Maestati præclarā aliq̃ nauare operam cōmode ac pacato animo possit. Quanq̃ ne nos qdē interea aut ullo etiā tēpore eius hominis cōmoda, cū se occasio dederit, sumus profecto neglecturi, neq; sanè curam, quā de illo semel suscæpimus, abiecturi. Id si Maiestas tua, ut confidimus, curauerit; pollicemur tibi, ac planè recipimus, te magnos ex tuo beneficio uberrimosq; fructus, æternæ scilicet laudis atq; memoriæ, cui te ille scriptis cōmēdabit suis breui tempore percæpturū, nobis autem, qui excellentis doctrinæ uiris presertim cum probitate coiunctæ in primis afficimur, tam gratum feceris, ut ipsi abs te in eo bñficiū accæpisse simus existimaturi. Quēadmodū ab Oratoribus apud nos tuis, qbus cū hac de re locuti sumus, latius intelliges. Datū Romæ die. yl. Apr. 1521. Anno Nono. Bembus.

IAC. SADOLETVS CHR. LONG. S.

E X eis literis, quas ad Lælium Maximum das, cognoui te proficisci Venetias cogitare, aut hoc tempore fortassis iam esse profectum, quod nec sum admiratus, & te potius uecū collaudaui, quod more ueterū Philosophorū (sicut de Platone ferūt, et de Pythagora) oēs tibi terras obeundas putaris, unde speres haustum te et doctrinarū aliquid & sapientiæ, & si nō nihil te in eo Bembo nostro tribuisse arbitror; ut cū eo aliq̃tum esses, fruerereq; & familiaritate illius exoptata, et uirtute nunq̃ satis laudata. Sed ego sensus tuos si bene perspectos habeo, statuo te cum amicitiæ uestræ ac illius summi uiri suauitati multū, tum huic tuæ perpetuæ uoluntati plurimū tribuisse, ut quoad acerrimi uis ingenii cū incredibili diligentia studioq; coniūcta progredi in re literaria potest, in te ipso contendendo atq; elaborando experiare. Sed huic uirtuti ut laus debitum premium est, sic nominunq̃ inuidia obtrectatrix accedit. Suspicor enim ad te delatam esse concionem, quam hic post tuū discessum in magno conuētu, ipso audiente Principe aduersarii tui habuerunt, in qua magna laus Celsi Millini optimi atq; ornatissimi adolescentis, is enim oratiōem eam dixit sanè q̃ apposite, & animo (ut facile possumus existimare) nō malo; specie enim boni quandoq; obtenduntur quæ suapte natura uitiosa sunt, & ea illius ætas, cui concedatur, ut errare aliquando possit sine reprehensione, certe; quod mentis ingenuæ est idem ipse Celsus affirmat, hac causa excæpta, in qua Patriæ suæ dignitati et famæ (ut ait) non adesse nō uulti, cæteris in rebus honoris tui rationem se in primis habiturum, atq; ut huius (quemadmodū dixi) ingenio laus tribuēda est, uoluntas minus repre

hendenda, sic qui huic rei ab initio authores fuerunt, non satis nec animũ suum nec consilium probabant, animum, quod prosus apparebat praua conciliatrix iniusti odij obtrectatio, consilium, quod absurdum uidebatur quas ipsi literas sibi laudi sperarent fore, eas damnare atq; oppugnare in altero. Itaq; non modo non extinxit studia eorum, qui causæ fauebant, illiusmodi concio, uerum etiam ardentius inflammauit. Nam et in circulis subito exorti sunt sermones plurimi, & fiebat in ijs, ut q̃q̃ ille uisus fuisset dicere præclare, tamen non minus authoritatis haberent testimonia nostra apud incorruptos, excepta certe Principis uox est, cum ita diceret, probare se ingenium actionemq; Celsi, causam uero tuam meliorem iudicare. Quare sic quoq; inde tum discessum est, ut honorificentius tecum actum putaretur eiusmodi oratione habita, q̃ si omnino nulla fuisset habita. Nostris uero neq; sic tacitum ferẽdum uisum est, sed cum extaret defensio tua, quam pro te ipse conscripseras, primo decretum est, dandam operam esse, ea uti recitaretur, operam suam ad hoc pollicente Flaminio adolescente in primis ornato huius ciuitatis. Deinde cum hoc spissius esset uisum, in eam sententiam potius discessum est, edendam illam, et in omnium manus diuulgandam esse, quod & factum est, magna non solum approbatione omnium bonorum, sed etiam commendatione eloquentiæ tuæ. Sic enim à cunctis iudicatum est, incredibile quiddam esse, quod de tuo ingenio expectari possit, cum quod præstitisti, iam sit admirabile. Mihi quidem, qui te amo, & gero in oculis, nihil euenire potuit optatius, q̃ intelligere, cognosci ab omnibus nõ frustra nostra de te suscepta esse iudicia, iureq; te florere clarissimorum uirorum amicitijs, in q̃bus si quæris egregius Pacius nec solum fide atq; amore erga te, sed etiam authoritate & gratia singulari, uehemens Casalius, ac deniq;, ne infinitũ sit, uniuersus ille chorus præstantium ingeniorum, quem tibi amicissimũ præsens sensisti, is tui ab sentis memoriam sancte diligẽterq; cõseruat. Quæ ego ad te iccirco scripsi, licet minime inuitatus tuis literis, quod profecto conueniebat, cum magis peregrinãtium sit eos, qui Domi remanent, de suis rebus omnibus reddere certiores, sed tamen ob eam rem scripsi, primum ut forti animo ferres, quod tamẽ facis, iniquorum hominum iniurias, deinde ut meditarere quantum tibi in omnem partem conitendum sit, ut incredibili expectationi, quæ de te concitata est, satisfacias. Quanquã ego arbitror te, q̃d de Theopõpo dicere solebat Isocrates freno egere magis, q̃ calcaribus, quẽ ego noui in studijs literarũ dies et noctes assidue ĩ sistẽtẽ parũ habere ualitudinis rõnẽ. Sed ego eã tibi, si et te et nos diligis, maximopere tuendam esse censeo. Nam et temporis plus ad hæc eadẽ studia habebis, et prudẽtiæ tibi laudẽ ex hoc quoq; genere cõparabis,

quæ profectò non minoris, q̃ illa ingenij à docto uiro facienda est. Ego pro mea in te singulari beniuolentia omnia tibi honesta & salutaria euenire cupio. Tu si me mutuo amabis, ad meq́; de tuis rebus sæpe scribes, perficiam, ut nec te frustra scripsisse, nec amorẽ tuum perperam collocasse arbitrere. Vale. Ex Vrbe Sexto idus Setembr.

IAC. SADOLETVS CHR. LONG. S.

Ederam diu ante ad te literas, cum te aut constitisse iam Venetijs, aut non procul inde abesse existimarẽ, quas spero tibi nunc deniq; fuisse redditas, longior aũt itineris tui mora intercessit q̃ putauissemus nam ea nostra fuerat expectatio te cum Venetias peruenisses, hominumq́; ibidem ingenia, moresq́; cognosses celeriter ad urbem esse rediturum, cum præsertim omni depulso periculo placatis animis eorum qui tibi fuerant infensiores, absens uirtutis causa dignissimus esses ea ciuitate iudicatus, quæ una propter uirtutem omnibus semper gẽtibus præstitisset. Sed & si nobis desiderio fuisti, tamẽ hæc tua diuturnior commoratio mihi non ingrata accidit, quando te authore & interprete nactus sum doctissimorum & clarissimorum uirorum amicitias. Quorum ego mehercule beniuolẽtiam omnibus fortunis antepono. Itaq; literis tuis ad me Lugduno datis, plenissimis illis quidẽ amoris atq; officij dupliciter lætatus sum, quod & te saluum nobis atq; incolumen tot laboribus exhaustis tot periculis, propediem affore nunciabãt, & illud significabant treis præclarissimos uiros, uel potius lumina tria doctrinæ ac sapientiæ, mihi tuis testimonijs amiciora esse facta, quorum equidem unius Budæi literas accæpi unà cum tuis scriptas humanissime, reliquorum nõdum ad me allatæ erant, eis ego omnibus responsurus sum, et quidẽ sedulo, neq; propter uim uerbi eius quo tu in scribẽdo usus es, quã si fuero dignatus inquis, sed quod nihil alienius homine ingenuo esse existimo q̃ non contendere in omni officio omniq́; significatione beniuolentiæ esse superiorem, sanè talium uirorum literis scriptis nullas rescribere cuius tandem esset superbiæ? Qui cum suis summis excellentibus ingenijs illam doctissimæ antiquitatis gloriam in nostrum æuum retulerint, sint quoq; omnium opinione ac iudicio nõ inferiorem sua uirtute laudẽ consecuti. Habes itaq; statim ad Budæum perscriptas. Ad cæteros pendeo animi quo pacto me geram, ne forte me illi suas accæpisse quas non accæpi arbitrentur, accusentq́; tarditatem in rescribendo meam, meũq́; officium et mea fides reprehendatur, cui tu meæ sollicitudini ut subuenias peto subuenies aũt, si illos q̃ primum certiores feceris, eorum literas adhuc in

PETRVS BEMBVS CHR. LONG. P. S. D.

Vraui mandata tua Florentiæ diligenter, idq; amplius, quod Protonotario Bartholino, qui mihi uisus est mirifice de te & sentire & loqui, defensionum tuarum librum dedi. Cum Iulio Cardinale multus de te sermo, is mihi significauit, quod ad te Iacobus Sadoletus de Florentinorum erga te uoluntate scripserit, se authore factum. Romam cum uenissem, Cardinali Columnæ defensiones tuas misi, Sadoletum ipsum, Paccium, Adornium Lælium, reliquosq;, de quibus me tuis in literis admones, tuo nomine salutaui. Postremo etiam Leonis x. Pont. Maximi pedibus, cū is è Maliano rediisset, dedi osculum tuis uerbis. Nam me in urbe propter imbecillitatem ualitudinis meæ Apennini traiectu uiaq; tædio & laboribus auctā decē ipsos dies ꝯtinuerā. Ille uero me, ubi esses, qd ageres quid cogitares, satis quidem familiariter, atq; (ut mihi uisus e st) etiam amanter interrogauit. Aderat Paccius, qui & ipse de te, deq; illo ipso tuo libro, quē iam legerat, multa præclare. Idem, cum ego Principi respondissem te Patauium esse profectum eo consilio, ut consumandis iis studiis, quibus te totum tradideras, biennium uel certe quantum ad id temporis satis tibi esset, impenderes, habere dixit se abs te literas, in quibus erat scriptum, te Florentinorum conditionem uelle accipere, quæ quidem ad uerba nihil omnino Princeps, cum antea adeuntibus illum Romanis Consulibus, ut eius sententiam elicerent, num te donatum esse uellet ciuitate, cum alia multa singulari cum tui commendatione, tum illud etiam dixisset, fouere se tua studia, annuamq; ad id pecuniā tibi curari iussisse, ut quod statueras Patauium secedere, ut ea in urbe doctissimorumq; hominū conuentu institutis iam abs te commentationibus aliquot annos dares, eius tibi conficiendi facultas ne deesset, totumq; illud consilium profectionis tuæ uehementer à se probari significauisset. Quod eo tibi scripsi, ut scires quam iam ille opinionem atq; spem de te ocioq; tuo isto Patauino conceperit. De rumoribus, qui hic iactabantur, male te de Romanis sentire, cum hos montes nihil solidum crepare diceres, planè nihil est, quod labores. Primum incerto authore, deinde parum adhibetur fidei. Postremo quicqd est, id omne nostro aduentu iā euanescit. Amicos quidē habes oēs uel do

ctos uel bonos, ptet unũ Sinonem illũ tuũ, quem tñ doctum esse nunquã iudicaui, bonum credebam, in quo q̃ me fefellerit, uides. Itaq; oderit, diligat, æque habendum, nisi tibi etiam iocundum esse debet, te ab illo non diligi, quem tua causa nemo bonus diligit. De Bembini Catelli mœrore suscepto ex discessu nostro quod scribis, uide quid egeris. Auxisti tu quidẽ desiderium uel etiam dolorem meum. Valde me pœnitet illum domi reliquisse tam fidum, tam nullius oneris comitem, tantæ sedulitatis, festiuitatis, ioci. Vt omnibus delicijs carere mihi uideor, qui eius blãditijs careo. Numos Principis sex mensium nomine tibi dependi curauimus. Eos habebis cum his literis. Protonotario Saulio & Lazaro et Flaminio plurimã salutẽ dicito meis uerbis. Vale. Romæ quarto kalẽdas Iunias.

PETRVS BEMBVS CHR. LONG. S.

Espõdeo ad tres tuas suauissimas atq; amantissimas literas, diuersis temporibus datas, et quidem breuiter, teneor .n. satietate quadã uel potius tædio scribẽdi, ut nihil omnino difficilius, nihil morosius faciã, q̃ cum calamum sumo, nihil libentius, q̃ cum depono. Cur? inquies, Quia, quoniã multos iã annos ea cogor scribere, quæ ad stomachũ meũ nõ faciunt, ẽt illa, quæ mihi grata solent esse, nunc displicent, cũ sunt scribenda, ita scriptio ipsa oĩs permolesta. Nisi forte diuturnus morbus segnẽ me atq; ignauũ ad oĩa reddidit. Quod si ẽ, spero me ad pristinã meã in scribẽdo alacritatẽ breui rediturũ. Satis .n. belle, ut nũc qdẽ est, me habeo, oẽsq; iã propẽ morbi reliquias abieci. Sin altera illa causa ẽ, hinc euolẽ oportet, abdamq; me aliquò in studia scilicet, atq; in literulas nostras, quemadmodũ tu quidẽ fecisti, dũ illa dedisco, q̃ multo mihi adhæserunt, ut à me pagellã accipias libẽti animo, ne dicã impigro scriptam. Sed uenio ad tuas literas. Bolducus noster quod tã in te officiosus fuerit, gaudeo, eoq; magis, quod nihil eorum, quæ commemoras, meo rogatu, egi tamen illi per literas gratias cum tuo nomine, tum meo, qui quidem quasi Pollux omnia, quæ in te honoris causa tanquam in Castorem conferũtur, in me etiam conferri puto. De Naugerio meo quæ scribis, mihi grata sunt, ille uero non modo in literarum studijs, sed etiam in amicis colẽdis mirificus. Qui quod æstatem in suis Muranianis hortis cõfecerit, ualde letor, neq; enim uereor, quin illic cõstiterit fructus ocij tã iocũdi, ad quẽ quidẽ oblectandum, ab æstuq; tuendũ, ut audio, etiã ẽ Benaco multæ Citriorum arbores suas umbras adduxerint. Respondi ferè ad tuas priores literas. In secundis literis quod de Ioanne Pino Gallorum Regis Legato me admones, id erit mihi curæ. Semel illum conueni, cum esset

domi suæ, ea de causa, ut constitueremus inter nos aliquid, quod tibi esse usui & ornamento posset, nullus quidem de te sermo, sed quoniam erat ei cœnæ tempus, ita ab illo discessi, ut incohata tantummodo esset effigies negocij tui, reliqua posita sunt nō solum in diligentia, sed ualde mehercule etiam in casu, diligentiam ne adhuc quidem adhiberem cum Principis in molem Hadrianam secessio, quo uentitare propter imbecillitatem corporis minus sæpe possum, ille uero ferè quotidie, tum maximi calores effecerunt, quibus etiam qui ualentissimi sunt, à labore defatigatio, neq; absterrentur. Casus cum uenerit, eum quantum potero complectar, neq; dimittam, nisi depicta omnibus coloribus imagine, atq; ita confecta, ut nequid desit. Sed omnino totum hoc sic habeto, nihil ut mihi antiquius futurum existimes ijs rebus, quæ ad commodum dignitatemq; tuā pertinebunt. Itaq; si erit opus etiam Collegam meum, ut suades, aduocabo, sed nunc, ut uidetur, non est. De tuis obtrectatoribus quod ad me quod ad Marcum Antonium Michaelem tam multis uerbis scripsisti, planè non probo, te ne nunc quidem eorum causa animo tranquillo esse, quorum rumores & maledicta non solum refrixerunt tuis responsionibus editis, sed planè iam omnis illa factio propè obmutuit, itaq; tu, si me audies, nullum omnino posthac de illis uerbum facies, atq; etiam si fieri poterit, ne cogitabis quidem. Neq; enim digni sunt, qui tuum istud tam honestum ocium, tam præclara studia uel momento temporis interpellent. Quamobrem magis miror id, quod erat in postremis tuis litteris, te scilicet ab illis in tanta gladiorum licentia tibi interdum timere. Tu uero qui Romæ Populum Romanum stantem in te ac propè armatum contēpseris, sustinueris, fregeris, neq; interea timoris signum ullum edideris, aut uocem emiseris, ab illo nunc non solum fracto, sed etiam ad tuas partes traducto, in urbe minime turbulenta Patauio tibi esse timendum ducES? Atqui etiam scribis Lerinam te propterea cogitare. Quàm uellem istud uerbum tuo ex ore ne excidisset. Sed nolo tibi molestius esse. Quamobrem abduc animum ab istis cogitationibus q̄ longissime, teq; tuto esse posse existima ubicunq; erunt uel boni uel docti uiri, quanquam te iam omnes propè homines diligunt, habes autem Italiam maxime cupidissimā tui, propterea quod eam est tui fama nominis clarius atq; illustrius peruagata. Dedi tamen Marino Georgio Patauij Prætori literas hac de re, quemadmodum tibi placere ostendisti, quem quidem existimo nulla in re tibi salutiq; tuæ defuturum. De eo me uelim facias tuis literis certiorem. Prior pars earundem literarum, quas ad me nouissime dedisti, tuorum studiorum uitæq; rationem continebat, quæ me summopere delectauit, cæpiq; ex eo maximam uoluptatem, quod te uideo ita literis, quas es multo

auidissimus, incumbere, ut ualitudini etiam seruias. Pilæ ludus, quo te ante cibum exerces, mihi ualde probatur. Deambulatiunculas uero illas uestras, sermones, cõcursationes, de quibus scribis, peream, si omnibus Romanis præfecturis magistratibusq; non præfero, consuetudinem autẽ, qua uteris, ut scilicet ante, quàm somno te des, reputes tecum ipse, atq; recolligas quicquid dignum ea die memoria scientiaq; comprehenderis, qs non magnopere laudandã et complectendã putet? Pytagoreo præcæpto illi ferè germanã atq; simillimã ποῖ παρέβην τί δ' ἔρεξα. *Nosti reliqua. Sed illa in doctrinæ studijs, hæc in rerum actione uersatur. Itaq; ea tibi perpetuo utendum censeo. Altera fuit epistolæ tuæ pars minime quidẽ necessaria, qua mea in te beneficia commemoras, quod quidẽ ipsum in secũdis ẽt literis fecisti multis atq; honorificẽtissimis uerbis. Ea si naturæ tuæ benignitate, amorisq; in me tui abundantia impulsus collegisti, te eorũ esse morum, beniuolentiæ, comitatis planè gaudeo, nihil .n. potest esse tã suaui liberaliq; natura amabilius atq; præstantius. Sin propterea, ut uel te gratum ostenderis, uel me in te amando confirmares, neutrum eorum te adducere debuit in eam commemorationẽ. Nam neque tu esse ingratus iam ullo pacto potes, qui si nihil aliud agas, tamen ea de nobis dixisti, scripsisti, nota esse oĩbus hoĩbus uoluisti, ut me tibi etiã ꝑpetuo deuinctũ putẽ. Neque ego is sum, q à te amãdo reuocare animũ atque mentẽ possim, nisi tu is esse desinas, qui profecto es, moresq; tuos atque doctrinã dediscas. Itaque si me amas, ne tu posthac ad me quidẽ quicquam eiusmodi. Heri cũ in ea urbis parte casu essem, quam tu incolebas, & Mariani Castellani hospitis tui domus mihi à meis pueris ostenderetur, uocari hominem iussi, eumq; tuo nomine salutaui, quã quidẽ ille salutationẽ mihi uisus est libentissime atque hilariter accæpisse. Dixi ei de te cupide sanè atque amanter quærenti, quæ proxime habuerã, à quo cũ discederẽ, petij, numquid uellet ad te literaꝝ dare, dixit se daturũ, uerumtamen nõ dedit. Sed omnino fui longior, quàm initio putarã. Collega meus Roma pedẽ non extulit, Princeps enĩ retinet, et ut puto retinebit. Exẽplũ tuaꝝ ad me literaꝝ, quod requiris, erit cũ his literis. Saulio, Lazaro, Flaminio multã salutẽ dicito meis uerbis. Tu si me amas, ad nos crebro, ut facis, oĩbus de rebus scribe. Incredibiliter .n. me tuæ literæ delectant. In quibus illud ẽt uideo, quod mihi est planè iocundissimũ, addere te quotidie aliquid scriptioni & stilo. Itaque* ταύτην τὴν γραμμὴν *suadeo teneas. Cum hæc scriberem Princeps in Vaticanum se referebat. Sed ualebis, ualitudiniq; seruies. Romæ xiii. Cal. Septembris.*

P. BEMBVS CHR. LONG. S.

Cœpi tuas literas Non. Ianuarij datas ad xvi. kl. Martias
a *heri, cum exercendi mei causa extra urbem equo uectus claro & placidissimo die, aprica uia domum peruesperi redissem, ab adolescente illo, quem mihi ipsæ illæ tuæ literæ commendabant, redditas meis pueris, cum eis, si quid uellem, se ad te postridie reuersurum dixisset, atq; ubi se conuenirent, ostendisset. Itaq; cum ipsū non uidissem, has ad te literas dedi ante lucem, qua me quidem somnus hora singulis propè noctibus deserit, adhuc enim uigilia nos exercet, qua una si relinqueremur, essemus planè restituti. Sed uenio ad tuas literas. Quod meum de tuorum studiorum ratione iudicium tam diligenter exquiris, in eo & amori erga te meo multū, & authoritati non nihil sanè tribuere te ostendis, quorū in altero q̄ rectè facias, tu uideris, cuius planè interest, si deceptus sis, ab altero ne te unquam deceptum possis dicere, cumulate ipse diligentissimeq; præstabo. Ad eam autem partem, in qua scribis, quid tibi causæ fuerit, ut aueres scire quid sentirem, ut scilicet intelligeres rectè ne operam posuisses, an secus, quo, uel pergeres ut cœpisses, uel, aut aliam ingredereris uiam, aut in ea ipsa, quam es ingressus, cur su corrigeres tarditatem, existimabam satis me quidem superioribus literis respondisse, quibus te literis profecisse quidem multum scripseram, superesse autem aliquantum etiam, quo progredererere. Itaq; te hortabar, ut quod reliquum erat, conficeres, quod mehercule etiam nunc te hortor, hoc est, ut Ciceronem ipsum, quem tibi unum scribendi magistrum me authore proposuisti, eundem uniuersum non solum uores, sed etiam concoquas, ac in succū & sanguinem conuertas tuum. Id autem spero te assequi posse, si diutius hoc idem feceris, quod adhuc facis, assecutum omnino esse, quemadmodum tibi antea scripserā, non existimo. Neq; hoc ideo dico, quasi tu parum profeceris annua propè ad id cogitatione laboreq; adhibito. Multū est. n. adde etiam si uis, maximū q̄dem illud, quod iam actum abs te est, ut mihi quidem uideri solet, cum tuas litteras lego; meamq; de eo expectationem atq; spem non æquatam modo abs te, sed lōge etiam superatā tibi uere atq; persanctè affirmo ac denuntio. Sed quia nollem eo te maximo esse contentum, & tanquam ad metam perueneris curriculo confecto, conquiescere, propterea dico. Nam quoniam ea ē ingenij tui uis, atq; præstantia, nihil omnino ut sit tam arduum tamq; difficile, quo si animum intenderis, non te id posse complecti atq; conficere breui & luculenter putem, nulla te quidem in laudis mediocritate consistere facile patior. Itaq; quanquā minus fortasse uiæ superest, ut ad excel*

lens illud atq; summum scribendi genus atq; formam petitenias, quo te uoco, q̃ est id, quo perrexisti, tamen nisi tu etiam, quod restat, confeceris, non tam mihi gratum futurum est praeclare sanè ac splendide id te muneris inchoauisse, q̃ molestum, non absoluisse, quod abs te commissum iri minime puto. Recordor enim quid tibi ad eam absolutionem tu te temporis sumpseris, atq; hoc cum recordor, magis miror quicquam nunc te cũ de commutanda studiorum tuorũ ratione, qui rectissima es ingressus, tũ uero num tibi sit, quasi tarde adhuc ambulanti, deinceps festinandum, sciscitari. Festines át? ut quid? incidas in aliquem morbum? Ego uero te mi Longoli malo tranquilla nauigatione utentem aliquanto serius eũ adipisci eloquẽtiae quasi portum, quem petis, q̃ propter nimiam uentorũ uim iactura facta celerrime nauigare. Quamobrem si meum consilium sequi uolueris (quanquam est haec quidem mentis, potius sensusq; nostri, q̃ ullius consilij significatio) neq; hunc tu cursum commutabis, cur enim? neque remo ullo plus utere αὐθορεῖ; autẽ tẽperate ac planè βραδέως ut dicitur, ualitudinique in primis seruies. Sed iam satis aut etiam nimis multa de ijs. De Ioanne Pino, erit mihi curae cũ ut omnia mandata tua exauriam, tũ illud maxime, ut quicunq; percipi ex hominis te amantis beniuolentia potest fructus atque utilitas, percipiatur. Id totum quale sit, quoniam satis exploratum non habeo, non committam ut eius te rei expectatione saepius excitem. Extremum est, quod erat primũ in tuis litteris. Eius ad nos epistolae tuae exemplum, quae perlata non est, quod scribis mihi te mittere, scito nullum fuisse cum tuis literis. Id uelim describi mandes, mihiq; mittas, ne ulla tua lucubratiũcula nobis perierit. Habes ad omnia. Nunc quae praeterea scire te non nolle arbitror, haec sunt. Apud Sadoletum reliquosq; amicos recte est. Thebaldeus & Beatianus etiam fortunis aucti tibi hilarius salutem ascribunt. Ego domum cogito. Quid est aliud? Intellexi de Alexandro capella uiro sanè bono, & docto, & (ut mihi uisus est) etiam amantissimo tui, te cum Nicolao Leonico homine uere Philosopho singulari beniuolentia coniunctim cum eo familiariter saepe esse, uel propterea, quod nõ longe ab illius aedibus incolis. O praeclaram uiciniam, teq; hominem mirificum ad praestantiũ & clarorum uirorum amicitiam conciliandam. Nae ego horum procerum prensationes appellationesq; honorificas omnium una cum uestra de ambulatiuncula & sermone libenter commutauerim. Nunc ei quod possum, multum salutem uolo impertias meis uerbis. Etiam Marinum Georgium Patauij praetorem, quem scis à me unice dilig̃i, ex me si salue re iusseris, mihi gratissimum feceris, idque ut facias, planè te rogo, tum et Saulium & Flaminium. Tu ualebis, nosque diliges. Romae

consuetudine & cultu, tum doctrina & studijs mirabiliter delector. Quid dixi ego? est iam in oculis nostrorum ciuium non mo priuatorum, sed planè etiam Senatus principumq; ciuitatis. Itaq; habet quosdam praestantis ingenij literisq; interioribus eruditos uiros, quibus cum est fere quotidie utiturq; ijs ualde familiariter, inuisitur à multis, amatur ab omnibus. Huius autem quod reliquum est hyemis nobiscum, ut arbitror, conficiet rogatu meo, & simul quod ei potestas facta est è bibliotheca, quam publice magis illam quidem instructam atq; uberem, q̃ propositam & explicatam habemus, quos uolet libros promendi. Nam cum sit in eo, ut de Catone scribit Cicero, inexhausta auiditas legendi, sitq; is quasi librorum belluo libri uero ipsi praeclari atq; multi, breui exsaturatum sese illum in legendo nõ puto. Quanq̃ de his deq; tota ratione studiorum suorum nõ dubito quin te ipse diligenter reddat suis literis certiorem. Qui et si omnibus in sermonibus, collocutionibus nostris me mirifice semper delectat, suauissimeq; detinet, nullis tñ de rebus illius sermo tam mihi est iocundus, q̃ de te, quod qdem fit planè saepissime, sed & haec malo te ab illo. Tu si me tibi esse amicissimum existimabis, quaeq; à coniunctissimis expectantur proficisciq; solent, ea tibi de me pollicebere, nõ fallã opinionem tuã. Etenim ut tibi non assentior, ut existimem fieri non posse ut tu mihi indigenti cuiuspiã rei copiam facere possis, in quo tamen uerborum tuorum modestia sum delectatus, sic arbitror posse accidere, ut mea beneuolentia meaq; opera tibi quoq; usui sit futura. Quod si accidet, me in aere tuo esse ut existimes, te etiam atq; etiam rogo. Vale. Venetijs Pr. Non. Ianuar.

P. BEMBVS GVLIELMO BVDAEO. S.

Etsi existimem nihil necesse esse Christophorum Longolium tibi à me commendatum iri, cum intelligam uel ex tuis ad me literis, quantum tu illum ames, uel ex eius perpetuo de te sermone, ipse quanti te faciat, quantis doctrinam & uirtutes laudibus celebret et prosequatur tuas, tamen faciendũ mihi non putaui, ut Leone. x. Pont. Max. illum Regi tuo per literas perq; suos & Regios oratores diligentissime cõmendante, ipse nihil ad te literarum darem, non quo te putem ea re intellectã nõ per te omnia, quae illi esse usui possint, omni cura, studio, labore deniq; curaturum, quippe, cum mihi gratias etiam egeris, quod illius turbulentis temporibus eius salutis propugnator extiterim, aut ut currentem hortarer, qui sciam nullius apud te hortationes tantum habere ponderis, quantum in amicis colendis constantiam ipsius tuam, mores, probitatem, fidẽ, sed ut egregiam atq; mirificam in illo ornando Principis mei uoluntatẽ tibi notam q̃primum facerem, ut si quid initio posses, rem confestim iuuares.

Id autem totum cuiusmodi ſit, ex ipſius Principis ad Regem tuum literis, quarum exemplum ad te mitto, facile perſpicies. Quid te facere expediat, tu pro tua prudentia conſiderabis. Oneris tibi quidem imponere neq; audeo præcipue quicquam, nec debeo. Tantum dicam, huius negocij conficiendi multo me maximam ſpem in te uno poſuiſſe. De ipſo Longolio non dubito, quin, cum hæc illi nunciata fuerint (eſt enim adhuc quidem harum expers rerum ignarusq; omnium) nihil non his cōmendationibus ſe ab Rege impetraturum exiſtimet, cum te hominem ea apud illum gratia, eo loci habeat tā (ut cætera ſileam) planè beniuolū et amātem ſui. Extremum eſt, ut ſcias nihil te mihi gratius, nihil iocundius, nihil ſanè optatius facere poſſe, quàm ſi & authoritatem tuam, qua plurimum apud Regem polles, & ingenium, quod quidem iam eſt omnibus planè gentibus ſumma cum tua laude atq; gloria cognitum, ad illum fouendum, augendum, ornandum, honeſtandumq; conferes, quod ut facias, ut iam tibi nihil non oneris generatim imponam, etiam atq; etiam abs te peto. Vale. Romæ viii. Id. April.

LEO PP. X. FRANCORVM REGI.

Hariſſime in Chriſto fili ſal. &c. Chriſtophorus Longolius homo Gallus & cum tuæ Maieſtati notus, tum uero etiam tuo nomini deditiſſimus, optimarum artium ſtudijs, quibus à puero in Gallia incubuerat, egregie eruditus græcarum literarum facilius adipiſcendarum cauſa Romam aliquot ante annos uenit, quibus quidem literis mirificā operā triennio cum dediſſet, ſuiq; interea cū ingenij & doctrinæ, tum planè uirtutis nomine ac morum probitate in noſtrā familiaritatem cū ueniſſet, nobis nō ſolum uolentibus, ſed eius etiā ſtudia ſtipe annua fouentibus Patauiū ſeceſſit, ut ea etiam in urbe celeberrimoq; doctrinarum omniū Gymnaſio ſeſe coleret & erudiret, qua in urbe atq; ludo ita nunc quidē proficit, oēs ut homines, quibus eſt ipſe notus atq; cognitus, (eſt autem propè uniuerſæ Italiæ) magna ſui ſpe expectatiōeq; impleuerit, cogatq; credere, ſi uita ei ſuppetat, in maximū clariſſimūq; uirum ac noſtris temporibus ſatis qdem eruditis longe præſtantem breui illum facile euaſurum, uel potius etiā iā euaſiſſe. Quæ cū ita ſint, ſciamus autem tam docto & præclaro ingeni nullas opes eſſe, quibus ſe alere, ſuaq; ſtudia & uirtutes non ſolū illuſtrare (quod eſſet profecto æquiſſimū) uerum ne ſuſtentare quidem ipſe per ſe ualeat, ſcribendum Maieſtati tuæ duximus, teq;, ſi unq̄ alias, nunc qdē planè diligentiſſime hortandum, uelis pro tua liberalitate uere Regia, ac propenſo in claros & excellentes uiros, inſigniq; doctrina præditos animo, mandare atq; efficere, ut ex primo quoq; tempore uacaturis in ditione

tua beneficijs ecclesiasticis aliqđ eius tā singulari uirtute dignū illi bñficiū conferatur, quo ipse munere deuinctus confectis suis studijs, quæ iam iāq;, ut intelligimus, conficiet, & ad te reuerti, id, quod in primis cupit, et tuæ Maestati præclarā aliq̃ nauare operam cōmode ac pacato animo possit. Quanq̃ ne nos q̃dē interea aut ullo etiā tēpore eius hominis cōmoda, cū se occasio dederit, sumus profecto neglecturi, neq; sanè curam, quā de illo semel suscæpimus, abiecturi. Id si Maiestas tua, ut confidimus, curauerit, pollicemur tibi, ac planè recipimus, te magnos ex tuo beneficio uberrimosq; fructus, æternæ scilicet laudis atq; memoriæ, cui te ille scriptis cōmendabit suis breui tempore percæpturū, nobis autem, qui excellentis doctrinæ uiris presertim cum probitate coiunctæ in primis afficimur, tam gratum feceris, ut ipsi abs te in eo bñficiū accæpisse simus existimaturi. Quēadmodū ab Oratoribus apud nos tuis, q̃bus cū hac de re locuti sumus, latius intelliges. Datū Romæ die. vi. Apr. 1521. Anno Nono. Bembus.

IAC. SADOLETUS CHR. LONG. S.

Ex eis literis, quas ad Lælium Maximum das, cognoui te proficisci Venetias cogitare, aut hoc tempore fortassis iam esse profectum, quod nec sum admiratus, & te potius necū collaudaui, quod more ueterū Philosophorū (sicut de Platone ferūt, et de Pythagora) oēs tibi terras obeundas putaris, unde speres haustum te et doctrinarū aliquid & sapientiæ, & si nō nihil te in eo Bembo nostro tribuisse arbitror; ut cū eo aliq̃uum esses, fruerereq; & familiaritate illius exoptata, et uirtute nunq̃ satis laudata. Sed ego sensus tuos si bene perspectos habeo, statuo te cum amicitiæ uestræ ac illius summi uiri suauitati multū, tum huic tuæ propensæ uoluntati plurimū tribuisse, ut quoad acerrimi uis ingenij cū incredibili diligentia studioq; coniūcta progredi in re literaria potest, in te ipso contendendo atq; elaborando experiare. Sed huic uirtuti ut laus debitum premium est, sic nonnunq̃ inuidia obtrectatrix accedit. Suspicor enim ad te delatam esse concionem, quam hic post tuū discessum in magno conuētu, ipso audiente Principe aduersarij tui habuerunt, in qua magna laus Celsi Millini optimi atq; ornatissimi adolescentis, is enim oratiōem eam dixit sanè q̃ apposite, & animo (ut facile possumus existimare) nō malo; specie enim boni quandoq; obtenduntur quæ suapte natura uitiosa sunt, & ea illius ætas, cui concedatur, ut errare aliquando possit sine reprehensione, certe; quod mentis ingenuæ est idem ipse Celsus affirmat, hac causa excæpta, in qua Patriæ suæ dignitati et famæ (ut ait) non adesse nō uult, cæteris in rebus honoris tui rationem se in primis habiturum, atq; ut huius (quemadmodū dixi) ingenio laus tribuēda est, uoluntas minus repre

bendenda, sic qui huic rei ab initio authores fuerunt, non satis nec animũ suum nec consilium probabant, animum, quod prosus apparebat praua conciliatrix iniusti odij obtrectatio, consilium, quod absurdum uidebatur quas ipsi literas sibi laudi sperarent fore, eas damnare atq; oppugnare in altero. Itaq; non modo non extinxit studia eorum, qui causæ tuæ fauebant, illiusmodi concio, uerum etiam ardentius inflammauit. Nam et in circulis subito exorti sunt sermones plurimi, & fiebat in ijs, ut q̈q̃ ille uisus fuisset dicere præclare, tamen non minus authoritatis haberent testimonia nostra apud incorruptos, excæpta certe Principis uox est, cum ita diceret, probare se ingenium actionemq́; Celsi, causam uero tuam meliorem iudicare. Quare sic quoq; inde tum discessum est, ut honorificentius tecum actum putaretur eiusmodi oratione habita, q̃ si omnino nulla fuisset habita. Nostris uero neq; sic tacitum ferẽdum uisum est, sed cum extaret defensio tua, quam pro te ipse conscripseras, primo decretum est, dandam operam esse, ea uti recitaretur, operam suam ad hoc pollicente Flaminio adolescente in primis ornato huius ciuitatis. Deinde cum hoc spissius essit uisum, in eam sententiam potius discessum est, edendam illam, et in omnium manus diuulgandam esse, quod & factum est, magna non solum approbatione omnium bonorum, sed etiam commendatione eloquentiæ tuæ. Sic enim à cunctis iudicatum est, incredibile quiddam esse, quod de tuo ingenio expectari possit, cum quod præstitisti, iam sit admirabile. Mihi quidem, qui te amo, & gero in oculis, nihil euenire potuit optatius, q̃ intelligere, cognosci ab omnibus nõ frustra nostra de te suscæpta esse iudicia, iureq́; te florere clarissimorum uirorum amicitijs, in qbus si quæris egregius Pacius nec solum fide atq; amore erga te, sed etiam authoritate & gratia singulari, uehemens Casalius, ac deniq;, ne infinitũ sit, uniuersus ille chorus præstantium ingeniorum, quem tibi amicissimũ præsens sensisti, is tui absentis memoriam sancte diligẽterq́; cõseruat. Quæ ego ad te iccirco scripsi, licet minime inuitatus tuis literis, quod profecto conueniebat, cum magis peregrinãtium sit eos, qui Domi remanent, de suis rebus omnibus reddere certiores, sed tamen ob eam rem scripsi, primum ut forti animo ferres, quod tamẽ facis, iniquorum hominum iniurias, deinde ut meditarere quantum tibi in omnem partem conniten dum sit, ut incredibili expectationi, quæ de te concitata est, satisfacias. Quanquã ego arbitror te, qđ de Theopõpo dicere solebat Isocrates freno egere magis, q̃ calcaribus, quẽ ego noui in studijs literarũ dies et noctes assidue ĩ sistẽtẽ parũ habere ualitudinis rõnẽ. Sd ego eã tibi, si et te et nos diligis, maximopere tuendam esse censeo. Nam et temporis plus ad hæc eadẽ studia habebis, et prudẽtiæ tibi laudẽ ex hoc quoq; genere cõparabis,

quæ profecto non minoris, q̃ illa ingenij à docto uiro facienda est. Ego pro mea in te singulari beniuolentia omnia tibi honesta & salutaria eue nire cupio. Tu si me mutuo amabis, ad meq; de tuis rebus sæpe scribes, perficiam, ut nec te frustra scripsisse, nec amorē tuum perperam collocas se arbitrere. Vale. Ex Vrbe Sexto idus Setembr.

IAC. SADOLETVS CHR. LONG. S.

d Ederam diu ante ad te literas, cum te aut constitisse iam Venetijs, aut non procul inde abesse existimarē, quas spero tibi nunc deniq; fuisse redditas, longior aūt itineris tui mora intercessit q̃ putauissemus nam ea nostra fuerat expectatio te cum Venetias peruenisses, hominumq; ibidem ingenia, moresq; cognosses celeriter ad urbem esse rediturum, cum presertim omni depulso periculo placatis animis eorum qui tibi fuerant infensiores, absens uirtutis causa dignissimus esses ea ciuitate iudicatus, quæ una propter uirtutem omnibus semper gētibus præstitisset. Sed & si nobis desiderio fuisti, tamē hæc tua diuturnior commoratio mihi non ingrata accidit, quando te authore & interprete nactus sum doctissimorum & clarissimorum uirorum amicitias. Quorum ego mehercule beniuolētiam omnibus fortunis ante pono. Itaq; literis tuis ad me Lugduno datis, plenissimis illis quidē amoris atq; officij dupliciter lætatus sum, quod & te saluum nobis atq; incolumen tot laboribus exhaustis tot periculis, propediem affore nunciabāt, & illud significabant treis præclarissimos uiros, uel potius lumina tria doctrinæ ac sapientiæ, mihi tuis testimonijs amiciora esse facta, quorum equidem unius Budæi literas accæpi unà cum tuis scriptas humanissime, reliquorum nōdum ad me allatæ erant, eis ego omnibus responsurus sum, et quidē sedulo, neq; propter uim uerbi eius quo tu in scribēdo usus es, qua si fuero dignatus inquis, sed quod nihil alienius homine ingenuo esse eximo q̃ non contendere in omni officio omniq; significatione beniuolentiæ esse superiorem, sanè talium uirorum literis scriptis nullas rescribere cuius tandem esset superbiæ? Qui cum suis summis excellentibus ingenijs illam doctissimæ antiquitatis gloriam in nostrum æuum retulerint, sint quoq; omnium opinione ac iudicio nō inferiorem sua uirtute laudē consecuti. Habes itaq; statim ad Budæum perscriptas. Ad cæteros pendeo animi quo pacto me geram, ne forte me illi suas accæpisse quas non accæpi arbitrentur, accusentq; tarditatem in rescribendo meam, meūq; officium et mea fides reprehendatur, cui tu meæ sollicitudini ut subuenias peto subuenies aūt, si illos q̃ primum certiores feceris, eorum literas adhuc in

expectatione esse, aut ego prior si tibi uidebitur scribam, hoc fundamento nixus, quod te teste cognouerim qua sint erga me uoluntate, id mihi esse gratissimum. Verum nihil horum prius q̃ tuas accepero, quibus me de te tota quid sentias admonebis. Sed in his ad me Budai, ille enim uero luculento testimonio confirmat, quod me amare cœperit tua prædicatione esse factum & commemoratione meorum in te officiorum, quæ sanè commemoratio tuæ pristinæ eximiæ probitatis index est. Nã ego ea in te usurpaui officia quæ prætermitti sine scelere & sine summa inhumanitatis nota non potuerunt, tu in eis quæ mihi honori censuisti fore ita es uersatus, ut (quod facile appareret) studium amoris, oratio uero tua honorifica de me effusæ cuiusdam bonitatis fuerit. Quod si liceret in uera & constanti amicitia subducere rationes, dicerem quãtum tibi hoc nomine deberem, sed omnia ad officium referenda sunt. Quod unũ bonis semper est propositum, cuius unius conscientia contenti sumus. Quamobrẽ ne illud quidem uerendum tibi est, ut ad me parũ latine aut ineleganter scribas, es tu omnino quidem latinissimus, sed aliud etiam est familiariter, aliud accurate et propè anxie scribere, qd genus scribendi morosius à nostris familiaribus epistolis reijciendũ est. Quod me consulis nũ tibi ad Pontificẽ scribendũ esse censeã, ego uero cẽseo, quo autẽ modo, quocunq; tibi libeat, in quã enim cunq; partem te dederis literæ illi erũt silentio gratiores, is porrò ut ad bene tuis similibus faciendũ prõptus est, ita bonorũ de se memoria testimonioq; lætatur, nec uero ullũ scribendi cæperis argumentum qn aduinã aliq̃ ex eius præstantissimis uirtutibus aptũ et accõmodatũ sit, si familiariter et domestice scripseris ad illius sũmã humanitatẽ, si cũ honore et grauiter ad eminẽtissimã dignitatẽ respectũ habuisse uidebere, utro aũt ille magis gaudeat, difficile dictu est. Hoc qdẽ haud uniq; dubiũ, literas illi tuas cuiusmodicunq; futuras gratissimas. Ego quas tuas ad amicos mihi misisti, ad Læliũ maximũ ambas curaui perferendas, eiq; iussi nunciari suas ut cõtinuo redderet Mariano, Camillũ Porciũ tua salute ipertiui, q te ab se amari mirifice cõfirmet, multamq; tibi renũciat salutẽ. Vbaldinus aberat Florentiæ, matris primo morbo euocatus dein funere retentus, quoad rẽ suã explicet familiarẽ dies aliquot absumpturus est. Nos leui ægritudine aliq̃diu tentati damus operã ut ualeamus, tibiq; itẽ faciũdũ ducimus. Bẽbo nostro, et Nicolao Tepulo quẽ cognosces hoiẽm ut opinor tua beneuolẽtia dignissimũ, plurimã meis uerbis salutẽ dicito. Val. Ex urbe. vij. Id. De

IACOBVS SADOLETVS GVLIELMO BVDAEO. S.

TV uero ad me scribens recte atq; præclare uim maximã uirtutis à paucis possessã oĩbus aũa ilẽ eẽ affirmasti, sed si tu unius uiri narratione ac sermonibus in aliq̃ bonã de me discessisti opi

nionem, animumq; tuũ ad beneuolentiã mei absentis applicuisti, qd nũc aut facere me, aut iam antea fecisse existimas, cum non solum rumore nũcio, sed clarissimis monumẽtis ingenij tui adductus, ad te amandũ accesserim? Habeo.n. si forte nescis, penes me tui imaginem, quã sæpe lectione contemplatus sum, oĩbus artis atq; ingenij coloribus absolutã, uel ipsum te potius. Etenim, si uere dicere solitus erat Socrates neminẽ se uidere, nisi quẽ audiret loquẽtem, quod hominis formã uultus, mentẽ oratio indicat, profecto mens tua est, hoc est ipse tu, qui loqueris, & spiras in eis libris, quos antiquæ eruditionis refertissimos doctorum cõmodo inuulgasti. Quãobrem, quod te ais moleste ferre, ꝙ me de facie non noueris, ego uero in eo te superior sum, cui et si gratissimũ esset præsentem te intueri, et alloqui, teneo tñ simulachrum præstantius idq; immortale Budæi iã mei, quod nomen, ut hominis omniũ doctissimi, libens antea recolebã, nũc ẽt ut amicissimi, nũq̃ ex ore meo, et animo elabi patiar. Cui tu amicitiæ pro tua singulari humanitate aditum patefecisti, literis ultro ad me scriptis, quæ mihi numus omnium optatissimũ aĩm tuum, beneuolentiamq; deferrent, pro quo habeo eqdem Longolio nostro gratiam, qui mihi tantum boni conciliarit, sed, ingenue.n. fatebor, ipse quoq; amore efferri uisus ẽ, cũ ea tibi de me nũciauit, quæ sunt ipsius prædicatione q̃ meo merito maiora. Ego.n. in illum quæ officia ꝯtuli, ea prætermitti sine scelere et sine turpi inhumanitatis nota nõ potuerunt, quæ & si fuissent maxima, qd nõ erat cum innocentiæ ipsius, tum excellenti in eo & præsenti et speratæ uirtuti debitum? Peregrinitas porrò ad eã rẽ ualuit, ut quo magis ipsa nuda p se se et præsidio orba erat, hoc magis studijs nostris ꝯfoueretur. Quãq̃ in hoc ipso officio cõis quædã doctissimorum huius urbis, et p̃stantissimorum hominũ extitit ꝯspiratio, ut meæ partes nullæ præcipuæ fuerint, nisi forte uoluntatis, quæ si in beneficij partem numeranda est, uolo ego, & uolui ornatissimum esse Longoliũ, quẽ tu, dum perurbane, & comiter demigrasse à uobis animo, & in hanc urbem studia sua contulisse narras, præripere nobis postulas querelã iniustam, à uobis enim ad nos literati qñq; uiri, à nobis uero istuc literæ ipsæ transfugiunt, cui quidem perfugio in primis tu causam affers, sed hæc hactenus. Ego mi Budæe, quod mei præsentis officij est, uellem agere posse tibi meritas gratias. Tale enim mihi testimonium præbes in literis tuis & amoris erga me tui, et iudicij, ut uehemẽter me tibi omni ratione intelligã obstrictum, sed nullæ mihi neq; literæ neq; uerba satisfaciunt, ago tñ, quas possum, maximas, tu, qua es prudentia, in hac mei ingenij imbecillitate agnoscito meriti tui magnitudinem. Quippe cũ me etiã ipsa illa humanitate superaris, quã in me tantopere cõmendas, qui mihi tam dulces tamq; elegantes literas miseris, ut cum diu antea ex monumẽtis tuis habuerim

apud me tuæ præstantis doctrinæ effigiem, nunc etiam habeam huma/nitatis. Sed ego hominem me esse non putabo, si tibi concedam, ut ullis of/ficijs aut amore me uincas, ac uellem tantas meas opes esse, ut eas tibi de/ferendo aliquid deferre expetendum uiderer, sed quando illæ tenues atq; exiguæ sint cum has quidem ipsas malo tuas esse q̃ meas, tum quod pos/sum præstare quoq; uno uiri boni contenti esse, solent, id tibi à me & pol liceor & defero, summam cum in amicitia nostra fidem tum in coniun-ctione beniuolentiam. Vale ex Vrbe septimo. Idus Decembris.

IAC. SADOLETVS CHRI. LONG. S.

b Inas tuas accepi, quarum ad priores meas reddidi nullas, non mehercule negligentia nec quod amoris in te mei quod tu nescio quo pacto suspicari uisus es facta fuerit imminutio, quod nec fieri ullo modo potest neq; uero suspicari sanè decet. Sed quia mihi in studijs literarum uehemẽter occupato animus alio uer sum distractus hanc curam & cogitationem respondendi tibi uel tanquã minus necessariã omisit uel in aliud tẽpus cõmodius reseruauit. At nũc qđ tuæ me recentiores admonuerũt literæ nõ patiar à te desiderari officiũ meum. Ac primum tibi illud prædico me re tota prius bene consulta ac di ligenter considerata tandem post habitis sermonibus hominũ & eorum opinionibus qui me ad ambitionem & uitam negociosam reuocabant, contentum ea fortuna quæcunq; mea est ex his fluctibus in quibus nimiũ diu sum uersatus, in portum me contulisse, redijsseq; cũ libris nostris in gra tiam, à quibus liberalius accæptus etiam q̃ putaram cogito posthac meã omnem cum illis ducere rationem, nec tantum ut ueterum legendis mo/numentis eam delectationem capiam quæ maxime liberalis et digna ho mine ingenuo est, sed etiã ut promam ex me aliquid quod si minus eru-ditis ingenijs propter doctrinam at propter conatum egregie in me uolũ tatis saltem probatum esse possit. Quamobrem quod ad me scribis fore ali quando ut constet apud me ratio studiorum tuorum, eius mihi rei expe/ctatio ita iucunda est ut uicissim tibi denunciem accipiendam tibi quoq; esse rationem meorum, contendamus modo acri animo et quam inter nos conciliauit studiorum similitudo eorundem nunc exercitatio augeat be/neuolentiam, aut si nil addi ad bene constitutam amicitiam potest erit tñ inter nos consuetudo iucundior, cum de eisdem et tractabimus & cogita bimus literis, nam quin ad optimas utrq; nostrum studium omne dire xerit, alteri de altero haud dubium ẽ, idq; ita esse tu existimare de me ego de te polliceri possumus, sed quod ad me quidẽ attinet huius rei atq; ocij

maiorem facultatem uidebar habiturus si mihi egredi ex hac urbe et in meam ecclesiasticam prouinciam proficisci contigisset, una.n.atq; eadẽ opera et deo ipsi satisfecissem, cuius iam unius seruus sum, et mihi ac trãquillitati meæ rectius consuluissem, sed quando id mihi de principis uolũtate non licitum ẽ, estq; hac ciuitas in primis ad fallendum et disturbãdum animos idonea, robore animi et uirtute adnitendum ẽ, ut in medijs ipsis fluctibus portum et in tanta morũ ac iudiciorũ uarietate consilij nostri constantiam teneamus, sed hac hatenus. Ego te toto pectore uacare incumbereq; literis & gaudeo amicitiæ nostræ causa & tibi gratulor, autorq; sum ut nihil potius neq; præstabilius ducas, illud censeo habere te oportere ualitudinis rationem, qua sine oĩa corruant necesse ẽ ẽt quæ preclare uideantur posita. Legi Budæi nostri literas scriptas sanè q̃ beniuole. Velim Leonicum hominem & literis & probitate insignem meis uerbis salutes. Nauagerio aũt si erit commodũ ẽt gratias agas, q̃d de me honorifice sit in scriptis suis locutus, et si me non minus beniuolentia eius q̃ testimonium delectat. Vale. Ex urbe. iij. kal. Ian.

IAC. SADOLETVS CHR. LONG. S.

Caballus noster cum ad me superiores tuas literas attulisset, quod mandatorum exponendorum tempus præterijsse dicebat, ea ipse quidem narratione super sedit. Sed me ipsæ satis commonebant literæ, quo tibi gratia & sedulitate nostra esset opus, quæ certe non defuisset, si aut ille tum uiueret, unde opem expetebas, aut si is tũ nõ iã omnino omniũ bonarum artium, uel ornandarum, uel etiam tuendarum curam omisisset, ergo occasione amissa literis illis cur responderem causa non est uisa, alteras porrò tuas nullas accepi, quin & has recenteis serius, datæ enim ante diem. xvi. kal. Iunij. y. kal. Quintilis mihi sunt redditæ. In quibus quod spem magnam tui ocij honeste traducendi in me ipso ponere uideris, gratum id mihi admodũ, nec te opinio ea fallet, quod ad studium quidem attinet, quod & ad beneuolentiam, quæ mea te aduersum mirifica semper fuit, uerum quæ fortunæ sunt, ab ipsa illa sunt præstanda. Atq; utinam nũc tibi de meis facultatibus prolixe pollíceri possem, quod uix ego audeo, ita sum in re mea domestica ac familiari prorsus perturbatus. Sed quod proximum illi est, id mehercule libenter & ex animo facio, ut contubernium offeram, eamq; amicitiæ fidẽ, quæ omnia amicorum communia esse uult. Neq; ego tamen consiliũ tuũ capere adhuc potui, quid esset cur tu, aut Patauium Romæ, aut denique locum in terris ullum huic urbi, ad tuorum studiorum rationem anteponeres. Quod uero in eisdem adiungis literis, sperare te atq; existimare

fore tibi aditum ad summi Pontificis familiaritatem, potissimum operā nauante me, hancq; de te ut suscipiam cogitationē me uehementer rogas, alterum mihi submolestum, me à te rogari, alterum etiamdum incertū, quid me sim facturus. Quanquam enim in alterius manu uideatur situ, qui meæ uitæ status, & quod actionum mearum curriculum futurū sit, tamen non tam id uereor, ut mihi sit ad fortunas uberiores & splendidiores aditus, quàm illud fixum in animo & statutum gero, nullam auram honoris, nullam spem esse uel amplissimæ dignitatis, qui cum putē hanc ocij oblectationem, qua in re literaria iucundissime perfruor, debere commutari. Quare, aut hæc quoq; mihi salua erunt, aut illa omnia etiam repudiabuntur. Sed de his satis, ego, quod & nostræ amicitiæ proprium, et meæ erga te uoluntatis perpetuum semper fuit, quæcunq; ab amicissimo & coniunctissimo homine speranda sunt, iubeo ea te à me non sperare solum, uerum pro tuo iure etiam expectare. Vale. ex Vrbe. vi. nonas Iulias.

IAC. SADOLETVS CHR. LONG. S.

Cœpi tuas quaternis, ut ais, ipse meis literis rescriptas, in quibus omnia me delectarunt, ac presertim illud iandudum te cognosse, te à me diligi, quod equidē tribuo iure cum uirtuti tuæ atq; doctrinæ qua, ut ego mehercule sentio, ita nūc præstas ut spem quoque nobis præbeas te ad summum huius laudis peruenturum, tum uero probitas mihi tua uisa est semper amabilis, ac ea inprimis animi altitudo qua reiectis patrijs nationibus in Latiū te atq; ad Italiam, cōsequendæ ac fruendæ humanitatis causa retulisti, sed hæc satis iam nota omnibus esse & testata debent. Q d de Celso durius ferre uisus es, ignosco equidē, nec reprehendo iustā iracundiā. Verū ille præclarissimæ indolis adolescens subita morte ereptus patriæ atq; suis multorū spē quæ de eius futura dignitate præcepta fuerat ciuiūq; suorū amorē repente, orbū et desolatum reliquit, liceat ergo eius manes non solū pacatos uerum ēt laudatos ab omnibus nobis quiescere, cuius ego uiuētis inimicitias contra te susceptas non accusare, ingeniū uero & reliquam probitatem non amare nō potui, cuius funus incredibile est quantus mœror bonorum omnium et quæ publica lamentatio fuerit prosecuta. Principis erga te uolūtas propensa est, ac uellem in tuis literis adscripsisses, ecquid, de tuo aduentu in urbem, quod ue ad tempus nobis sperandum esset, libenter .n. cum eo communicassem, nunc suadeo tibi ut omnio et celeriter ad eum scribas, nec sanè apparatu opus est, nihil illo facilius, nihil communius, gratam

in primis habet obseruantiam eorum, quorum apud animos uiuere intelligit memoriam nominis et liberalitatis suæ. Quod ad illud munus attinet quo ego te uocari omnium expectatione antea ad te scripsi, disputas tu quidem in utranq; partem, sed in eam pronius quasi uile hoc aliqd et parum homine ingenuo dignum constituas, in quo ego iudicium nō interponam meum, satis enim in te statuo esse consilij, in eo utiq; patieris te obiurgari si iure, nimium mihi asperas, & duriores q̃ natura fert res tuas fingere uideris mi Lōgoli, habet omnino omnis præclara uirtus æmulationē quandam & afflatu inuidiæ attingitur, non usq; eo tñ ut de uita in discrimen ueniendum sit, ciuiles accidunt dissensiones & comes gloriæ obtrectatio, oratio etiam quandoq; asperior, uerum ea citra facinus, quanquam ego te si ad eam prouinciam dedidisses, spem maximam obtinebam, sopitum iri facile omnis illas inuidiæ tempestates prudentia tua, nihil enim æque atq; facilitate & patientia frangitur contumacia, & ea demum in magnam gloriam uertit, si qui uti sciunt, quod qui ignorant ij non fortunæ culpam accusent, sed reprehendant suam, te quidem optimis literis honestissimis artibus præditum, ciuitatis eius ciuem ob honorē uirtutis factum, è qua in omnem terrarum orbem, totius humanitatis et sapientiæ non magis præcepta q̃ exempla redundarunt, attollere animū decet supra huiusmodi iniurias et omnem leuitatem uirtuti obtrectantiū, animi tui constantia inferiorem ducere. Quare si in eam sententiam te cōtuleris, ut tibi illuc adeundum oblatumq; negocium suscipiendū uideatur esse, quid dignitatis tuæ sit statues ipse, non enim audeo monere te in hoc, uel hortari, aut si id quoq; nostræ amicitiæ ratio postulat, satis à me superioribus literis factum esse arbitror, capiti quidem & saluti tuæ nullum inde periculum impendere, & ego certum habeo & tibi fidendi author sum. Nam de emolumēto, quod quæris, spero confici posse in annuum stipendium, aureum nummum ad quadringenties. Quod mehercule rarū auditu est uel mirabile potius, in hoc genere docendi, sed tanta est opinio tui nostris quoq; & aliorum testimonijs corroborata, ut uideantur qui te expetūt, quo uolemus adduci posse, in quo amplius etiā contendemus q̃ diximus, ubi certum scierimus quod tibi deniq; de ea re fuerit cōstitutū. Nam ut constituas primo quoq; tempore, ne diutius illi à me expectatione suspensi teneantur, te uehementer rogo. Quodcunque certe constitueris id iudicabo rectum. De oratione tua quod ægre uulgatam fers, agnosco uim iudicij tui, speras enim te melius scribere & accommodatius posse, res quidem ipsa plenissima laudis fuit nec à me, scriptum quicquam quod assentationi sit quàm ueritati propius, neque eo nunc dico

quin in ea nonnulla insint quæ diligentius perpoliri posse uideantur, sed totum illud præclarum est & ingenio & copia & q maxime mouendis affectibus tua omnium celebrationem & laudem meruit oratio. Quo circa bono te animo esse uolo, itaq; existimare, si quid in me ueri & & recti esse putas, fuisse eam rem tibi gloriæ, cætera si qua restant cum ocium erit scribemus ad te uberius, nam ut nunc se res habet scito nullũ mihi diem à publicis uacare curis, ut ne subcisiuis quidem, quod aiunt, horis ad mea exoptata studia mihi detur reditus, sed hoc deus uiderit. Bẽbo meo quem auide expecto plurimam meis uerbis salutem dic itemq; Nicolao Teupolo. Vale. Sexto cal. Mart. Die bissextili.

IAC. SADOLETVS CHR. LONG. S.

t Antum literas tuas acceperam Venetijs datas, cum has ad te exarani tertio loco. Nam binas antea scripseram unas te prouocans, & de ijs quæ post tuum discessum acciderant certiorẽ te faciens, alteras ad illas lugdunensis tuas, quarum exempla tibi misi, postea q̃ non mediocri mea cum molestia ad te non fuerant allatæ, sed & ad Budæum suas, eodem itẽ exemplo, quæso accipe in bonam partem, ne'ue tabellariorum negligentiam meæ culpæ ascribito. Lælius onus receperat curaturum se ut recte redderentur. Quæ de Bembi nostri humanitate erga te & liberalitate scribis, mihi noua non sunt, est enim ille uir omnibus numeris absolutus princeps optimarum artium, cui te cõtubernalem factum & mehercule lætor, & subinuideo uobis tñ suauitatem cõgressus sermonumq; uestrorum. Põtifex te ad urbem expectabat, ex meq; de reditu tuo percontatus est, incidit enim sæpe ut de te habeatur mentio ab illo sanè perhonorifica, & plena amicæ uoluntatis, quare ad eundẽ scribas planè consulo, orationem tuam si huc miseris, legetur ea & à me & ab ipso summo Principe perlibenter, ego ex plurimis occupationibus quibus hoc tempore urgeor, hoc tempus eripui respondendi tibi, idq; raptim, tu ignosces literis perperam scriptis, meq; amabis & istis omnibus salutem à me dices. Ex urbe. iiii. Non. Ian.

IAC. SAD. CHR. LONG. S.

m I Longoli salue. Primum putaui scribi à me tibi oportere, siquid esset quod interesse tua arbitrarer, deinde quid ipse sentirem adiungendũ esse, scis Florentiam quanta sit ciuitas, ut celebritate frequentissima, ingenijs nobilissima. Quod ergo in ea urbe mens est et consilium totius ciuitatis incredibile est, q̃ te unum ad illam præclaram iuuentutem optimis artibus publico munere instruendam appetat, in quo

non iudicio hercule illi falluntur. Sed de tua uoluntate dubitant, cum igitur qui apud me authoritate plurimum possunt, contendissent à me, ut de te per literas sciscitarer qui tuus esset in hac re sensus, feci libenter ut illorũ uoluntati morem gererem, & siue conditionem accepisses magno cum honore & emolumento tuo illustrissimæ ciuitati esset satisfactum, siue repudiasses gauderes tamen talia de te tam honorifica fieri iudicia, percrebuit enim opinio multorum quoq; testimonio & authoritate corroborata, te unum esse hoc tempore cuius in literis eruditio tanta sit, ut nihil ultra optari debere uideatur, tanta in posterum expectatio, ut quod nunc obtines doctrinæ, parua portio, præ ut consecuturus es existimetur, non igitur mirum est si te quem talem esse crediderunt, suæ reip. commodo natum optauerunt, quantum autem sit fundamentum bene moratæ & sapientis ciuitatis ab optimo magistro iuuentutis eruditio scimus omnes, itaq; te eò accedere summa ope exoptant, nec exiguis hoc quidem sed amplissimis oblatis premijs, quæ mihi non uisa sunt scribenda donec de uoluntate tua habuero exploratum. Quid autem tibi author sim in hac re uti facias, ego mehercule hæreo, non. n. bene habeo cognitum quẽ tu uitæ tuæ uniuersæ proposuisti finem, si enim nihil aliud q̃ literas, ut missa faciam officia boni uiri, quæ in omni statu & conditione uitæ usurpanda sunt, non arbitrarer alienum subire te hoc oneris, quod studijs tuis consentaneum pluri mis hominibus utile est futurũ, bene enim de humano genere mereri in primis nobis optabile esse debet. Honor uero in hoc negocio is cum quo iuncta sit quædam Italiæ contumelia, accersitum trans alpeis qui latinas literas in latio ipso conferat. quo quidem nomine superba futura est Gallia. Sed ego latinitatem uirtuti non patriæ acceptam ferendam puto. Tu quid tibi expediat melius & prudentius, quod statueris quidem non solũ probabo tacitus sed ut optime deliberatum apud omnes defendam, cupiebam plura sed occupationes interpellant, ignosces meæ in scribendo incuriæ, cum ad uirum doctissimum scribenti summa adhibenda diligentia sit. Vellem equidem ipse sed negocia me non sinunt. Tu uale & me dilige. Romæ. xi. cal. Febr. Erit tuæ humanitatis q̃primũ ad me rescribere.

ALEX. PAC. IV. MED. CAR. S.

Vperauit opinionem meam & longe quidem superauit oratio Longolij, qua nil festiuius, ornatius, elegãtius dici, excogitari'ue potest. Eam cum abs te legendam nuper acceperim nequaq̃ satis habui uno ferè dixerim haustu totam auidissime deuorasse. Eandẽ enim mox iterum, iterumq; magna animi alacritate perlegi. Cæterum

cum singula pensitauerim atq; adamussim examinauerim, nihil non summa laude dignum in ea animaduerti, atq; adeo ut non solum in urbe disertissimum hunc optimumq; uirum retinēdum censeam, sed ultro etiā accersendum atq; amplissimo quoq; munere honestandum, uide pater ampliss. q̄ me mouerit ista lectio atque adeo deliniuerit, ut etiā non rogatus quid sentirem de ea his nostris parum cultis literulis ad te scribere non dubitauerim, laudo in primis elegantissimum dicendi Caracterem, numerosum ac sonorum stilum, argumentandi peritiam, sententiarum grauitatem, artem praeterea atq; doctrinam, uarietatem, proprietatem, copiamq; uerborum, acumen demum inuentionumq; non uulgarem, quae omnia in hac ipsa oratione facile deprehendi possunt. Admiror sanè hominem trans alpes natum nō modo cū nostri temporis oratoribus comparandum, sed etiam cum antiquis uel merito quidem iudicio meo conferendum. Equidē uel ego prorsus à bonis studijs alienus sū uel ipsa haec oratio inter rarissimas excellentissimasq; connumerari iure debet, pereā male si nō inter legendū me ipsum interdū excitari impelli ue ne dum persuaderi sentio. Sed ne ego parum prudens quasi non ineptire uidear dū tuis illis auribus atticissimis nostri quicq̄ iudicij affero, de eo praesertim uiro qui nec laude nostra melior, nec uituperatione detrior uideri potest, sed uelim mihi uel ob id etiā libenter ignoscas, nolui planè hoc tēpore qn̄ ad te eius orationē remisi alienae gloriae nostro silentio inuidisse. Quare Lōgolium cū primis caeterosq; bonis studijs incumbentes complecti nō desistito, ac quod semper fecisti assidue iuuato, peculiaris.n. haec est propriaq; uestra laus, quasi quaedam Medi. Fami. praerogatiua sit, qua longe principes alios excellitis bonas semper artes quacunq; ratione uel iniquis etiam temporibus fouisse. Vale. ex Decumano nostro. Idibus. Sextilis.

Florentiae per Haeredes Philippi Iuntae. Anno Domini, M.D.XXIIII. Mense Decembris. Clemente VII. Pont. Max.

REGISTRVM.

a. b. c. d. e. f. g. h. i. K. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. x.
Omnes sunt quaterni praeter x. qui est duernio.

